









Ecce HODIE *ipse* ORIOR QVASI TV *Sol* OMNIBVS *unus*
QVOTIDIE MAIOR *dum* NOVVS ORBIS *adest*.

Fr. Gaspar Flores de la Oliva



Ecce NOVVS *communis adest mortalibus* ORBIS
Non tamen à simili qui venit Orbe liber.



HYPOMNEMA APOLOGETICVM PRO REGALI ACADEMIA LIMENSI IN LIPSIANAM PERIODVM.

AD LIMENSEM REGIVM SENATVM:

REGIOS IVDICES: CONSCRIPTOS SENATORES.

ACCEDVNT

DISSERTATIVNCVLAE

GYMNASTICÆ PALÆSTRICÆ,

Canonico-legales, aut promiscuæ: partim extemporaneæ, expolitæ, & vtiles; ceu res ipsa ostendet.

AVTHORE D. D. DIDACO DE LEON PINELO

Pontificij Iuris ante Vespertino, nunc Primario in eadem florentissimâ DIVI MARCI *Academiâ Antecessore, & causarum in Regum Cancellariâ Patrono.*

LIMAE, *Ex Officinâ* IVLIANI DE LOS SANTOS ET SALDAÑA

Anno Domini MDCXLVIII.


BODLEIANA BIBLIOTHECA

D. D. D. ANDRAEAS DE Billela ex equeſtri Divi Iacobi militiâ, Philippi Magni Regis noſtri Potentiſsimi à Conſilijs, & in Regali Cancellariâ Senator Decanus, de mãdato Excellentiſsimi Proregis iudicium profert.



EX Regali præſcripto, & reſcripto Proregali *Hypomnema Apologeticũ pro Regali Academiâ Limenſi in Lipſianã periodũ, & Diſsertatiunculas gymnaſticas palæſtricas, &c.* Eximij Doct. D. DIDACI DE LEON PINELO Primarij iuris Pontificij in Academiâ Regiâ Anteceſſoris vidi, ſuſpexi, ſtupui. Et dum emiſsitijs pellegi oc-* culis, oſculis avidiſsimis ſelegi. Omnibus ex vngue Leonem anteſtatum cieo: legentiumque auriculas auro conſtrictas vinculo ſuppono. Talem ex Pindo noſtro literario decuit promere PINELVM; ni mavis, ex auri, argentique fodinis, vel ex lapidicinis indicum lapillum, quo Peruana ditarur gaza, & de tripode profatur. Olim tyronem Themidi ſtipendia navantem, & in noſtro muſeo claſsicum ſuccinen

tem

tem Salmaticæ xysta suscipiunt, & suspiciunt: indé forensia theatra Patronum quæritant: dudum Academica colunt Agonothetam; mox suggesta Magistratum expectant; vt vndé ortus, eo reuertatur occasus.

Sic opus authorem prædicat; author opus.

Ac velut Europa TREBATIO: Asia TRISMEGISTO: Africa TERTVLLIO; sic Terleone iactetur America, vt possit Italis pro FABRIS: Gallis pro ALCIATIS: Germanis pro DONELLIS, suos Hispania recensere LEONES. Et Limana orchestra, quæ tanto lætatur alumno, præfulget coriphæo, illud sibi aptius vsurpet Horatianum.

Micat inter omnes,
Velut inter ignes
Lima minores.

Sic sentio: sic boni mecum: sic prælio, præloque dignum attestamur; vnde faxit DEVS nobis præda contingat. Datum Limæ, octavo Kal. Decemb. anno salutis 1647.

DOCTOR D. ANDRÆAS
DE BILLELA.

LICENCIA.

TIene licencia del Excelentiſsimo ſeñor Marques de Mancera, Virrey deſtos Reynos del Perù, Tierra firme, y Chile, &c. el Doctor Don Diego de Leon Pinelo, Catedratico de Prima de Canones deſta Real Vniverſidad de S. Marcos, y Abogado de la Real Chancilleria de los Reyes, para imprimir eſte libro intitulado, *Hypomnema Apologeticum pro Regali Academia Limenſi in Lipſianam periodum, & Diſſertatiuncula gymnaſticæ, &c.* Lima 13. Agoſto de 1647. Benturiel.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

EL Provisor de los Reyes, &c. Por la presente doy licencia, por lo que toca a la jurisdicion Ordinaria, para que se pueda imprimir este libro intitulado *Hypomnema Apologeticum pro Academiá Limensi in Lipsianã periodum: cui accedunt Dissertatiunculæ gymnasticæ palæstricæ, &c.* Compuesto por el Doctor D. Diego de Leon Pinelo, Catedratico de Prima de Canones desta Real Vniversidad de S. Marcos, y Abogado de la Real Chancilleria de los Reyes, atento al Parecer, y Aprovacion del Reverendo Padre Maestro Fr. Iuan de Ribera del Orden de San Agustin, Catedratico de Escritura en la dicha Real Vniversidad, que de mi comission le vió. Fecha en los Reyes, en 23. de Agosto de 1647.

DOCT. D. MARTIN DE VELASCO
Y MOLINA.

Por mandado del señor Provisor.
Francisco de Cepeda
Notario Publico.

R. A.

R. A. P. M. F. IOANNIS DE RIBERA
Ordinis S. Augustini Exprioris Limensis, Expro vincialis, nunc Deffinitoris primi, apud sacrum Fidei Tribunal censoris, apud Limanam Academiã sacræ Scripturæ Cathedræ Primarij Antecessoris de hoc præclaro opere iudicium.


HOc Hypomnema Apologeticum in locum LIPSI, & Iurisprudentiæ commentarios à Domino D. MARTINO VELASCO ET MOLINA apud Metropolitanam Regum Ecclesiam Pęnitentiario Canonico, apud Regiam Academiam Primariæ Theologiæ Cathedræ Antecessore, atque in hoc Limano Archiepiscopatu Provisore, ac Vicario generali mihi ad censuram commissa, non summâ voluptate dumtaxat, summâ admiratione lustravi. Eminet in ijs sublime Authoris ingenium; pia eiusdem ad Matrem literarum adfectio; opus nomine vtroque suspiciendum. Si plausus, quibus hæ Relectiones exceptę sunt, dum proferrentur, cum ipsis ad typos redigere liceret, illi sanè erant par his lucubrationibus elogiũ. *Oratio eius* (scribebat de CASSIO SEVERO SENECA: verius de Authore pronuntiasset) *erat valens cultu, ingentibus plena sententijs; nemo minus passus est in actione aliquid suâ otiosum esse: nulla pars erat, quæ non suâ virtute staret. nihil, in quo auditor sine damno aliud ageret: omnia nitentia, & intenta aliquo: aliquid petentia: nemo magis in suâ potestate habuit audientium affectus: nemo nõ illo dicente, timebat, ne desineret.* Sed mens alta, sed ingenium ardens, & ab oblivione, & ab invidiâ sæculorum se tuetur. *Alexander, cùm in sigæo ad Achillis tumulum astitisset* (orabat aliquando TVLLIVS) *ò fortunate, inquit, adolescens, qui tuæ virtutis Homerum præconem inveneris: & verè; nam nisi illa ars extitißet, idem tumulus, qui corpus contexerat, nomen etiam obruißet.* Author sibimet

In fat Ep cõt

pr chi

bimet est ACHILLES, sibi HOMERUS; lauros certè multas, easque clarissimas sibi ACHILLES commeruit: sed sibimet HOMERUS, ne tempus edax rerum, nomen eius possit corrodere, aeternis hisce cavit monumentis. Quibus praeclarum insidet simulacrum, ergà Academiam nostram literarum, ac sapientiae parentem, pietas: luculentiore censu, quàm vel exhibeant parentibus ciconiae: illae enim (si SOLINO fides) quantum temporis impēderunt foetibus educandis, tantum & ipsae à pullis invicèm aluntur: Author cùm parum foeturae in acceptis numeret Academiae nostrae, plures, eosque meliores aevi sui annos, studijs hisce rependit Academiae: idem & postea augustioribus laboribus facturus: *Sed habet suos impetus pietas* (aiebat QVINTILIANVS) *& se sui ipsius praedem, vademque facit*. Neque veró potuit Author, gentilitium stirpis suae stemma, scriptionē, diutius apud scrinia morari. Nā quemadmodum (inquit RODIGINVS) *gentilitiae quaedam familiarum notae feruntur, ceu Seleucidarum anchora, Pelopidarum eboreus humerus, Aenobarborum rutila barba*, Sic horum Leonum familiare, noctes apertis oculis transigere, aevique sui tempora aeternitati, scriptorum pulchritudine, ac faecunditate devovere. Quae igitur APELLES noster aeternitati pinxit, aeternitas ipsa tueatur. Nil impingit opus in Fide, nihil in moribus: publicam lucem aspiciat. Sic vovet Orthodoxa foelicitas. Sic ego censeo, in hoc nostro Augustiniensium coenobio die 24. Augusti labentis anni 1647.

Lib. de mirabi. mund.

Declam. 5.

Lib. 29. cap. 8.

M. F. IOANNES DE RIBERA.

REVERENDISSIMO, ET RELIGIOSISSIMO P. M. FR. LVDOVICO APARICIO, REDEMPTORVM SANCTISSIMI ORDInis: Supremæ Inquisitionis venerandi Senatus Qualificatori: in Toletanâ Vniversitate sacræ Theologiæ iam publico Interpreti vespertino; nunc à secretis animi Excellentissimi Marchionis Mancerensis, Peruani huius Regni Proregis dignissimi, D. D. DIDACVS LEO PINELVS, Primarius Sacrorum Canonum in hâc DIVI MARCI Academiâ Antecessor.

S. D.

TE vt alloquar (Reverendissime P. M.) det mihi PLINIVS SECVNDVS in limine verba, *Et tu occasiones obligandi me*, inquit, *avidissimè amplecteris, & ego nemini lubentius debeo.* Quid ni & idem fatear? Fateor: vt tui semper nominis pennati & oris, in quo nō rhythmus delirat, sed sacræ Scripturæ scripta gravi tinnitu insonāt: veriùs si loqueris mella fluunt, quàm de senis illius PYLI concionatoris linguâ dixit HOMERVS; sicut, & admiratio sensum occupat, gratitudinis obsequium præoccupet. Ast, ne in præambulo molestus sim modestiæ tuæ, qui per scita decurro, statim quid velim expono: ad rem venio. Librum seu Hypomnema, & Dissertatiunculas, vt sint iam omnibus, quas pluribus nō clanculum recitavi; suscepi quasi in prolem mentis parturientis: sed post partum metu excrutior

Fato servatus ab ipso.

Quia in hoc sæculo iustior ARISTARCHI sententia est. *Olim vix septem sapientes repertos, hodie vix totidem rudes.* Excrutior, non perpetuò, sed donec opella in tuæ calculum venire sententiæ omittit, & sapientissimi ingenij tui censoriam prudentiàm nō patitur. Nescio adhuc, an quid in stylo pro-

bandum, an hæc dispositio, quæ publicũ, & vulgarem scriptorem deceat? an ex veterum legibus Prudentum, Pontificium; Sanctorum Patrum Canonicis iuribus: Concilijs: dulci Poetarum sonitu: ramus rectè compositus erumpat? Si splẽdorem in sermone non inveneris, in affectu invenies: in aliquo saltim excellere sufficiet.

Famo nec ex æquo ducitur vna iugo.

Vt de LYSIPPO, & CALAMI, quorum vnus hominum formis cælandis, alius equorum magis idoneus fuit artifex, PROPERTI carmina probant.

Gloria Lysippo est animosa effingere signa
Exactis Calamis se mihi iactat equis.

Meis non interquiesco castigationibus, imò denuò repetor ad diffidentiam, opus si diligentiùs exquiro meũ. Hypomnemata sunt brevia: iam erunt longè digna, si subscripseris, si correxeris priùs quàm foras prodeant, tu qui non solùm scientiarũ latebras nõ ignoras, sed acumine integram nostram Iurisperitiam percipis, perficis: dò vt facias, efficias perpolitam. Non erit longi subsellij ista iudicatio, & mora: facile tibi de nostris iudicare. Tuum igitur est liquido decernere, & scrutanter discutere quæ corrigas, ne tibi vitio vertant, ea, quæ nobis potuerunt obrepere: assume benevolo animo. Iam impetratum cupio, plus enim vno perspicaci mentis tuæ visu, quælibet Phœbæa oppellæ doctrina manebit, quàm si eandem incudem assiduè tundere perseverem. PLINIVS idem Secundus sit nunc & vltimus, qui petita subsignet, & mei interpres animi repetat. *Adnotes quæ putaueris corrigenda ita enim magis credam cætera tibi placere, si quædam displicuisse cognovero.* Vale. Ero in obsequio firmus.

DOCTOR DON DIDACVS LEO PINELVS.

PER-

PERILLVSTRI OMNIQVE FAMA celebriori Doct. D. Didaco de Leon Pinelo, Iurisconsultorum eloquentissimo, eloquentissimorum peritissimo.



PLACVIT præstantiæ tuæ (Doctor sapientissime) censorium à me tuarum elucubrationum dictatum aliquid requirere. Gravor iussionis onere, sed digationis * munere gratulor: & blanditur petentis favor: & petitionis terret exactio; vndè dare, indè & negare compellor quod postulor: quid enim in me ingenij est, aut quæ exercitatio dicendi, quâ fretus sic audeam inscians calamo admovere manum?

* digation

Dumque meum quæro decus, est mihi dedecus omne
Eloquium, tacita format dum litera voce,
Nam fugit ingenium, quantum lux parva fatiscit
Iubaris ad radios.

Præ oculis vndique versatur periculum, sed in eâ parte maius imminere video, si iussis non obtempero tuis; obediā igitur: dat quippe nostra familiaritas ansam, & tua imperantis authoritas excusat præsumptionem. Debueras, si non nobis, tibi saltim consuluisse: si minus quàm par est dixero, excusa, non accusa.

Legendum remisisti à te concinnatum librum relectionum, quas in nostrâ diatrivâ celebri, communi, ac publico cōspectu exposuisti: quas tuo iudicio probatiores habeo, quàm fuissent meo, si meæ, quibusque tuum, totiusque huius opulentissimæ Peruntinæ Regionis nomē perennasti, ne iam futura ætas LIPSIOS ferat, qui iterum de imperitiâ, & barbarie peritissimos incolas audeat notare. Hoc solo tuo labore negotium cunctis facessis de eloquentiâ, de iurisperitiâ, de divinarum, humanarumque rerum prudentiâ benemeritis. Opus ergò præclarum, non opella, vt vocitas, est. Ego quidem (fatebor enim) iam propè sexagenarius, quique anteactæ vitæ tempus totum literarū studijs dedi, ex hisce eruditissimis scriptis, quàm plura addiscere non erubesco; nulla enim ætas ad perdiscendum sera: nullus pudor longævo ad meliora transire; & sanè hoc vno labore tibi, nostratibus, cunctoque literario Orbi providisti. Tibi quidem, ne tam præfulgida omnium sacrarum, humanarūque literarum compaginatio, si verbo tenus in scholis, pro rostrisque plausū celebris cōmuni oculis obiecta paucorū secessu cōtēta suo, lucifuga censeatur: nam

Vile.

Vile latens virtus; quid enim submersa tenebris
proderit?

Nostratibus, totique literario Orbi: ferax enim licet librorum nostra sit ætas: verùm volve quæso, & excute Scriptorum, vel potius scribentium farraginem grandem

Deprensa est vacuis apud illos pagina chartis.

Pretiosa, & grandia sonant, sed verò effæta. Legimus aliqua (verba sunt AMBROSI) ne legantur: legimus ne ignoremus: legimus, non vt teneamus, sed vt repudiemus; & vt sciamus qualia sint, in quibus magnificè isti cor exaltant suum. Hoc certè malum sævius in Iurisprudentiam grassatur: neque est, quod magis mihi admirationi sit, quám hoc sæculo neminem extitisse, qui priscorum Iuriscõsultorum ingenium, & eloquentiam assequi, æmulari, vel etiam imitari potuerit. Certant hâc tempestate multi cum LIBIO; non pauci TERENTIVM effingunt: CICERONIS simiæ complures sunt: OVIDIVM multi è vestigio imitantur: ad MARONIS venam quidam aspirant: qui hactenus VLPIANVM, cæterosque Iurisconsultos, post tot annorum curricula reddere, vel studeat, vel speret: neminem certè reperies: tanto enim eloquentiæ fulgure legum tenebras illustrant, vt admirationis materiam potius, quám imitationis spem posteris reliquisse videantur.

In te vnum tandem seruata hæc cura laborum.

In quo quis (vel lippis, vt aiunt oculis) non perspiciat summam iuris vtriusque peritiam, summæ inesse eloquentiæ copulatam? quare te æquo iure Musicotaton græcâ voce millies compelabo: qui cum maximâ doctrinâ luculentissimam, atque elegantem copiã, orationis nitorem cõiunxeris. Neque solùm mansuetiores Musas, aut agrestes (sic TVLLIVS Philosophicas disputationes á forensi strepitu remotas nominat) sed vrbanas, sed politiores, sed forenses apprehenderis, & comprehenderis. Hinc vel maxime, æquo que dolore angor quamdiu te cõsulari, senatoriâ, Regalique togâ (iam sanè diu te expectat, atque exoptat) indutum non videt Orbis; nam cùm non alij rerum publicarum gubernaculis admoveantur, non alij Regiũ latus cingant, quám qui iuris scientiæ opinione celebrantur: indè nostra miserè defluunt, cùm extitura videbantur: invaluit meritis solicitudo, eloquentiæ garrulitas, arripiuntque sibi Senatorias, & prætoriales infulas, latusque Regium invadunt non pauci; a quibus populo pro iuris æquitate iniquitas Regali togá phalerata artificiosè que gemmata propinatur, tanto nocẽtius, quanto incautius, quam á rusticano non timeres; namque.

Nulla aconita bibuntur

[Fictis]

Fictilibus: tunc illa time, cum pocula bibes gemmata

O vtinam te iam Regia tribunalia, quem toties fęliciter patronum audierunt, Senatorem videant: & publica prętoria, quę solis meritis ambis, te vt sequuntur, assequantur.

Novimus serie historiarum edocti, totiusque Orbis vociferante præconio, literarias omnes exercitationes pari passu cum rerum dominijs incepisse, adolevisse, declinasse. Succreverat sanè apud nostrates plus solito omnis encyclopedia: invidiosaque exteris cunctis erant Gymnatià nostra, scholæ, viri: tandiuque extitura hæc ipsis publicantur, quandiu Rex noster ter Catholicus, ter magnus, rerum Orbis potiatur. Iam veró, cum invida omnis, infidelisque barbaries in nos conspirarit & de nostrâ communi strage sibi insani blandiuntur, invaduntur regna periculosa vtrinque scientur bella, ita vt cum Prospero decantare, imò degloriari liceat;

Heu cæde decenni
Barbaricis gladijs sternimur, & Geticis
Non Castella petris, non oppida montibus altis
Imposita, nec vrbes amnibus æquoreis
Barbarici superare dolos, atque arma furoris
Evaluere omnes: vltima pertulimus.

Quibus verè non ius, sed furor arma ministrat; iamque mox rem nostram literariam funditus credunt ruituram. At Prospari eiusdem eos excutio & scrutio verbis vltimis. Vltima pertulimus, nec nobis vt ominamini, ò invidi, vlterius imminet periculum: quim potius nostri Monarchæ, quæ succumbere videbatur potētia, celeri agitata cursu, velut aqua est,

Quæ compressa diu vehementius obrruit arva.

Sustinete vel modicum, videbitisque inviti, nostris armis vos in fugam turpem actos, vestros Penates obrutos. En vobis certius ómi nor quo vos quoque rem certiùs coniiciatis, peritura speratis, cũ bellica potentia literarum studia, scientiamque nostram. Ecce ergo Hispanus Leo ille magnus, mundo iterum terrorem armorum, fragore incutiet, rugituque feras omnes exterrebit. Iam veró adest alter Leo, non de sylvâ, sed de medio huius dissertisſimæ coloniæ, qui non armis non vngulis, sed scriptis acutisſimis, studio per vigili, sublimi scientiâ, eloquentiâ inaccessa vestra munimenta expugnat, ergo nostra corruent, an vestra labuntur? Quid ni ergò, Leo vigilantisſimé, tua opera, vel ab opportunitate extollam,

Momentum haud exiguum confert,
Rebus agendis opportunitas
Consilia omnia superat

Vereor ne, dum censoris officium tuo coactus imperio assumo, encomiastes videar; tu verò forsam me rigidum in his sentis cẽsorẽ.

Censura in magnis rebus data en exigua est laus.

Fateor, satiusque vtrique nostrũ prospexisse, si hoc vnũ respõdisse.

Longe igitur tacere præstat
Me, quam pauca loqui indecenter; & sic
Non lucem addere, sed magis tenebras
Contingat titulis tuis amicum.

Verum censuram aggredior, arrige aures. Lipsium Novum hunc Orbem de barbarie notantem legeram: totoqué stomacho in eum actus, virum aliquem eruditum adesse optabam, qui arrepto calamo in eum acriùs inveheretur, cùm nescio quis ad aurem

Hæc præda Leoni
adunco *Competit: illeque atrox vngue hunc discerpet, & adhunc*

Ventum est in campum. Clamo:

Ferte citi ferrum, date tela & scandite muros

Arma parta victoria examino, confligendique modum disquiro, arma quidem victricia Iurisprudentia præstitit, artem pugnandi eloquentia ministravit. Iacebat Lipsius inermis, atque nudus: at superstes. Parcere subiectis (aio) generosum; at debellare superbos, nobile victoriæ genus est. Qui ergò Lypsius necem evasit promeritã? Tunc Leo noster versat illud.

Optimus est homini linguæ thesaurus, & ingens
Gratia quã parcis mensurat singula verbis.

Dat manus conceptus meo pectore furor: & insto. Decuerat, vir colendissime, tuo in nomine hinc præliandi morem præcognovisse sublime. Quippe

Dominus Didacus de Leon Pinelus.

Anagrammate inversum sonat

Deiiciens Lipsi nudi sum, non lædo

Lædis sanè nemine, corrigas licet; scripta tua mordebit nemo, nullus est, qui tua iã nõ exoptet opera cunctis potẽtia ista votiva est, nemo colendũ negat, quod profitetur optãdũ. Quid tãdẽ superest,

Materies tibi ergo nulla
Maior gloriæ erit petenda, quàm si
Lectorem fueris adeptus æquum &
Acris iudicij, ac proinde tanti
Quantum est ingenium tuum æstimantem.

Brevitati consulens dixi, vt valui, non vt volui.

Sed musa est opus eloquentiori,
Quæ tot pro merito sonare dotes
doceç.

Magist. Fr. Ludovicus de Aparicio.

SENSVS IOVIS
DE LIBRO, ET AVTHORE
MVSA EXPRESSVS
Sapientiſsimi & Religioſiſsimi Patris.
FRANCISCI AGVAIO
è Societate IESV.

IVpiter in parvo cùm tot miracula libro
Ingenij,& linguæ cerneret, obſtupuit.
Mox ait:ò ſuperi, cognoſcite ab vngue Leonem
Ætheris invidiam,deliciaſque ſoli:
Hic magis ornaret Cœlum,quàm raptus in aſtra,
Mellaque Sanſoni ſat meliora daret.
Scire ita Mercurius:diſcurrere vellet Appollo:
Scribere Ariſtoteles: Tullius ipſe loqui:
Luſtrari illius calamo ius optat vtrumque:
Afflati radijs ſacra profana petunt.
Vindice iam tanto lætare,America Dives,
Sæpius & victrix Io triumphæ cane.
Barbaries obiecta tibi non offuit: imò
Profuit ad laudes officioſa tuas.
Dum tuus ecce Leo rugitu territat hoſtes,
Claudit & indoctis ora ſoluta viris.
Porrigit abiecta iam haſta,tibi Lipſius herbam:
Et dictum indictum iam cupit eſſe ſuum.
Tu ſimul exulta, Limana Academia,tanti

Clar-

Clarior omni alia reddita voce sophi.
Longa enim scriptis vives per sæcula, nomen
Implevitque tuum Solis vtramque domum.
Debuit Ida mihi si multum: Thracia Marti;
Roma Numæ: huic debes non minus vna viro.
Macte animo, tu perge Leo, sapientis & oris
Nectare mortales pascito & Ambrosia.

R. P. MAGISTRI FR. MIchaelis de Aguirre Augustiniani Orthodoxæ Fidei sancti Tribunalis Qualificatoris, & Limensis Lycæi Professoris Primarij ad Divam Theosophiam.

EPIGRAMMA.

AMERICA DE IVSTO LIPSIO Queritur, & Authorem laudat.

QVid me Barbariem dicis? Quid pignora nostra
Non, Iuste, insimulas? Indicus Orbis ait!
Nam licet ingenij non tot miracula nosses,
Quæ sunt Occiduis luxque, decusque plagis;
En Pinelus adest, Limani germen honoris,
Me latium vt vocites, hic satis vnus erit.

DO-

PRIMATI
REGIO PRÆTORIO LIMENSI:
AVGVSTISSIMI QVATER MAGNI REGIS NOSTRI

PHILIPPI
MYSTICÆ IMAGINI:
CONSVLIBVS
INCLYTIS,ET HEROICIS LIBRIPENDENTIS ASTREÆ LVMINIBVS, AC NVMINIBVS:

INTEGRITATIS
ATHLANTIBVS, CEV MEMBRIS DEBITA SYMMETRIA COMPACTÆ:

SVMMORVM COLLEGIO:
HYPOMNEMA APOLOGETICVM PRO ACADEMIA *Limensi Regiâ,cui accedunt Dissertatiunculæ Gymnasticæ Palæstricæ Canonico-legales, sive promiscuæ:*

LIBENS,MERITOQVE,

DOCTOR D. DIDACVS LEO PINELVS

In prædictâ Regali DIVI MARCI *Academiâ omnium Scientiarum emporio Primarius Canonici Iuris interpres publicus, & in Regali Cancellariâ Patronus.*

O. D. C.

SCVTO PATRONI

INSIGNI HOC



INSIGNITE

FOELICI, LIBER, EVOLA VOLATV

EXIGVVM Sanè munus Senatores quærit Regios. Iam non exiguum, inve nit vtique gravi iudicio, & Chilonio pectore favitores. Dignitas

enim eorum, qui ſedent in puppi, quid niſi præſidium designat? Mentis conſtantia, nisi propugnaculum? Trabea, niſi ſplendorem? vt de aureâ fibulâ Emblematarius.

——— hæc ſigna tulerunt.
Antiquâ illuſtres nobilitate viri.

Hos vitiorum domitores, quasi in Athenis Decemviros, velut Iuſtitiæ Antiſtites, & manuum extensione probatos â populo, quibus etiam

Eſt æquitatis oculus, omnia qui videt,

Noſter quater Magnus Orbis PHILIPPVS Rex vtriuſq; Peruvij fecit ſui Athlantas Imperij; sic

Diſperſit cum Sole manus.

Sic eos tandem alloquitur.

——— Vos ô mihi proxima membra
Cõſcripti patres, noſtri ſpes maxima Regni:
Vos eſtis pectus, vos brachia pectoris huius.

Ad

Ad excelſum ergò Senatorij nominis tholum, & alta faſtigia opellam hanc appendo meam. Sic effingo aliquid, & excudo perpetuum.

Plaudite boni

Sub auſpiciis enim Senatus edita, nōdùm ante mediocria, ſed parva decet nunc beneficio munita, quovis etiam libore frendente, sine pudoris repagulo proferre. O quàm præclara vis authoritatis, & heroa! addit muneri pompam, non ſolùm præeſt, ſed prodeſt. Et ſi

Fœlici quæ ſunt omine facta iuvant,

Illius ecce nomen, & omen eligo, vt non morer iterum, quos habui oculatiſsimos appellare fortunæ meæ teſtes: quos habet Academia Iudices. Nam licet perſonarum eminentia, Conſularis infula, Regia munia, *miſtica Maie- * myſtic

ſtatis

ſtatis imago: non tã illos à cæteris diſcriminant, quàm protinus abſtrahunt: literarum aſſecla quos, niſi infulatos Proceres ſupremi ſubſellij viros Patronos habebit alumnus? Quos Academia patrima nisi patres? vt gubernẽt, vt tueantur, & præcipue dum

——— Civilia paſsim
Bella tonant, trepidumque quatit diſcordia
Mundum. ———

Hinc mihi fidentia naſcitur, vt Apologiam, vt mentis prolem, ſtylum fortè ſuavem, & vbertatem in re Canonicolegali non iam ſtatim fertili, generosè potius, quàm ſupervè expansis manibus offeram: & vt laboris perenet laus, & gloria, publicæ committere faxi lucubrationes non dubitem in gratiam defæcatarũ mẽtium hominũ probi cordis, & oris. Inlibere (siquidem

dem iure) Patronum operis Regium exopto Senatũ, vtpotè Regalis Academiæ noſtræ caput omnia dirigẽs, quæ ſcientiarũ circumdata muris, & Doctoribus inſtar cœli ſyderibus ſtellata fulgentiſsimis: nobilitate conſpicua: ſtudijs florens inter alias Mundi extat insignis; vbi Sapientia.

Ipſa ſuis pollens opibus. ——

Ferè provocatus ſcribo, ne sit venia difficilis, cùm LIPSIVS ille eruditus indiſtinctè lædat in periodo brevi. Hanc expendo in Hypomnemate. Gymnasium deſcribo noſtrum Limenſe publicum, & Regium. Et licet ego omnium minimus Doctorum eius, aliqua ex his, quæ ſyllabatim recitavi do lubens in signum præcipuè gratitudinis, & obſequij Patrono: gratum animum Regio Senatui; Sena

toribus

toribus; quos amare ſemper cum veneratione libet, opellam do pignori debitionis cauſâ; cuius ſum mihimet ipſi teſtis; do fiduciariâ lege, ſed in commiſſum malo cadat voluntas; vt perpetuo ſit mancipata; ſine ſpe remancipationis.

SILENTIVM PROSEQVITVR: HOC VBERTIVS EST, ET SCIENTIVS.

DOCT. D. DIDACVS LEO PINELVS.

LECTORI.

PRÆFARI te cum, bone Lector, moris vitra memoriam est; ego vero nisi te tantummodo salutem, quid præmoneam, non habeo: doctis enim, ac dissertis viris scripta advocato non egent, pro se loquuntur; neque in se strictum malevolentiæ ferrum formidant. Vomat virus invidia, nec secus atque cristatus serpens volumina in virtutem erigat. Quid ergo? non ne demum iuridicum vitium sibimet genuinum infiget, extaque sua rodet ac devorabit? Huc detorqueam, quod de Principi detrahentibus Princeps benignissimus iudicavit, *satis suo furore punitur*. Describo Limensem Academiam, IVSTVM LIPSIVM expendo seu cum ipso expostulo sensum lædentis periodi, opus veniâ dignum, cum filius pro matre propugnet in causâ honoris, & famæ. Deindè incidenter aliqua non trivialiter scribere animus difficillimum tulit; sed fortè peregit. Candida hîc ac liberalia ingenia, si non Sophiã, Philosophiã saltem agnoscent, animosisque favebunt conatibus illius, qui vt gratum se commendet; non ingratæ lectionis opuscula, & alia, quæ adhuc sub incude gemunt in præsentiarum edere satagit, subfuratis & magisterio & patrocinio ad dispositionem non nullis horis, eoque ipso palato eruditorum suaviora, quia furtiva. In vestibulo tamen adverte, me in Dissertatiunculis vivam præteritis diebus vocem publicæ* in concertationibus pro agonismate repetitam transcribere, nec licuisse exemplar multò maius, nec omninò simile ostendere prototypo. Quapropter humanioris literaturæ Canonico-legalis pedissequæ promptitudinẽ cohibere necessum fuit: & quia promittit veniam APVLEI Madaurensis Platonici sententia: *Sic fermè assolet apud prudentes viros esse, quòd in operibus elaboratis iudicatio restrictior, in rebus subitarijs venia prolixior*: audeo extemporalia scribere. Fuere nunc, & Vale.

* publicè

ERRATA.

Nullus est, qui vitare possit, etiam oculatissimus: semper enim aut superest oblivio, aut ignorantia Tipographi.

F. Folium numeratum: T. illius transversum: L. lineam indicant. Sic ergò sequentia corrigito, quæ margo non corrigit.

F.	T.	L.	*Error.*	*Correctio.*
3		28.	Gardinalem.	Cardinalem.
17	T.	36.	proclamatè.	proclamate.
24	T.	30.	Nonius	Nonium.
27		10.	Quòd	Quod.
28		23.	Acuri	Acurcij.
28		24.	profussam	profusam.
29	T.	36.	retronfingens	retròfingens
17		25.	Doctor.	Doctorem.
37		21.	mo	imò.
36		21.	comissoria.	commissoria
36		20.	Diggestorum.	Digestorum.
39	T.	34.	schols	scholis.
44	T.	32.	laterè	latere.
10		26.	exinstitute	ex instituto.
16	T.	12.	quorum	quarum.
m		27.	Babilonisi	Babilonici.
29	T.	17.	Diggestorum	Digestorum.
106	T.	31.	equivalere	æquivalere.
80	T.	4.	interpraetor.	interpretor.
124	T.	20.	nam	nec.
137		31.	reputari	reputat.
102	T.	4.	Aoton. Dian.	Anton. Dian
109		34.	quim.	quin.
109	T.	25.	conditianale	conditionale
112	T.	25.	oblitarare	obliterare.
124	T.	20	nam de alijs	non de alijs.
130		20.	tanta est	tanta est.
139		36.	quatum	quantum.
11	T.	31	Scholasticum	Scholasticos
16		11	ceruleæ	cærulea.
18		12	Diggestorum	Digestorum.
f		24	recens	recèns.
25		35	alias	aliàs.
28		11	aducit	adducit.
28		23	Diggestorum	Digestorum.
36		27	domonio	dominio.
63		34	tacitas	tacitâ.
72	T.	16	simpsit	sumpsit.
80	T.	24	umfili	filium.
81		11	apparat	apparat.
82	T.	32	Salviæn.	Salvian.
2	T.	1	cæpereunt	cæperunt.
58	T.	15	corporalia	incorporalia
14		30	lauristæi	laristæi.
139	T.	6	Martial.	Martian.
141		3	coniungij	coniugij.
152		6	fecundissimos	facũdissimos
136		26	solesismum	solæcismum.
32		20	mutatio	mutuatio.
26		17	obstrocto	obtrocto. (li.
98	T.	27	delitisa seculi	delitias secu
136		30	solesismus	solæcismus.
131	T.	36	evidenter	evitentur.
15		20	Tertual.	Tertull.
Dicatum			perenet	perennet.
ibidem.			perenis	perennis.

PARTITIO
OPERIS

HYpomnema Apologeticum *incipit, redditq; rationem tituli.*

Descriptio *brevis Academiæ Limensis subsequitur continuò per viginti sequentia capitula.*

Cap.I.*Diadema.*

Cap.II. *Ædificium, quasi navis exercitoria doctrinarum.*

Cap.III.*Chorus vnius veritatis multiplex Theologiæ scholasticæ, sacræ Scripturæ.*

Cap.IV.*Canonicarum sanctionum, Iurisconsultorum, & Cæsarum quasi Delubrum.*

Cap.V.*Philosophiæ, Metaphysicæ; Medicinæ funiculus triplex.*

Cap.VI. *Cathedra linguæ insigne Regiæ pietatis argumentum.*

Cap.VII.*Honoraria Cathedrarum.*

Cap.VIII.*Rector, Claustrum Doctorum, Religiones in Auditorijs.*

Cap.IX.*Rector pro tribunali, & Athenæum maius, veluti ædificium vivum.*

Cap.X.*Capella, Capellanus, Festivitates maiores*

Cap.

Dis-

Dissertatiuncula IV. *Brevis & legalis commentatio est ad textum in cap. cùm tibi 15. de Testam lib. 3. Decretal. & novum intellectum continet l. 1. D. de legat. 2.*

Dissertatiuncula V. *Speculatio est laconica selectiorum capitum tituli. Qui filij sint legitim. in tres partes secata.*

Prologium *Rubricam indicat.*

Pars I, *Expositionem continet capitum conquaestus. Causam 4. Tanta est vis. 6. eodem titul.*

Pars II. *Glossa dicitur ad capita Cum inter 2. Per latum 8. Quod nobis 9, Referente 10. Pervenit 11. Ex tenore 14. eodem titul.*

Pars III. *Dilucidatio est textus celebris in cap. Per venerabilem 13. eodem tit.*

Tandem

Hypomnematis Apologetici *extrema aut fibrae, quibus, quasi pessulatum obditur opus.*

HYPOMNEMA
APOLOGETICVM PRO REGALI ACADEMIA LIMENSI IN LIPSIANAM PERIODVM.



NTER opera IVSTI LIPSI *Lovanium, id est, Oppidi, & Academiæ eius descriptionē*, noctu manus folia replicans, & compaginans, repentè visendam conniventibus iam oculis obiecit. Statim somno excitatus, sermone delector, ab eloquentiâ, quasi à Syrene rapior, & amœnissimâ verborum pompâ delinitus, pauxillatim ad caput sextum pervenio; cui titulus: *Vetus Academiarum specimen in Oriente, itemquè Aetiopiâ, Africâ, Novo Orbe.* Nostram Limensem tunc temporis tranasse maria, etiam

extera suspicatus, inhians laudibus Lipsianas quæritabam; nam si à minoribus profectas iucundas voluit PLINIVS, à Proceribus quippini? Lingua velociter, sagittæ instar per carmina, per literas currens; post Athenas & Rhodum, Alexandriæque Musæum, scholas numeravit Brachmanas, & Gymnosophistas, in Iaponia Bonzios, in Africa Abyssinos, Academicos scivit. Ædificia miratur, incredibilem veterũ scholasticorum numerum, & amplissimas aulas Carthaginis, huius non plenè meminit IVSTVS: D. AVGVST. meminit *lib. 5. confess. cap. 8* ibi: *Apud Carthaginem fœda est, & intemperans licentia scholasticorum, irrumpunt impudenter, & propè furiosâ fronte perturbant ordinem, quem quisque discipulis ad proficiendum instituerit: multa iniuriosa faciunt mirâ hebetudine, & punienda legibus; nisi consuetudo patrona sit; hoc miseriores eos ostendens, quò iam quasi liceat faciunt, quod per tuam æternam legem nunquam licebit, & impunè se facere arbitrantur, cùm ipsâ faciendi cæcitate puniantur, & incomparabiliter patiantur peiora, quàm faciũt.* Proh dolor! prava hæc morum intemperies longâ vbique præscriptione munita est. Descriptarum approperat iam vltima linea rerum, & de Novi Orbis Academijs nullus sermo irrepserat. Quum tædio captus librum claudere statuissem, ecce subitò, non oblivionis, sed grandioris noxæ reum, generalis verborũ sonitus LIPSIVM accusat. ibi: *Quid etiam? ad Novum Orbem ibo? sanè ibi Barbaries.* Non hæc linea, de quâ TERENTIVS in Eunuch.

certè extrema linea
amare haud nihil est.

(Scio, ne carpas, TERENTIVM id voluisse, quod solemus, dũ dicimus, *Vsquè ad finem diligere: amar por el cabo:* ductâ metaphorâ à lineis, quæ in stadio.) Suffuso rubore, pudibundi intus animi tumultum oris trepidatio designat, nam gymnasium pudoris secretum est:

sensu dolor hæret in alto
Abditur, & tacitas vindictæ præstruit iras.

Ah LIPSI! clamitavi, casu mihi adversarius obvius es: tecũ

con-

contendam. In te culpa est, qui provocasti, non ignoscenda, nisi roganti. Et licet tu ille primus eruditione, suavis, facundus, cui pedisequam familiarem modestiam passim tribuit AVBERTVS MIRÆVS tuus, generalem illam, Phœbeæque veritatis rationem annectens; *nihil est omnium quod hominem cuilibet magis gratum, acceptumq; reddat, quàm modestia*, vt te Mundó plausibilem prædicet; in defensionem rudes etsi meas, nec repurgatas schedas edere non erubescam, & licet humiliter dicam, constantèr exponam. Si tu sapiens es, vt es; vbi aurea lingua? hæc (vt AMBROS. *epist. 21. ad Valenti.*) sapientum literatorum est, quæ phaleratis dotata sermonibus, & quodam splendentis eloquij, veluti coloris pretiosi corusco resultans, capit oculos animorum, specie formosi, visuq; perstringit. Compellis satyram simulatam sub vno verbo multiplicem, retundere. PROPER. consulit:

voces compesce molestas.

TIBVLLVS, adhuc fervens timet:

Excutiunt clausæ fortia verba fores.

Et vt PINDARVS

Oportet cuilibet

Conantem frangere adversarium.

Famæ si detrahis Orbis vnius, cur non magnificè, vt hortatur HORATIVS,

Verbisque decoris

Obvolvis vitium?

Sed adeò fortitèr, vt saucies. Iam vulnerum dolore excrutior, imò plusquam vulnerum, quia nonnunquam plus cõturbant verba. Ast cùm me toto indigeam, faciam denique, quod ille semper vir memoriâ dignus F. IOAN. MARQVEZ Salmanticẽsis Theologiæ Magister *in origin. Monach. S. AVGVST.* prædicit *cap. 1. ibi: Procurare sin embargo templar el mio, para que no me sea impedimento en este oficio piadoso, a que he dedicado mi trabajo.* Non ne sapiens vbique civis? cur ergò patriam, quam anxiè appetunt nationes, eviscerant, contemptu describis? ad Novum tu solus excusasti, cùm posses venire Orbem?

Tanta

Tanta ne te nostri cœperunt tædia mundi?

Hæc cùm proferens accingerer ad prælium, ad periculum,
veritate duce, tibicine famâ, quam nostra præfesert Acade-
miâ, iustitiâ fissus, dolore coactus, impellente amore; nemo
enim maiori fiduciâ vtitur, quàm qui ex affectu diligit, sive
in bello, sive in pace, cui mors dulcis adhuc est, & decora.
vndè sumpsit HORATIVS sententiam, *Dulce, & decorum est
pro patriâ mori.* Et HOMERVS, *Optimum auspicium pug-
nare pro patriâ*, cuius dulcis est amor, & suavis *l. qui habe-*
6 *bat* 101. ibi: *Suavissimæ patriæ meæ.* D. *de legat.* 3. Ecce in
transversâ paginâ, etsi non ex integro, nec ita planè, & eno-
datè, vt volui, quasi pallinodiā canis, & vela vertis. Matiga-
tum te novi. ibi: *Sed tamen apud Mexicanos lego, scholas in
templis fuisse, & ad eas divites præsertim, nobilesquè filios
suos missitare solitos ab anno ætatis quinto, vbi à præceptori-
bus docebantur, nequè egredi fas erat, & ad vsum iuventutis
huius, terræ & agri erant; è quibus fructus, & annonam
colligebant.* Vix percipio, cùm fronte percussi:

Conscia mens recti famæ mendacia ridet.

Nam GOMARAM Mexicanum historiographum te tran-
scripsisse vidi, qui de Idolorum tempore & templo illo tūc
barbaro *Teucalli* loquitur *tom.* [illegible] *Histor. fol.* [illegible]13, & inscriptio
tua, licet per involucra, & integumenta denotat. ibi: *Vetus
Academiarū, &c.* Ab hinc vt omnibus clariùs pateat, trāscri
bo etiā GOMARAM ex editione Hispa[illegible]. ibi: *Los pobres ense-
ñavan a sus hijos sus oficios, no porque no [illegible] libertad
para mostralles otro, sino porque los aprendiessen sin gastar
con ellos. Los ricos (en especial cavalleros y [illegible]) embiavan a*
7 *los templos sus hijos, como avian cinco años, [illegible] esta causa a-
via tantos hõbres en cada templo, quantos en otra parte dixe:
alli avia un maestro para dotrinallos: tenia esta congregacion
de mancebos tierras propias, en que coger pan y fruta; tenia sus
estatutos, como dezir, ayunar tãtos dias de cada mes, sangrar-
se las fiestas, rezar, y no salir sin licencia.* Concordes in vna
sententia sumus, LIPSI, iam si mecum sentis. Sed cum de-
[illegible] apertiùs legem dicere, hâc in honoris, & famæ cau-

sa.

sâ, abstergere adhuc lubet maculam, seu scrupulum generalitatis illius; *ad Novum Orbem ibasq; vè ibi Barbaries*; quam constituis, vt regulam sequentia vt exceptioně. ibi: *Sed tamē apud Mexicanos*, &c. quin *Indos* dixeris, aut supponas: & sine iustâ causâ te nostri Perutini gymnatij, prorsus oblitū demonstrare. Doctis, & laboriosis Charybdis hæc nō est, aut Scylla, Fateor. Sed ne ansa sit errãdi malevolis, & detracto- 8
ribus, quiete rē inquirã, non enim, vt ipsi percutiunt innocētiam, repercutiendi sunt, alioquin, vt ait B. VMBERT. *de mal. impat. c. 44. quãdo de detrahēte se quis vindicaverit, plus amittet, quia tribuit tunicam tunicam, tollenti palliū bonæ famæ.* Sale si vtar, LIPSI, & aliquãdo stylo fortè lepido, in parvis erit rebus. Permitte, sustine; putridus nè sensus inexplicatus verborum tuorum fiat, & malè oleat, fecero: iam enim legi (& miror) in notis ad LVITPR. doctissimis in lucē editis, ab eruditissimo viro Dom. D. LAVRENT. DE PRAD. pag. 424, generalitèr verba tua accipi, & sinè distinctione. ibi: *In Novo etiā Orbe scholæ, Doctores, & salaria. Ex Gomara trãscripsit Lipsius, cap. 6. vbi de Mexicanis legisse ait, &c.* Statim relegi GOMARAM, qui clarè de Idolorum templo, & tempore loquitur, vt iam dixi, & constat clarius in titulo *Encerramiento de mugeres*. ibi: *Tenian sus ciertas sangrias del cuerpo, con que aplacer al Diablo.* Modestè idem refert BEYERLINCK, *in Theat. vit. hum. tom. 1. lit. A. in tit. Academia vers. America.* Sermonem meum sustinebis indubiè, imò adeo te docibilis cordis fuisse reor, vt si adhuc viveres hæc præsciens (nescio an dicam apologiam, an commētum) imitareris Eminentissimum Gardinalem BARONIVM, qui tenacitèr negans adijsse Hispaniam Div. IACOBVM, perlegens librum Doctoris DIDACI CASTILLO Hispanorum opinionem viribus defendētis: illi respondit, qui refert in prologo, *Imprimildo, porque no se engañen otros cerca de la venida de Santiago, y predication en España.*

Heus ergò tu! quisquis fueris; qui rogas LIPSIVM in 9
Lovanio, non ne fateris capite 1. exteros non congeriem lapidum, aut pratorum, colliumq; aspectū trahere ad oppidū,

sed

sed Musam, & Minervam, quæ ibi sede habent. nō, hic & cohæret LIPSIVS, instar dialogistæ, quinque classes, sive (vt loquitur cap. 3.) facultates, Theologiæ, Iuris Canonici, Iuris Civilis, Medicinæ, Artiūq; dinumerans, vt tandem Lovaniū scientiarum inferat eminere studijs? Audi etiam, non Limæ
8 Regiæ Vrbis, & Orbis huius Novi, & primæ sedis frontem, nitorem externum, insignita omnia (liber vnus integer vix numerabit) MARS hîc gradivus, & MERCVRIVS simul,

Iustitiā pacem, viribus arma gerunt.

Audi (inquam) Animam, Academiā. Breviter describo Regiam D. MARCI Patroni, & tutelaris. Præbe faciles aures.

CAPVT I.

DIADEMA.

10 Diadema illius eximium impretiabilis notitia literarum est: vtpotè scientiarum, quæ exercet acta diurna. Regalis inscribitur, quia Regis nostri Catholici PHILIPPI IV. Magna quia MAGNI, Pientissimi, & Potentissimi omnium, qui sunt in sublunari globo Regum, honorarijs fruitur in quantitate 16ij. numorum argenti. Iustiùs miretur, qui & VESPATIANVM laudat SVETONIVS, *de illo cap.* 18. quia primus è fisco Latinis, Græcisque Rhetoribus annua centena constituit, idest bis mille & quingentos philippicos, vt numerat LIPSIVS. A MACEDONE iam nolo appellatos, sed à Progenitoribus, & PHILIPPO NOSTRO IV. MAGNO, sed qui capitur in cordibus vniversorum, vt prudentèr, inquit, CARAMVEL. *in Philipp. prudent.* ad effigiem Magni *fol.* 89. Dedecebat aliud agnomen Hispanorum Monarcham; IOB. *cap.* 39. salutem vt homini? ævum optem potiùs vt Angelo; &

Si fas est hominem cum Iove posse loqui.

Verior dicam, quàm CÆSARI OVIDIVS.

O vir non ipso, quem Regis Orbe, minor.

Vel vt ille, qui Romam adfatur apud LIPSIVM de magnitud. Roman. c. 1.

Quod

Quod regnas minus est, quàm quod regnare mereris,
Excedis factis grandia facta tuis.

Vnusquisque Proavûm ab Imperatore invictoCAROLOV. 11
vsque in hanc diem reparavit, ornavit, auxit. Maximus totius Ecclesiæ Romanus tunc Pontifex PIVS V. anno Domini 1571. 8. Kal. Iulij auctoravit, nunc stat, augetur, crescit. Erigendæ enim Academiæ ius est penes Pontificem, & summos Monarchas. ADAM. CONTZEN. *Politicor. lib. 4. c. 13. §. 4.* communiter *DD. in l. Deo Authore C. de veter. iur. enucle.* Narrat longiùs originem F. BONAVENT. SALINAS, filius huius Academiæ, & nunc Divi FRANCISCI Religiosissimus *in Memor. histor. Novi Orb. cap. 7.*

CAPVT II.

AEDIFICIVM, QVASI navis exercitoria Doctrinarum.



Edificium Regium: adspectu grave: Porticu cognitû, & armis. Capella incipit, in omnibus principium DEVS, qui si non ædificat, in vanû qui ædificãt. Septem successivè in angulo Auditoria, sive Aulæ constituunt Prætorium Minervæ. Fuerunt & in Athenis totidem varijs nominibus appellata, videlicet, Academia, vndè Academici dicti, alij dicunt Ecademia, iuxtà illud HORATI, *lib. 2. epist.* 12

Atque inter sylvas Ecademi quærere verum.

Lyceum, Prytaneum, Canopum, Stoa, vndé Stoici appellati, Tempe, Cynasarges. Numerat LVDOV. VIVES in notis ad Div. AVG. *de Civit.* DEI *ad Marcell. lib. 8. cap. 12.* aliter CONTZEN enarrat. *lib. 4. Politic. cap. 13.* indè spargunt lumen, & nomen populo ingenia.

candore nitentia claro,
Hîc semper
ars in pugnâ,

Licet

Licet inter omnes Professores:

Alternum sanctæ fœdus amicitiæ.

MERCVRIVS hic filiã PALÆSTRAM alit: Æmulatio ingenia: hic Hermathena: Academiæ proprium ornamentum sapientia, hæc finis, quærunt iuvenes, quærunt senes; ideò CATO olim frequens in Senatu: SENECA in actu semper, testatur ipse *de oti.sapie.*& vtitur VIRGILI sententiâ:

Caniciem galeâ premimus.

Et *epist*.76.rationem reddit ibi: *Quid est stultius, quàm quia diù non didiceris, non discere: omnis ætatis homines schola admittit. Tandiu discendum est, quamdiu nescias, si proverbio credas, quandiu vivâs*, fertur etiam IVLIVM CÆSA. post necem POMPEI Philosophos audire solitum in publicis gymnasijs, APPIAN, II, *civil.*

14 Hic MRECVRI Mystæ: PLATONIS Ideæ, quas MINERVAM esse voluit VARRO: tria illa, quæ DIV. AVGVST. in vnoquoque homine artifice requirit, locupletantur: videlicet natura, doctrina, vsus: natura ingenio: doctrina scientiâ: vsus fructu. Hic iura fori clamosa tacent, sed hinc portat Causidicus: mentium incus dulci strepitu cordis, & oris côtinua, in quâ expoliuntur sententiæ, & expurgantur errore nativo homines, nam

Humanum est labi, errare, nescire, decipi.

Ideò rectè Philosophus: *Minimum esse*, inquit, *quod novimus, maximum quod ignoramus.* Verùm consuetudo discendi, faciliora tandem reddit omnia. Mirificè id probat exemplũ D AVGVST *lib.* 2. *de morib. Manichæ. cap.* 8. ibi: *Sol, quo nihil inter visibilia pulchrius invenitur, Aquilarum oculos vegetat hominum sauciat inspectus, & tenebrat, sed fit per consuetudinem, vt nos quoque in eo sinè incommodo aciem figamus.* In Academijs custoditur scientiæ, & doctrinæ clavis, inibi ostenditur via salutis Hinc prodeunt, quorum scientiâ totus illuminatur Orbis, vt in laudem studiosorum loquitur Imperator in *Authen. habita C. ne fili. pro patr.*

CA-

CAPVT III.

CHORVS VNIVS VERITATIS multiplex, Theologiæ Scholasticæ, Sacræ Scripturæ.



THEOLOGIÆ, & SACRÆ SCRIPTVRÆ templum ingenia colunt Indica, nullius alterius Regionis acuminibus indigentia hominum, aut invida. Reginæ huius ſcientiæ ſunt ſeptem, quaſi ſtationes, ſeu Cathedræ. Manè Auditoria occupãt; PRIMARIA, quæ ſicut & nomen, primã horam ſibi vendicat: & quæ ſubſequitur, lectio SACRÆ SCRIPTVRÆ: Quã proficua! cùm adhuc ſolis manibus ſacrum tangere divinorum librum proſit. Didici ex S. CHRISOSTOMO, *homil. 29. in Geneſ. Domi divina* (inquit) *Biblia in manus ſumite, indè enim multum lucri naſcitur*; nam vt B. LAVRENT. IVSTINIA. *de cõtemp. mund. cap. 4. Sacra Scriptura tota ſancta, tota ſacramentis gravida, tota decora ſentẽtijs, nihil in ea ſordidum, nihil obliquum, nihil vacuum, nihilque reperitur veneratione indignum, fulget in ſe, intelligentibus ſapit, facit credentes, amantes nutrit, dirigit peregrinantes, neſciẽtes docet, lætificatq; ſperantes.* Maieſtatem illius explicat TERTVL. *in Apolog. lib. 2. c. 20.* ibi: *Iam offerimus pro iſta dilatione maieſtatem Scripturarum.* Hîc omnia ex tripode dicta. Succeſſivo ordine, quæ dicitur SVPERNVMERIA MAGISTRI SENTENTIARVM altera, quæ VESPERTINA DIV. THOMÆ, item, & alia THEOLOGIÆ MORALIS. Poſt meridiẽ PRIMA VESPERTINA Theologiæ Scholaſticæ incipit. Claudit numerum ſeptenarium; quam appellamus SECVNDAM VESPERALEM. Non ne verè dicam hîc Sapientiæ theſaurum? ſalutiferamque praxim? ex quâ mille contra errores clypei pendent, & ſynthemata totidem? Hîc admiranda ſua opera DIESPITER edo-

cet mortalium mentes, vt consciæ diuinitatis sint. Scientia hæc sceptro potitur, ostium sine repagulo conclusum eius, solis patet Fidei cultoribus, solùm hi Sole pascuntur.

16 Manè etiam Cathedra DIVI THOMÆ Academiæ non elinguem cludit honorem, quæ heroico Angelici Doctoris fulcro munita, nunquã tellis expungitur vllis. Hîc Dominicana euangelizantium decora familia Regalibus simul stipēdijs agit excubias. Hâc in exedrâ Theologiæ veritas purissima, veluti in florido lectulo requiescit. Fides est quasi in scuto, doctrina denique profitetur, quæ manalis lapidis instar fluit.

CAPVT IIII.

CANONICARVM sanctionum, Iurisconsultorum item, & Cæsarum, quasi delubrum.

17 Pontificij nunc, & Cæsarei iuris limina cerno. Hîc legũ chorus, Canonũ isonomia viret. Manè PRIMARI duo sunt iuris alterni publici interpretes, & Canonici, & Civilis: INSTITVTARIVS subsequitur: vesperè suggestus CODICEM sustinet IVSTINIANI: DECRETALIVM lectionem vnam; legũ DIGGESTI NOVI aliam. DECRETVM subsignat diem:

Turpe illis sine lege loqui, lex semper in ore.

Septem ecce iterum stationes, in quibus, Conciliorum statutis, Pontificum oraculis, Sanctorum Patrum sententijs, veterum Consultorũ responsis, Imperatorũ rescriptis, vtriusq; iuris quotidie augetur gloriosa notitia. Præsidium hoc studiosi populi, quasi APOLLINIS Phanum; porticus semper adornata triumphis, queis incitatur sciendi cupidus ardor, & coronatur labor olivâ. Hîc ars boni & æqui, quæ Professores suos ad dignitatis culmina evehit.

CA-

CAPVT V.

PHILOSOPHIÆ, METAPHYSICAE, Medicinæ, funiculus triplex.

QVIS DIVIDET CONCORDES AQVILAS?



IN tribus Cathedris, PHILOSOPHIÆ, & METAPHYSICÆ manè, & vespere, velut in Amphitheatro, Elementa, Sydera, Motus, Terra, Cœlũ, Mundus, Natura denique suis vicibus certant, & humanus intellectus Sophiæ arcanorum helluo rerum creatarum anatomiã exercet. Prima hæc Athletarum disciplina nunquàm torpescit otio: tam citò terræ viscera penetrat, & Naturæ ima, quæ velut in secreto scrinio occludit, visu percipit, quã stelliferi globi, & luminariũ rimatur in se se flexus recurrentes: scientiarũ parens, sed omnibus præbet famulitiũ. Hinc omnes pẽdent artes. Fenestra hæc est, quâ intuemur spatium illud, vbi nihilum spatiatur, & è terreno domicilio regiones altas inspicimus, & animo peregrinari ausi sumus; dicebat APVLEIVS. Metaphysica semper puris veritatibus pollens nobilissima inter omnes disciplinas ingeniorũ acumina incitat, & quasi ad lydiũ lapidem scientiarũ examinat, vt tueatur principia. Medicina corporis pharmaca edocet. Hîc venenum GALLENVS reddit salutiferum: cicutam HIPPOCRATES vincit. Quæ ex salubribus plantis natura remedia componit, ars hæc liberalis perficit. Herbas vsque ad radices dignoscit: adhuc & mortis illud incertum temporis momentum aliquando divinat, & vt occurrat, per occultas humani corporis, & arctas venas remedia dispandit. Philosophiæ ergò & Medicinæ Herculeus nodus est.

CAPVT VI.

CATHEDRA LINGVAE, Insigne Regiæ pietatis argumentum.

19 St & alia Cathedra Linguæ, quam vocant *Quichua.* Catholici Regis nostri pietatem, & zelum signat; Indorum, vt non ignorent rythmum, qui in suburbijs, & minoribus populis spiritali saluti prospiciunt Beneficiati Doctores: quorum hæc vna cura est, ad æviternum Cœli portum barbaras antea gentes iam Fidei sanctæ nostræ professores ducere. Hæc lingua in Sacerdote, Cœlorum clavis, Idolorum mors, quâ Fidelium populus Evangelij hostes sternit, & iuxtà illud, *num.* 22. 4. *Ita delebit hic populus omnes, qui in nostris finibus commorantur, quomodo solet bos herbas vsque ad radices carpere.* Hanc linguam timens Dæmon in labijs Sacerdotum, incitavit fortè olim rabie Indos, vt immolarent Idolis partitam. Erat inter illos lingua Idolothytum quid. Locus est insignis probans in historiâ Imperij Magolis, &
20 veræ Indiæ. ibi: *Nagraut montana provincia, & extrema huius regni versus Aquilonem Metropolis eodem nomine censetur, in quâ sumptuosissima capella visitur, cuius solum, & tabulatum laminis aureis est indutum, & in eo Idolum colitur, quod vocant Matta, ad quod venerandum multa Indorum millia, quotannis constituũt, & particulas linguæ suæ præcisas ipsi immolant.* Sed iam lingua hæc sacrata DEO flammas evomit, & devoravit: vniversa inferni Draconis abstulit arma, & vt indomitos Barbaros (iam nec indomitos, nec Barbaros) Evangelij obsequio manciparet, ad Cœli limina fecit iter. Illustrat etiam cathedræ huius argumentũ CLEMENS V. *in clement. vnic. de Magist.* ibi: *Sed nec ignoramus quin, & hæc promi noscantur inaniter, vacuaque redire, si auribus linguam loquentis ignorantium proferantur. Ideò*

que

quæ ille, cuius vicem in terris (licet immeriti) gerimus imitantes exemplum, qui ituros per universum mundum ad evangelizandum Apostolos in omni linguarum genere fore voluit eruditos, viris Catholicis notitiam linguarũ habentibus, quibus utuntur infideles, ipsos sciant, & valeant sacris institutis instruere, Christicolarumq; collegio per doctrinam Christianam Fidei ad susceptionem sacri Baptismatis aggregare.

CAPVT VII.

HONORARIA Cathedrarum.



S*CIMVS, bonas artes* (dicebat SYMACHVS, *lib. 1. epist. 73.*) *honore nutriri, atque hoc specimen esse florentis Reipublicæ, ut disciplinarum professoribus præmia opulenta pendantur*: & TACITVS 21 *11. annal. Sublatis studiorum pretijs, etiam studia pereunt, ut minus decora*: & CASSIODORVS *2. variar. epist. 16. nutriunt præmiorum exempla virtutes, nec quisquam est, qui non ad morum summam nitatur ascendere, quando irremuneratum non relinquitur, quod conscientiâ teste laudatur*, &. ipse *7. variar. epist. 5. manus larga artium nutrit ingenia, quando qui de victu non cogitat, perficere iussa festinat*, sunt & apud CAROLVM SIGON. *in Historiâ de occid. Imper. anno 526.* aliter ac in CASSIODORO, ATHALARICI Regis verba his faventia. ibi: *Cum perspicuum sit, præmium artes nutrire, nefas iudicavimus, Doctoribus adolescentium aliquid subtrahi, qui sunt potiùs commodorum incrementis ad gloriosa studia provocandi.* Plura etiam circa salaria hæc publica SAMVEL PETITVS, *lib. 4. Misce. cap. 1. de numer. hæres. & sal. Gram.* Alia cumulavit præter nostra Dom. D. LAVRENT. RAM. DE PRAD. *in not. ad Luitprand. pag. 424.* Huc etiam novella LEONIS. ibi: *Vtinã meis tẽporibus eveniat stipendia militũ in Doctores artiũ absumi.* De stipẽdijs militũ, & origine, aliqua post LIPSIVM, CONTZEN. *lib. 10. Politic. c. 53. & 54.* & de nostris stipendijs, *lib. 4. c. 9. & lib. 4. c. 16. §. 1. Quemadmodum* 22

omnis

omnis Respublica præmiorum, & pœnarum expectatione gubernatur, sic etiam Academiæ. Hinc rectè dictum: neque merces est arti, nec ars ipsa floret. Languescunt omnia honesta, nisi illis etiam ab honore pretium accedat, quis enim studio filios consecrabit, si nulla præmia tam diuturno labori statuta sint? Iam non vt olim multi parvulis insonabunt.

Studium quid inutile tentas?

Ideò IVL. CÆS. Medicinæ Professores civitate donavit: ANT. PIVS Rhetoribus, & Philosophis honores, & salaria decreuit: ADRIAN. munificus, & liberalis erga publicos Magistros: ALEX. SEVE. non solùm Doctoribus, sed & discipulis, dummodo ingenui essent, annonã dari iussit; vt refert LAMPRID. Ergò dum stipendia sequuntur Regia describenda, dicam de Catholico nostro Monarchâ, quod de TRAIANO olim IVVENAL:

Et spes, & ratio studiorum in Cæsare tantùm.

Et quæ PRÆMEN. *pro Scholis Augustod. Inter omnia, quæ virtute Principum, ac fœlicitate recreantur, sint licet fortasse alia magnitudine, atque vtilitate potiora, nihil admirabilius hac liberalitate, quam fovendis, honorandis ve literarum studijs impartiunt.* Meliùs te, ò PHILIPPE, decet inscriptio posita Parisijs HENRICO III. Gallorum Regi: *Erexi artes huius sæculi, quas alam Regali venâ.* Refert STAT. CLAVER. *in annotat. aa Claudian de laud. Stilich. paneg. 2. lit.* K. VOPISCVS *in Aurel. laud, Pontifices,* inquit, *roboravit,* id est, redditibus opimis, salarijsq; demunivit, locupletavit: vt explicat ALOIS. NOVAR *in Adag. Sanct. PP. n. 965.* Solidãtur stipendijs aulæ & Gymnasia, vt vtar phrasi CASSIOD. *lib. 3. var. epist. 51.* ibi: *Largitate solidandum:* fulciuntur *l. 11. C. Theodos. de fil. milit.* ibi: *Nullis stipẽdijs fulciuntur:* vndè MARCELLIN. *lib. 23. Nec stipendijs aliquando fulta, nec donis.* Audi, iam distribuo. Litera, E, numos nostro idiomate *Ensayados* denotat. Litera, O. ordinarios vulgò *Corrientes.*

23 *Primaria Theol.*	800. E	*Vesperalis prima Theo.*	600. E
Primaria D. Thom.	800. E	*Vesperalis secũda Theol.*	600. E
Sacra Scriptura.	600. E	*Vespertina D. Thom.*	200. O

Co-

Primaria iuris Pōtificij.	1ij.E	*Vespertina Pontif. iur.*	600.E
Primaria Iuris Ciuilis.	1ij E	*Vespertina iuris ciuil.*	600.E
Decreti cathed.	600.E	*Institutionum.*	400.E
Primaria Medecinæ.	600 E	*Codicis.*	200.E
Philosophiæ prima.	400.E	*Metaphysicæ.*	200.E
Philosophiæ secunda.	400.E	*Medicinæ vespertina.*	400.E

Supernumeraria Magistri sententiarum nondum nisi honorem legendi pro quæstu.

Cathedra Linguæ Quichua. 400.E

Cathedra Theologiæ Moralis, erectio est Illustrissimi Domini Doctoris D. FELICIANI VEGA, qui iuris Pontificij in hâc nostrâ Academiâ Primarius interpres, & huius almæ Ecclesiæ Limensis Canonicus, & Primicerius, Episcopus Popaiensis creatus fuit, mox Pacensis, vir cedro dignus, & honoribus, quos habuit, meruit; & tandem Archiepiscopus Mexicanus obijt. Dotavit salario, & habet. 600.E Ex instituto, solius Dominicanæ Familiæ est. Electores iudices sunt Excellentissimus Prorex, Illustrissimus Archiepiscopus Limensis, Decanus Regiæ Cancellariæ, & Provincialis S. DOMINICI. Vidi iam, Antecessore huius cathedræ ad Episcopatum Sanctæ Crucis evecto, secundam electionem, anno Domini 1647.

Repetam igitur quod CLAVDIAN. *de laud. Stilich. paneg.* 2. in laudem Academiæ nostræ:

Egregios invitant præmia mores,
Hinc priscæ redeunt artes, fœlicibus indè
Ingenijs aperitur iter, despectaque Musæ
Colla levant, opibusque fluens, & pauper eodem
Nititur ad fructum studio: cùm cernat vterque
Quòd nec inops iaceat probitas, nec inertia surgat.



CA-

CAPVT VIII.

RECTOR, CLAVSTRVM Doctorum, Religiones in Auditorijs.



DOctores sunt sæpius ferè centum continuò. Sublime Claustrum. Hîc iudicum multitudo, vt quondam in subdialibus comitijs. Non minori iam ratione, quam suum LIPSIVS, RECTOREM meum dicam *Nomen magnum*, quo terrarum CLAVDAINVS insignivit superos. ibi:

Curarent Superi terras, an nullus inesset
Rector?

OVIDIVS

Mulcet aquas Rector pelagi.

MARO Iovem

& divum te maxime Rector
Iuppiter.

In bello etiam nomen hoc insigne. *Tacit. lib*, 1. *annal. cap*. 7. & PVTEAN. *In Palæstra bonæ mentis* fulgens appellat Rectoris sceptrum. Ideò semper in sublimiori loco est vtpotè caput, quod est veluti arx hominis: vndè MANILIVS *lib*. 4.

Stetit vnus in arcem erectus capitis.

Eligitur quotannis vesperè Sabbathi ante Dominicam in Alvis magnificè, & cum apparatu, alternatis vicibus inter ecclesiasticos, & sæculares Doctores. Deponit post annum Rector officium. Potest durare biennio, bis electus sine intermissione. Hîc scatebræ Dignitatum, & Archiepiscopis, Episcopis, Inquisitoribus, Senatoribus, Canonicis, Prælatis Religionum, Advocatis, velut Palladium ornatissimum. Exeunt hinc, velut ex equo Troiano, iudices relucētes, quasi à sapientiæ radijs, quasi à Sole, vt in omnibus Novi huius Orbis partibus resplendeat custodita iustitia. Familiæ sacræ S. DOMINICI, vtramque Theologiæ scholasticam, & Mo-

ralem.

ralem. S. AVGVSTINI Scholasticam, sacram Scripturam, Magistrum sententiarum, & Philosophiā REDEMPTORVM Ordinis scholasticam publicè in scholis edocent in prædictis stationibus, & cathedris. Primariam veluti Reginam, Metropolitanæ vnus habet Ecclesiæ Canonicus; Clerici Doctores, Philosophiæ, & Metaphysicæ: omnibus tamen permistim proclamate vocatis in vacationibus. (Quod sæpius cōtingit, enarro, & in præsentiarum,) Causarum insignes Patroni, quibus hæc pollet civitas, sacros Canones, & Leges civiles erudiunt, eidem fortunæ obnoxij sunt. Verè magnū Regium Senatum, cui tot inserviunt Academici viri! nam vt benè CONTZEN. *lib. 4. Politic. c. 14. §. 1. Cùm Senatū Academicum sapientissimum ex Theologis, Iurisperitis, Medicis, Philosophis, conscriptum continet, non est dubium vrbicam, quoquè curiam consuetudine doctissimorum virorum, & consilio sapientiorem fore.*

CAPVT IX.

RECTOR PRO TRIBVNALI, ET Athenæum maius, veluti ædificium vivum.



Athenæum præcipuum, maius dicimus, vbi madefactas studiorum oleo mentes continua palæstra dilucidat. Hìc præexercitamenta maiora: officina est omnis doctrinæ. Ædificij huius magni sunt aulæa viri, sicut olim Hermæ in Athenis. Quemque pictura, seu statua indicit splendidè, & luculentèr. Hìc mortui vivunt. Hìc solùm fama quærit vivos. Sunt hìc qui Palæstritæ velitati sunt, post, publici scientiarum Antecessores Didascali fuere: nam vt PLIN. *lib. 34. c. 14. Effigies hominum non solebant exprimi nisi aliquā illustri causā perpetuitatem merentium. Primò sacrorum certami-*

num

niam victoriæ, maximeque, olympia, ubi omnium, qui vicissent, statuas dicare mos erat. Et CASSIOD *lib. 6. epist. 6. Reverendũ honorem sumit quisquis Magistri nomẽ acceperit; quia hoc vocabulũ semper de peritiâ venit.* Audiat omnis publicus Interpres iterũ Senatorem Raven. *Sumpsisti nomen ex meritis, custodi, vt semper læteris veritate vocabuli.* Vndè rectè ADAM CONTZEN *lib. 4. Politicor. cap. 16. §. 2. Honores Academici publica sunt eruditionis testimonia* & *§. 1. Cæteri quidem honores à vulgo collati, minores æstimantur.* Honor Academias ab interitu vindicat.

28 Magnus hîc Gymnasiarcha, seu gymnasiorum inspector (vt de MERCVRIO olim dictum) RECTOR, inquam, pro tribunali, studiosi totius est populi Præses. (Generosum atque illustrem appellat MIDENDORPIVS *de Academ. lib. 3. cap. 13.* Magnificum, & Principem Academiæ alij dicunt) Dextram, & sinistram, primi trabeâ ornati viri Regiâ Senatores, Cancellarius, Hospites, dummodo Archiepiscopi, Episcopi, Titulati, cæteri deindè Doctores, & Magistri occupant; vt sit quasi in medio circuli. Si Rector abest, Vicerector adest; vtroque absente, Consiliarius maior, qui ex Doctoribus creatur. Sunt & sedilia Equitum, vbi Prælati Religionum, Decuriones Civitatis, Ordines militares. Dicebantur hæc olim equestria, de quibus SENEC. *lib. 7. de benefic. c. 12.* & PETRONIVS. ibi; *Ego etiam si ancilla sum, nunquã tamen nisi in equestribus sedeo.* & LAMPRID *in Alex. Sever.* ibi: *Libertinos quoque nunquam in equestrem locum redegit, &c.* Eminet ecce Rector inter illustres. LIPSI, mutua mihi CÆSAREM nostrum CAROLVM V. transcribo verba tua: *Aiunt,* inquis, CAROLVM *Quintum Imperatorem illum verè Augustum, cùm fortè hîc esset, loco cessisse, & latus Rectori texisse, magna humanitas, si non debuit, magna etiam si debuit.* Nam præsentia, & latus Principis extollit actum & Regium efficit, splendoreque magnificum *l. omnium C. de testam.* PLAT *in l. 2. C. vt dign. serv. lib. 12.* In Lovanio hæc

29 CAROLVS fecit laudandus perpetuò Princeps. Crede, LIPSI, CAROLVM in Lovanio Magnum, in hoc Regno Maiorem

loretm. Maluisset ergò hîc loco cedere Rectori, qui voluit ibi Cæsar. Verè CAROLVS est, quem pinxit IACOB. FALC. *lib.* 1. *epigram.* 4. *ad Carol. V* ibi:

Ostendam vobis Regem, quem iure putabis
Roma Numam, Martem Tracia, Creta Jovem.

Magnus hic, & Augustus Imperator iustiùs, quàm TITVS VESPASIANVS amor, & delitiæ generis humani, nuncupari meruit: ò verè Pij Reges semper nostri, in bello, & pace magnifici, & scientiarum Patroni liberalitate, & æquitatè pollentes: scripsit LANCELL. CONRA. *in Templ. omni. iudic. lib.* 1. *c* 1. *§.* 3. *in versi. aditu facilis.* PHILIPPVM II. illud sanè officiosum dictum observare solitum, si quando aliquâ die nihil cuiquam præstitisse cõtingeret. Amici, diem perdidi.

CAPVT X.

CAPELLA, CAPELLANVS festivitates maiores.



Ludit Academiæ ambitus Capellam, cui Capellanus inservit vnus quotidiè, Sanctorum Apostolorum imaginibus venerandis adornatã, splendidam, cultu semper, & ordine. Celebrãtur hîc festivitates, Visitationis ad S. ELISABET Sanctissimæ MARIÆ DEIPARÆ VIRGINIS sinè peccati originalis ruga, sinè labe conceptæ (dico ex animo ex institute, & iuramento Academiæ, sic semel publicè vovi, & millies profiteor, & gaudeo.) Dies item DIVI MARCI Patroni, & tutelaris: Electio Rectoris Celebritas nostra maior, & annua in honorẽ Sanctissimæ Virginis MARIÆ *de la Antigua*, 10

hæc maxima semper
Dicetur nobis, & erit hæc maxima semper.

In Metropolitanâ Ecclesiâ canoris, quasi avium concẽtibus suavi, & lautis aromatibus, libis, & diversis odoramentis plenâ. Dicam, quod Romano more, OVID. *lib.* 2. *Methamor.*

Regia solis erat sublimibus alta columnis,
Clara micante auro, flammasque imitante pyropo.

31 Ab opere LVCIANI SAMOSAT. elegantiam rapio. Domũ hāc sacram si quis videat, mole maximā, formâ pulcherrimam, luce clarissimam, auro fulgentissimam, deniq́ue & picturis floridissimam, non expetat, in eâ orationem, velut testatò relinquere; si fortè circa hoc studium versetur, & celebrari intus, & inclarescere, ac voce illa implere, & quā maximè licet; etiam ipse pars quædā pulchritudinis illius esse; sed statim postquam diligentiùs paulò contemplatus illam, atque admiratus tantummodò fuerit, iterum indè abeat mutam, & orationis expertem illam relinquens, neq; alloquendo quicquam videlicet, neque sermonem conferendo, perindè atque elinguis aliquis, aut qui invidiâ quadam tacere decrevisset. O Lima, vrbs Regia Regum, quâ nulla alia Mundi magis pia, devota, & divini cultus vltrò solicitior est! Dicam quod LIPSIVS ad Romam conversus:

Non procul à Cœlo per tua templa sumus.

Item in domesticâ primò dictâ Capellâ pro mortuis Doctoribus suffragia publica DEO TER OPTIMO TER MAXIMO

32 Hæc pro omnibus fiũt, & semel iusta, & inferiæ pro singulis. Efferũtur insignibus Doctoralibus, vt de PALLANTE Arcadum Principe à Rutulis interfecto, à Troianis parentato, Poëta cecinit Mantuanus de solennitate scuti:

Impositum scuto referunt Pallanta frequentes.

Græcorum enim (inquit Modernus quidam eruditissimus) *consuetudo illa fuit, vt qui in prælio dimicando fortiter cecidissent, eodem, quo præliati fuerant in clypeo, ad sepulturam efferrentur.* Et in sepulchro iterum Poëta.

At pius Æneas ingenti mole sepulchrum
Imposuit, suaque arma viro, remumq; tubamq;

Vndè Archiepiscopus, & Episcopus pallio sepeliuntur, *c. ad hæc 2. ad finẽ de authorit. & vsu. pal.* dixi: *Et Episcopus* nã aliqui speciali privilegio pallio ab Ecclesiâ Romanâ meruerunt decorari, *c. cum in iuventute 15. de præsumption.* Piissima Academia nostra, vt quos habuit in terrâ Doctores, habeat favitores in Cœlo. Hæc verè pulchra monumenta, vt iustiùs dicat PRVDENTIVS:

Quid

Quid pulchra volunt monumenta?
Nisi quod res redditur illis,
Non mortua, sed data somno:
Hoc provida Christicolarum
Pietas studet, vtpotè credens,
Fore protinus omnia viva,
Quæ nunc gelidus sopor vrget.

Sic mortui viventiũ orationibus recreãtur: ideò S. EPHREN Syrus in suo testamento: *Comitamini me in psalmis, atque orationibus vestris, & assiduè pro meâ parvitate oblationes facere dignemini, & quando diem trigesimum complevero, mei memoriam faciatis; mortui enim in precationibus, atque oblationibus commemorationis Sanctorum, viventium beneficio afficiuntur:* Et vivi mortuorum meritis stipantur.

Hîc etiam exequiæ pro mortuis Regibus, & Principibus habentur. Hîc pompa funebris, cùm versâ in luctum cytharâ, plena singultibus Academia solùm lachrymas cõcipit. Erigitur in medio capellæ honoratius tumulus, seu vacuum sepulchrum, Hieroglyphicis, & poëmatibus adornatum, totum vndique Regium, & decorum. Vesperè Doctor vnus tristitiam, quasi indicit in oratione mœstâ, nigrâ panuceâ veste indutus. Alterâ die Doctor Theologus defuncti Regis memoriam prædicat, & omnibus solemnibus peractis, silentio Rector, Doctores, Magistri, Collegia, & reliqui Academicæ Familiæ obnubilati abeunt. Vidi vti vnus Doctorum publicum luctum Academiæ in morte clarissimæ, & virtutum omnium cumulo decoræ, & Pientissimæ Reginæ nostræ ELISABET, PHILIPPI nostri IIII. Magni Augustæ coniugis, itẽ & in præmaturâ morte Principis, qui in meridie occidit. Proh! adhuc fœliciter natus iacet. Adeò

omnes vna manet nox
& calanda semel via leti.

Quæ non hebescit lingua, & tanto dolore recenti nõ obtũditur? cùm sit semper pijs Vassallorum affectibus in excessu Principum quædam etiam flendi voluptas, & lachrymarum impetu vox faucibus hæreat; ast vterque abiit non

obijt,

obijt, ad Dominũ erepti sunt tanquã ex vndis sævissimis ad portũ tranquillum, vitalis illorum mors est, si vita mortalis fuit, seu prolixior mors, iuxtà illud *Genes. 2. vers. 17. In quocunque die comederis ex eo, morte morieris*: vbi ISIDORVS CLARVS, *Morte morieris, id est, incipies eâ ipsâ die esse mortalis, vt vita futura sit quædam prolixior mors.*

Heu, heu, nos miseros, quàm totus homuncio nil est!

CAPVT XI.

SCHOLASTICI: GRADVS Licentiaturæ.



34 Cholasticorum numerus crescit, & decrescit in Academijs ad similitudinem dierum in homine. Plures sunt matriculæ. Grammaticos excipio, qui apud Grammatodidascalos: item & Rhetores, quos, qui & omnes scientias in vniverso ferè Mundo, Societatis IESV Religiosi ex instituto doctissimi, & à scientijs ipsis instituti erudiunt, provectos missitant examinandos ad Doctorem, quem Rector noster annalem nominat Latinitatis scrutorem, vt probet, vel reprobet. Extollunt Grammaticæ necessitatem, & vtilitatem ATHALARICI Regis verba: *Prima enim Grammaticorum schola fundamentum est literarum, mater facundiæ, magistra verborum, ornatrix humani generis; quæ per exercitationem pulcherrimæ lectionis antiquorum nos cognoscitur iuvare cõsilijs. Hâc non vtuntur barbari Reges: apud legales dominos permanet singularis: arma enim & reliquæ gentes habent, sola reperitur eloquentia, quæ Romanorum dominis obsecundat.* Refert sic CAROL. SIGON. *in Histor. de occide. Imper. anno* 526. non diminutè, vt CASSIOD. *var. lib. 9. c. 21.* Sunt Grammatici, vt inquit CICERO, interpretes Poëtarum. Vide plura apud LVITPRAND. in notis D.D. LAV. RAM. *pag.* 424. Scholasticum propriè scientiarum vsus decet: dicuntur enim quasi eruditioni, & Philosophiæ vacantes; hinc SERAPIO-

NEM

NEM HIERONYMVS testatur ob elegantiam ingenij, Scholasticum esse dictū. SALVIANVS Scholasticos, & discretos coniungit. Vndè Scholastici pro eruditis, vel causidicis ponuntur apud APVLEIVM. Sed secundum AVG. *de Dial.* primitùs dictos Scholasticos eos ait, qui adhuc in scholis sunt, omnes tamen, qui in literis vivunt, hoc nomen vsurpare, refert CONTZEN. *lib.* 7. *Politicor* c. 16. §. 4. Vndè fiunt primò Baccalauri, secundò Mellodidascali, & Prodoctores, tertiò Magistri, & apex omnium Doctoratus est.

Licentiaturæ ergò gradum post Baccalaureatus, severo prævio examine, & scrutinio subeunt; hoc pavet Scholasticus non sumptus, etiāsi tria millia ducatorū sint, quæ faciunt quinque ferè millia numorum argenti. Terribilia argumenta, solemnia omnia, quæ patitur examinandus, extēporanea relectio plena periculis, & metu: sed quæ facilitatem ingenij ostendit: ideò olim cupiebant veteres videri extemporales. Plura refert QVINTIL. *lib.* 4 *c.* 1. *de exordio*, & *lib.* 10. *c.* 7. ideò MARTIAL. irridens APOLLONIVM Rhetorē cui talis erat memoria, vt duo amicorum nomina retinere non posset, nisi scriberet, vt ait *epigram.* 22. *lib.* 6. tandem *epigr.* 53. inquit, 35

Extemporalis factus est meus Rhetor.
Calpurnium non scripsit, & salutavit.

Adeò, vt similem hunc locum dices Agoni, in quo olim curule certamen, vndè Agonalia, seu Agonia dicta, vt OVIDIVS. 1. *Fastor.*

Et prius antiquus dicebat Agonia sermo.

Scio non semel à primâ horâ examinis, hoc est à septimâ post meridiem, vsque ad mediam noctem, ventilari sermones, quæstiones, & articulos scholasticos. Decanus discipulo præses, sed cum moderamine, solemnitatis, & authoritatis causâ; probationis enim, & veritatis ille dies est (etiam eum, qui præibat in bello tyronibus Doctorem appellat VALER. MAX. *lib.* 2. *c.* 1. hic est quem Monitorem nuncupat TERTVL. *in Apolog. c.* 30. ibi: *Denique sine Monitore.*) Nec inutilibus detinent, vtilibus destinatos animos, non inquam

ibi

ibi permittitur , quæstionem agitari nominalem , non nisi gravem. Nam vt SENECA, *de Brevit. vitæ, c. 13. De illis nemo*
36 *dubitabit, quin operosè nihil agant, qui in literarum inutilium studijs detinentur, quorũ iam apud Romanos quoquè magna manus est; Græcorum iste morbus fuit, quærere quem numerũ remigum vlysses habuisset? prior scripta esset Ilias, an Odyßea? præterea an eiusdem essent authoris? alia deinceps huius notæ, quæ sive contineas, nihil tacitam conscientiam iuvant, sive proferas, non doctior videberis, sed molestior.* Ergò discamus illa, quæ HOMERVM fecere sapientem; *Hoc quidem me quærere: vtrum maior fuerit Homerus, an Hesiodus? non magis ad rem pertinet, quàm scire, an maior Hecuba fuerit, an Helena?* Concludit idem SENECA, *epist.* 88. Sed nihilominus ignorare iuridicã significationem nominis dedecet hominem in scientijs eruditum, ideò scriptores sudant non rarò in explicandis vocibus. Sit mihi exemplum locus ille TERTVL. *de spectacul. lib.* 9. *cap.* 20. ibi: *Et apulias oculos habet*, in cuius enodatione variant, vt inquirãt, quid *apulias* denotet alij dicunt *extra portas*; alij *extra columnas* alij *apluvias*: idest locatuta à pluvijs; alij *apalias*, aliqui *apelias*, seu *epalias*. Et sic se torquent acumina, nõ vt disputent in scholis, sed vt rogati sciant. Indè est, ignorãtes nomina scientiæ, quã profitentur, scientiam ipsam ignorare videantur, id næ ru-
37 borem acuit. Probat etiam id controversia satis gravis inter Theologos circa voces illas *Hypostasis, & Vsia*, de quibus magna olim in Ecclesiâ DEI dissentio fuit, scribunt NICEPHOR. *lib.* 10. *histor. cap.* 16. & SOCRATES, *lib.* 3. *c.* 7. hinc ortum habuit definitio Concilij Sirmiensis, & Ariminẽsis circa hæc nomina: refert Doctissimus Complutensis Theologus GABRIEL VAZQVEZ *disp.* 124. *cap.* 1. 2. 3. *&* 4. *& sequentibus.* Perutilis sanè in examine conscientia Magistri. *Gradus enim* (inquit CONTZEN. *lib.* 4. *Politic. c.* 16. §. 10.) *illi dantur, vt Ecclesia idoneos habeat Doctores, qui hæresibus resistant, infideles convertant, & credunt tum Principes; tum Episcopi Academijs, à quibus sine gravi scelere falli, & irrideri non possunt; sin verò suâ facilitate rei omnium, quæ inde*
se-

sequutur malorum: si indoctus Theologus, aut fidem ignorātia prodit, aut adversarios conscius suae imbecillitatis fugit: si clientem perdit indoctus Patronus, si clinicum Medicus inexpertus curandum suscipit, laetifero se crimine adstringunt: quia lucri causā proximos in salutis, vitae, & fortunarum discrimen praecipitant, & ut tantùm possent Academicā authoritate fulti, licentiùs grassantur. Et statim subiungit: *accedit propria singulorum fides, officiumque: Doctores enim, qui sunt in Senatu Academico, vel promissione, vel etiam iuramento obstringuntur, ne indoneos admittant:* & MAIOL. *in dieb. canic. fol.* 482. *Honores, qui vulgò promotiones appellantur, magno Academiis ornamento esse, si ritè observentur, & dignis conferantur, neminem facilè negaturum arbitror &c.* & statim *prospiciendum semper est, ne temerè & indignis dentur: alioquin enim ipsae promotiones, quarum saluberrimus in Republica est usus, vilescunt, & improbi, atq; indocti publico testimonio comprobati, haud parùm Reipublicae Christianae, sive per improbitatem, sive per ignorantiam detrimenti adferunt.* 38

Quales exhibet schola, tales habitura est Ecclesia, atq; Respublica moderatores, & cives. Officium quippè Doctoris est, omnia exponere, & enarrare. Sic etymon explicat LVCIAN. *de Syria Dea n.* 4. Pluribus ideò insignitur nominibus, vocitatur enim Antecessor, Magister, Professor, Iureconsultus, Dominus, Praeceptor, Sacerdos, Iurisperitus, Pater, Vir celsior. Quae sic cōgessit LANCEL. CONRAD. *in Templ. omn. iudic. lib.* 1. §. 1. *fol.* 8. *n.* 32. dicitur etiam Antistes: vnde PLIN. *lib.* 7. *cap.* 30. PLATONEM vocat *Antistitem sapientiae*: & TERTVL. omnes disciplinae Christianae Professores Sacerdotis nomine decoravit; *de spectacul. lib.* 9. *c.* 17. ibi: *Quidquid non licet Sacerdotibus pacis.* Sic explicat CERDA.

Hinc etiam nascitur, Doctorem ab Imperatore Patrē nuncupari, *in l.* 1. *in princ. C. de caduc. toll.* & Parentē, *in l. ex Divi Pij C. locat.* & amicum *in l. secundam responsum C. de contrah. & comm. stipul.* & Doctoratum esse dignitatem *c. quanto extra de Magist.* & ianuam Principis Doctori patetere *l. fin. C. de offic. divers. iudic. ver. consistorium.* vnde in l. 39

2. *C. eod. tit.* mandat officialibus suis, vt non appellent Doctores fratres, sed Patres. Deindè in civitate, vbi esset Princeps, solus Doctor, non alius vti potuit vehiculo: vt pluribus exornat SIGNOROLVS DE HOMODEIS *in tract. special.* cui titulus, *Utrum præferendus sit Doctor, an miles*: de quo etiã CHRISTOPH. LAFRANQVIN. alia itẽ *de privileg. Doctor.* PETRVS LENAVDERIVS: & quemlibet Magistratum teneri Doctorem ad se venientem invitare ad sedendum, voluit FELIN. *in rubric. de Magistr.* & CASSANE, *in Catalog. glori. Mund. part.* 10. *conside.* 20. Doctores iuris civilis habere centum & triginta privilegia refert, alijs laudatis Authoribus.

CAPVT XII.

POMPA TRIVMPHALIS Doctoratus.

40 Rgumentorum iam devicto rigore, primisque solemnibus peractis, licentiæ securus, ascendit Laureandus equũ ad triumphum, & pompam literalẽ. Buccinatores populo dant signa tubis, non vt minaci murmure perstringant aures, sed suavi, & festivo. Academicum præit in hastâ, seu perticâ vexillum. Doctores, & Magistri sapientum obequitant insignibus decorati. Album Theologia deposcit, id est, sincerum, in quo puritatem Fidei, & Castimoniæ relucere colore, ALCIATVS voluit *emblem.* 118. ibi:

At sinceri animi, & mentis stola candida puræ.

41 Adhuc olim idololatriæ illo miserrimo sæculo Flamen Iovi sacra faciens, alvo vtebatur pileo: nam vt CICERO 2. *de legib. Color alvus præcipuè Deo decorus est.* PLVTARCH, *lib. de Iside, & Osirid.* PIE. 40. *hierogly.* VALER. MAXIM. *lib.* 1. *c.* 1. Canones veluti florescentes viride, quasi spe duce vernent: studia quid, nisi præmia? sed quia vt OVIDIVS aliquando:

Fallitur augurio spes bona sæpe suo;

meliùs studia ipsa studiorum præmia dixero, & laborem literarum sui ipsius incrementum. Leges rubeum: virtutis

hic

hic color est, ex sententiâ DIOGENIS apud LAERTIVM, est etiam militum,& indicium certaminis: ARISTOTEL. apud SVIDAM *Lacædemonios puniceâ veste ad bella, vti tum quia color ille virilis est* (inquit) *tum quia sanguineum illud in tincturâ sanguinis ipsius fluxum assuefacit contemnere.* Vndè & SILIVS:

Rubræ velamine vestis,

Leges quoquè militant,& Professores , vndè militantium ordines dicuntur scholæ. VEGET. *lib.* 2. *c.* 71. scholam pro cẽturia posuit,& *c.* 17. *lib.* 2. *In legionibus plures scholæ sunt,* inquit, *quæ literatos milites quærunt.* Cæruleum Philosophia, quasi à Cœlo. Nautis hic appropriatus color: benè Philosophis etiam, qui Cœli motus, vt Nautæ considerant. Fuit & olim Pallas Cœlia à colore Cœli dicta ; Ægyptij Deũ Cœruleâ veste indutum effinxere , quia præcipua eius in Cœlo sedes Helvum, seu pallidum Medicina: color hic amantis est. Vndè OVID.

palleat omnis amans.

Rectè Medicũ quærit, qui vitam præ cæteris rebus dulciorem, sanam semper, & incolumẽ videre curat, naturæ ipsi amator est. Ni sit veluti signum præsagum , vt in gaudio mortis imago duret.

Instar arboris ramum lautè compositum Scientiæ designat: insignia frondes: pileata capita fructus. Hæc in stadio 42 continui monumenta triumphi. Laureandum Laureati recipiunt benignè,& ipse Decano, seu Patricio pronubo, Laureatos vrbanè salutat (esse in Doctoratu nuptias anuli subharratio probat.) Equis iam præ gaudio hinnitibus spumosis (omen hoc victoriæ est) se invicem respiciẽtibus, & Achillis (illius, inquam, Herois Laurissæi, quem ferarum medullis educatum vult QVINTVS SEPTIM. *de pall. lib* 1. *c*4.) Xantho penè similibus, quem adeò prodigiosum voluit HOMERVS, vt vaticinaretur: non bellicis armis, vt pinxit MARO dicens

Spumantemq; agitabat equum, quem pellis ahenis
In plumam squammis auro conserta tegebat:

Sed stragulis sericis adornatis (solum omnium animalium

equum in partē certaminis, & coronæ venire scripsit PLVTARCH. 2. *sympos.*) ingenuo homine dignum animal hoc est, petunt domum Rectoris cum Senatoribus Cancellariæ Academiæ præcipuis membris placidum adventum expectantis. Sic misticum scientiarum, & scientum corpus, vt pratum vernans varicoloribus floridum, nobilium bonæ partis civium comitatu per calles vrbicos discurrit, per forum Regium, Academiæ foribus denuntians festum. Denique, Rectore propriæ domui restituto, Laureandum celebritèr Doctores simul cæteri comitantur, resalutant, & dispersi abeūt. Hæc omnia vesperè fiunt. Albescente die, postquam Sol adolescit,

Diffusumque nitet, pacato lumine, Cœlum;

Iisdem insignibus repetitis, ex equo qui

fræna ferox spumantia mandit,

Descendit, & aureis calcaribus inculcans terram, civili titulo creatus nobilis, quo generis, & prosapiæ non mediocri auctario gentilicius locupletatur splendor, Laureandus ascēdit theatrum, quasi miles murum, vt byrretum capiat, coronæ instar illius, de quâ SILIVS *lib.* 4.

cape victor honorem,

Tempora murali cinctus turritâ coronâ.

Cape libertatem, quā singulariter FRANC. BROSENS. *in emblem.* 151. *Alciati*, probat. ibi: *Quid enim memorem pilei celebrem lauream iam diu in scholis non temerè vsurpatam, eo siquidem indicatur, Scholasticos à disciplinæ servitute ad Doctoratus, vel Magisterij libertatem transire:* dicitur *byrretum*, quasi *bis rectum*, quia bis rectum decet esse Doctorem, scilicet in docendo, & operando *c. duo sunt* 23. *q.* 1, habetur mentio *in c. si quis vxorem* 30. *q.* 1.

43 Doctoratus honorifica, & publica lætitia subsequitur in Cathedrali & Metropoli, in Altari, & Capellâ Sanctissimæ MARIÆ Deiparæ Virginis *de la Antigua*, lampadis cōtinuò magnæ & argenteæ (quæ donum est Academiæ) stipatâ luce, cuius conservandæ causâ, paucis abhinc annis, ex instituto quilibet gradus minutam falcidiā patitur, cuius summa

ma iam est 11ʒ300. ps. Omnibus hic dies gentibus auspicatissimus, quasi olim Saturnalium adhuc servis. Optat apud LVCIANVM SOLON, eos qui se in gymnasijs rectè gesserint honoratos, à cũctis conspici: fœlicitas enim sinè teste iniucunda est. Certamine arduo, & difficili peracto; aliter enim privilegio, vel bullâ creari Doctores iam IVLIVS III. prohibuit, Refert PETRV. GREGOR. *lib.18.cap* 9.§.7. & apud CONTZEN. *lib.4. Politicor.c.16.* extant MELANDRI versus, *lib. 1. Joc. serior.* in similes Doctores, qui Codicillares appellãtur

Doctorem bulla creat; tibi bulla decori est:
Bulla tibi vires, bulla parit titulos;
Sed caveas, ne bulla minus te fortè perennet:
Bulla homo es, & Doctor bulla, quid ergò tumes?

De gestaminibus Doctoralibus, & privilegijs aliqua scripsit ANT. GOM. *in l. 83. Tauri, & Gloss. in Clem. vnicâ de magist. c. multi* 40. *dist. c. habeo librum* 16. *dist.* & CASSAN. *in catalog. glor. Mund. part.* 10. *consider.* 26. subsellia in alto quasi ingyrum reflexa habet sedes publica Doctorum, cadunt cæteræ hospitibus: situm sic dispositum ad concessum vocat Cathedram TERTVAL. *de spectacul. lib.* 9. *cap.* 3. ibi: *Cathedra quoque nominatur, ipse in anfractu ad concessum situs*: & addit CERDA *in anfractu, quia forma subselliorum in circuitu frangebat se, videlicet ad singula subsellia.* Revivìscit hîc lex Rosia, quâ Equitibus Romanis in theatro ordines dati sunt. Floridumque, & gratum festum vnus salibus, non venenatis, sinè procacitate facit Doctor, aut Magister; quia nõ alius finis, nisi lætitia, & hilaritas: 44

Festum, non fletum Doctoris laurea quærit.

Antiquus hic mos, quem comicam faciem pro exporrectâ iucundâ, hilarique LVCIAN, ille cognomento semper blasfemus dicit: & invenit RODIGIN. *lectio antiq. lib.6. c.* 17. vindemiæque tempore olim vsitatum inter nobiles, Athenæus testatur *lib.2. c.1.* & in scenis sapientum. Vterque antiquitatum plura excutit figmenta.

Capit vnusquisque Doctorum suam portionem, seu donat libenter; dat vnus omnibus præmium, tubâ vocatis

convivis: semel dixit MARTIALIS:

Præmia convivæ det sua quisque suo.

Sed iam vidi per horam in quatuor Doctorum gradibus,
45 remissam fecisse omnes plusquam 141. numorum argenti: Academiam tūc nō solùm literis, sed liberalitate magnificam, non pecunijs, sed studijs inhiantē. Lovanium; LIPSI, per annum, per annos, per sæcula non fecit, nec faciet, dixisses indubiè, qui pecudes in Lovanio balare, aut mugire, garrire aves, & cantillare, aërem purum & ridentem miraris. Et ad Homericam Loton, cui tuum comparas oppidum, nil melius, quàm liberalitas faceret; si herbam Deorum voluptati subnascentem cum Homero voluisti, cùm Deos ex voluptate liberales, non vnus dixerit ex Antiquis.

CAPVT XIII.

ACADEMICAE DOMVS officia.



46 SEdent in scabello Secretarius, Thesaurarius, & Calculator: stant duo Bedelli, seu vt mavult dicere LIPSIVS, Pedelli, maior & minor. Appellat etiā hos BEYERLINCK. Tabellarios: & MIDENDORPI. *de Academ. lib* 1. *c.* 21. Bidellos, seu scholarū custodes: & alios esse generales, alios speciales, dicit MARIAN. SOCI. *in c. ex literis de furt*: dicuntur etiam Cursores. Minister seu Apparitor vnus, qui semper Rectori præstò est. Procuratoris etiam Generalis officium Doctor vnus subit, qui in libellis subscribit: sed extra Claustrum, si mavult ex numerarijs Regiæ Cancellariæ eligit mandatarium, qui tunc quasi Catholicianus est *l si quis* 9. §. 2. D. *de bon. damn.* est & Advocatus; vicem facit duorū idem Doctor, Patroni scilicet, & Procuratoris. Procurator item Academiæ alius generalis residet in Regiâ Magnâ curiâ Matritensi: sæpius vnus ex Doctoribus nostris est, qui quotannis Regias mittit schedulas, provt casus occurrunt. Et nunc postremò obtinuit Primariā Medicinæ Cathedrā

secedere Protomedicatum totius Regni in perpetuum.
Salaria penduntur sequentia domesticis officialibus.

Secretario.	ȣ300.E	*Mandatario. Quod paciscitur*	
Thesaurario.	ȣ800.E		
Calculatori.	ȣ300.E	*Bedello maiori.*	ȣ400.E
Advocato	ȣ050.O	*Bedello minori.*	ȣ200.E
Procuratori Generali	ȣ050.O	*Apparitori.*	ȣ100.E

CAPVT XIIII.

COLLEGIA.


ÆC LIPSIVS vocat pulchrum inventum: tria sunt: & Regale DIV. PHILIPPI ceruleâ supra eiusdem coloris tunicam, quasi prætextâ: Regale DIV. MARTINI supra fuscam sinopi, seu purpurisso ornatum: & Seminarium S. TORIBI ferrugineâ Martinianum numerosum bis centum habet collegas; cuius regimen Societatis IESV est Prælatis. Rectorem (quem eligit Præpositus Generalis prædictæ Religionis Romæ) Ministrum, Præfectum studiorum, & alios Religiosos subadiuvas, intra suos parietes alit; duodecim togatos rubris infulis Regio stipendio: duodecim item, cēsu ab ipsâ Religione imposito: cæteri parentum sumptibus vivunt. Sublime hoc est iuventutis scientificæ emporium. Regale Philippicum primum sedet, & Cathedram Diggesti veteris, sed sine salario, honoris causâ, habet domesticā: & Cathedraticus stallum in choro Doctorum: Rectorem eligit Excellentissimus Domin. Prorex iure Regij Patronatus. Sunt & huic Collegio stipendia Regia. Toribianum inservit Metropoli: Rectorem eligit Illustrissimus Metropolitanus Archiepiscopus Limensis; Portionarium Cathedralis vnum. Scholas simul lustrant, & illustrant tergemino veluti splendoris radio. Collegia Latini sodalitia appellant, & collegas sodales *l. 4. in princip. D. de Collegijs, & corporibus*, vsus publicus hæc exigit & politica corpora 47

Nihil

Nihil enim aliud est politia, quàm subalternatio Ordinum, & Collegiorum.

CAPVT VIX.

DISTRIBVTIO semestris.

48 

Primâ die post Dominicam in Alvis incipiũt studia, patent gymnasia publica ingenijs, vt scientijs roborentur, non vt olim apud Græcos cursu, luctatione, & ludis, de quibus CÆSAR apud LVCIANVM ibi:

Grais delecta iuventus
Gymnasijs aderit, studiaq; ignava Palæstræ,
& vix arma ferens.

Nam vt in semẽte spes posita est messis, ita totius reliquæ vitæ expectatio ab educatione pueritiæ pẽdet. Securus graditur, qui benè cæpit. Scholastici per semestre integrum ex instituto tabellas in femore portant. Quorum meminit IOAN. MONACH. Cluniasensis *in vit. B. Odonis, lib. 1.* ibi: *Nam baculi corroboratus munimine, sed duas solùm tabellas manu baiulans scribendi officio aptissimus, fabrili opere ita connexas, vt possint patefieri, non tamen disiungi, quibus scholastici dextro femore solent uti.* Semel in hebdomadâ tot sunt privata in Auditorijs exercitamenta, quot facultates: reddunt rationes studioso populo Magistri, reddunt discipuli: binæ sunt singulis stationibus ex præcepto lucrativæ conclusiones, ferè vsque ad finem anni: nam vt OVID. *in 5. de Tristib.*

Fertilis assiduo, si non removetur aratro,
Non nisi cum spinis germen habebit ager.

Clarent ingenio iuvenes, & acumine, quos rapit Academiæ fama, vt quondam Pythagorei PLATONEM, qui parùm perficiendæ Philosophiæ sufficere se ipsum, ac Socraticam disciplinam putans, in Italiæ partes venit. Hîc gladium ancipitem

pitem seu distomum, vt vocant Græci, Dialecticam, inquā, quærunt, & Sophiam: vtriusque iuris Primipili recreantur, GRATIANVS Pontificij metator Iuris, VLPIANVS Cæsarei, GREGORIVS Decretalium, & cæteri. Hîc Doctorum verba auditores excipiunt, & ab ijs, tanquam à magnete ferrum, dependent, quo ingens studium significamus; iuxtà illud THEMISTI, *orat.* 4. apud NOVARIN. *lib.* 1. *sacror. elector. n.* 851. *Nam simul atque sophisticum pallium adspexerint, statim ex eo, veluti ex magnete ferramenta dependent.* Hîc suo muneri fideles Magistri sunt. O quam benè! quisquis ille sit qui apud eundem Authorem inquit: *Omnis qui lectionem discipulo negat, idem facit, ac si patris illius hæreditatem auferret.* Sic senio, aut morbo confecti, honoratique à professione olim Doctores mittebantur, non alij; quia

Non quacumque manu victima cæsa litat:

Sed pulverulentus coronatur. Et iuxtà textum *in l.* 1. *C. de professo. qui in vrb. cōstant lib.* 12. per lecturam 20. annorum fiunt Doctores Comites Palatini à lege: notavit IOAN. LVP. *tract. de illegitim. lib.* 3. §. 1. *n.* 27. *&* 28. similiter TIRAQ. *de nobilitate cap.* 5. *n.* 4. *si Comitissa* (inquit) *nubit Doctori non nobili ex nobilitate & sanguine, qui tamen legisset per* 20. *annos, non dicitur nubere indigno, quia dignus & Comes est;* & LVDOVIC. GOM. *in repet. ad c. mulieres de iudic. in* 6. *n.* 45. *tom.* 5. Doctor post 20. annos egregiam personam appellat, & Legatum Pōtificis posse creari, affirmat. Verum tum demum privilegijs studiosi gaudent Academicis, quando re, & nomine huncce titulum tuentur. Refert alia CASSANE. *in Catalog. glor. mund. part.* 10. *consider.* 26 Hîc denique studia literarum: *Sancta sunt* (inquit) ENOD. *lib.* 5. *epist.* 10. *In quibus ante incrementa peritiæ, vitia dediscuntur. Hoc itinere cana ad nos solent venire consilia: dum quod ætas refugit, norunt instituta præstare:* & AVGVST. *de Civit. Dei lib.* 22. *c.* 22. sapientiam donum esse Dei, & auxilium contra miserias huius vitæ, testatur. TVLLIVS *Tuscula qq. lib.* 2. *c.* 3. *Medetur* (inquit) *animas inanes, sollicitudines detrahit, à cupiditatibus liberat, pellit timores:* & SENECA *ad Lucill. epist.* 16. *Quin*

imò apud pessimos honori est. Religiosam appellat textus *in l. 1. §. an & Philosophi D. de var, & extraordin. cognit.* Amor scientiæ dedit adhuc inter Ethnicos SOCRATI continentiam: SCIPIONI pudicitiam: CATONI puritatem: FRONTONIO gravitatem: FABRICIO fidem: VLYSSI longanimitatem: TITO pietatem: TEMISTOCLI diligentiam. Sed quis poterit cum NAZIANZENO dicere:

Totum traieci studiorum sedulus æquor.

CAPVT XVI.

PALÆSTRICA

CERTAMINA MENTIVM, quasi Olympia.

Cathedrarum petitiones.

50 Ymnastica hæc sunt, quasi Olympica olim certamina, & conflictus, quibus se se acumina intellectus exercent, & argumentorum ictibus saucia dilacerantur. O quantos hæc delassavit cura! habet enim tædiosa laboris præludia præmium literarum; vt & Olympia, iuxtà EPITECT. *cap. 34.* ibi: *Vis Olympia vincere? & ego per Deos: magnificum enim est: sed considera & initia, & consequentia, atque ita rem aggredere. Oportet benè sese instituere, necessarijs vesci, abstinere condimentis, exerceri ad necessitatem* (hìc ad patientiam) *ad præscriptam horam, in æstu, in frigore, tum in certamen prodire.* Erant hæc olim sacra IOVI Olympia, sicut APOLLINI Pythia, HERCVLI Nemea, NEPTVNO Isthmia: dinumerat SEPTIMI. *de spectacul. lib. 9. cap. 11.* Non tenui impensâ fieri magna possunt: lætitiam concertatio hæc incitat, sed periculi conciliatricem: honoris portum studiosus quærit; sed per saxa, & syrtes, modò naufragus malorum ebibit vndas, modò profligatus mærore, & afflictus. Iam describo solennia. *Vocantur* proclamatè, seu edicto idonei ad certamen

An-

Anthagonistæ, quos vulgo dicimus: *Oppositores* per trimestre in Cathedris maioribus, & proprietarijs; in minoribus arbitrio Rectoris. Lapso peremptorio termino, citatisq; à Bedello Doctoribus; Rector, & Claustrum Petitores admittit. Mox dies assignatur vnicuique ad agonales disputationes: congregatisque pariter domi Rectoris, Modernus incipit examinare fortunæ sortes. In præsentiâ Secretarij, vt testificetur authenticè & publicâ fide, coram omnium ferè scholasticorũ cœtu, puero minori septennio, qui prior casu occurrit, tres dantur aciculæ, quas in distinctis libri (Magistri sententiarum, Bibliorum, Decretalium, Diggestorum, Codicis Iustiniani, aut Philosophi, prout institutum exposcit cuiuscunque Cathedræ) partibus figit, & vsque ad maiorẽ cludit. Statim ex sortilibus capitibus, seu legibus vnum, vel vnam arbitrio suo deligit Palæstrita: & finito termino, scilicet ad Primarias Cathedras horarum xxxvi ad alias xxiiij in Auditorio maiori (quod depinxim⁹) 51
coram omnium conspectu extemporaneam relectionem auribus tradit palam iudicum censorinis, dum per integrã horam & dimidiam, vel per horam clepsydra diurnat, distinctè prout vnaquæque fert ex instituto Cathedra: mos etiam antiquis fuit oratoribus ad clepsydram dicere, huc Plin. Ivn. *lib.2.epist.11.* ibi: *Dixi horis penè quinque nam decem clepsydris; quas spaciosissimas acceperam, sunt additæ quatuor:* & Martial. *ad Cæcilia, lib.6.epigram.25.*

Septem clepsydras magnâ tibi voce petenti,
Arbiter invitus, Cæciliane, dedit.

Rector, vt olim in circo Prætor, quasi mappam mittit tintinabuli sonitu (huius antiquitatis mentionẽ facit Tertvl. *de spectacul.lib.9.c.16.* ibi: *Non vident, visum quid sit, mappã putant:* item Cassiod. *epist.51.lib.3.* Qvintil. *lib.1. cap.5.* Ivvenal. *saty.12:* S. Ioan. Chrisos. *orat. de circo.* ibi: *Omniũ oculi feruntur in mappam, postquam signum fixum fuit:* singulariter etiam Philip. Rvbe. *electór.c.30. de circo & mappa missi,*) Statim argutiones fortissimas Compalæstritarũ patitur & subtiles; hic saltus hic Rhodus. Sed quãdo in pe-

lago tranquillitas? Per dimidium horæ, vnoquoque iam vellitante, cui solus resistit Agonista lector, Bedellus quasi præco voce denuntiat, vt omnes sileant. Tunc Petitor modestè sua ponit in publico merita, quin aliena dedecoret. Celebris hic dies est Scholasticis, qui vocibus, & sibilis im-
52 plent aëra, dum comitantur affectu lectorem: vt suscitari videantur illud SIDONI, *in Narb.*

Et iam te vrna petit, cietque raucæ
Acclamatio sibilans coronæ.

Quàm varia sunt hominum iudicia! quàm variæ voluntates! alius diligit, quem alius negligit, alter probat, quem alter reprobat, vel vt HOMERVS *in Odyssea*:

Namque alijs aliæ res, arridentque placentque.

Peractis sic omnibus solennibus, sequuntur votationes & suffragia (vt descripsimus) à primâ horâ Solis vsque ad noctem. Victor (qui olim dicebatur Olympionices) honorifi-
1 cè vehitur tubis, & murmure placido ad possessionem Cathedræ, à Rectore vocatus in schedulâ, quam Secretarius tumultu Scholasticorum, vt Nuntius gestat alacris, & denique Excelentissimus Prorex, qui primus de omnibus certior factus est, gratulans confirmat Academiæ iudicium. Sequuntur acclamationes, sicut olim in triumphis: Refert LIVIVS, *lib.* 4. *de Caio Valer. Consule*, & PLIN. *lib.* 19. *c.* 8. DIO, *lib.* 43. plura BRISSON. *de form. lib.* 4. Huc MARTIAL. *lib.* 1. *epigram.* 4. ibi:

Consueuere iocos vestri quoque ferre triumphi
Materiam dictis.

Nam vt SENECA *de tranquill. vit. Aliquando insanire iucundum est.* O mentium pugna, quàm terribilis, & spinis plena, arctaque via tua est! si quis dubitat, quæso, admoveat manum ad opus, & nisi pertæsus caput scalpserit, modestissimus erit; nisi vngues demorderit, patientissimus. Cōsilia quæ damus experti, hæc sunt: quod victus doleat modestè, sortem reprehendat suam, non alios, præmia non spernat, laboribus enim, & molestijs æstimātur: noxijs verbis abstineat, & si conceperit non evomat, verba nunquam

ſine pondere fundenda ſunt. O quàm pulchrè ille, qui horologio ſimiles voces externas voluit hominum!

Diſcite, non dare poſcenti reſponſa, priuſquàm
Multa agitet ſe cum mens operoſa diu.
Diſcite, non vllam ſine pondere reddere vocem:
Diſcite, (ne multis) ore, manuque loqui.

Nullus iræ, nullus invidiæ locus in eo ſit, non audax, non timidus, fortis incedat. Scripſit hoc benè IOAN. IOVIAN. 53
PONTAN. *lib.* 1. *de fortit.* ibi: *Inter audacem, & timidum fortis tenet locum, quorum alter cùm nimis omnia metuat, neceſſe eſt, vt parum admodum fiduciæ habeat, deterreaturque ab aggrediendo; alter, quia ſuper vireis, ſupraq; quàm ratio ipſa docet, confidit: nec quæ debet, atque vt debet metuit, turpiter ab inceptis, atque ab ijs, quæ aggreſſus eſt, vt deſiſtat, oportet, corruatque ſub mole rerum, quibus eſt impar.* Victor tamen ſit clemens, vltorem non agat, non loquatur ampullas, aut pavonis more rotetur: nam

Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo.

Honoris enim via non procul à virtute eſt; qui poſt victoriam inſultat, alios iam vicit, ſed à ſe vincitur. Neſcio, an qui iram nondum vicit, victor dici valeat, niſi per mendacium; cum ſervus pœnæ adhuc ſit, qui inſervit iræ.

Vmbraticam etiam hîc typis noſtram demus hiſtoriam, exempli cauſâ, nam vt dicebat PLAVTVS:

Pluris eſt oculatus teſtis vnus, quàm auriti decem.

Iuſtitiâ velut criſtâ, atque armis indutus, in arenam deſcendi, quam in campum papyraceum nō percuſus thyrſo, aut 54
ſtimulo dimicaturus nunc transfero. Incepit ſcientiarum Aulæ ſibilus dicere pedem, id eſt quaſi tubâ movere ad pugnam, vt vtar phraſi GALENI, quam ſic explicat MERCVRIALIS *variar. lect. lib.* 1. *c.* 19. de plauſu, & ſibilo plura BVLENGER. *tom,* 2. *lib.* 1. *de Theat. cap.* 60. & quamvis vnum vni contrarium ſufficiat: vnum duobus, aut pluribus monſtrū ſit: iuxtà illud Eccleſiaſt. *c.* 33. *n.* 15. ibi: *Et ſic intuere in omnia opera Altiſſimi. Duo, & duo, & vnum contra vnū:* & ARISTOTEL. 10. *Metaphy. cap.* 4. ibi: *Planum eſt fieri non*

posse

posse, vt vni plura sint adversa, de hâc paræmia videndus Dom. D. LAVRENT. RAMIR. DE PRAD. *in Pentecont. cap.* 10. terribilis hominum sapientum amnis, mei vnius in necem currit, at

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

55 Ars naturam in duello superat; & vt etiam vim fortunæ repelleret, statim reverenti animo patientiam veluti assylum quærito, & invenio, nam spongiâ clavum trudit impatiens, & ira doloris augmen est: vndè EVRIPID. *Altero duorum colloquentium indignãte, is qui se non opponit, plus sapit.* Iam quicquid illam offendit, eodem exitu dispungitur; quo telum in petrâ constantissimæ duritiæ libratū, & obtusum: hic mihi murus æneus ex TERTVL. *lib. de patient. cap* 8. vbi in fortunam vires non suppetunt, vt quid ardor animi?

vana est sine viribus ira.

Benè ergò hîc LVCAN.

gaudet patientia duris.

Sed altiùs iterum de patientiâ SEPTIMIVS ibidem *cap.* 15. scribit. ibi: *Adeò satis idoneus patientiæ sequester est Deus; si iniuriam deposueris penes eum, vltor est: si damnum, restitutor est: si dolorem, medicus est, si mortem, resuscitator est.* Post varia rerum discrimina, longamque temporis intercapedinem innumeris vexatus animus pœnarum heluo fatiscit: invisibiles cordis lachrymas alius & alius casus excitat:

longum est certamina, longum
enarrare vices.

Errabat huc illuc sinè voce dolor anxius, & tandem crucians præcordia, mœror sceptro potitur. Clamabam, vndè tot mala, sævæque fortunæ versipellis iniuriæ? O semper

fortuna sævo læta negotio!

In hâc peristasi, & creperi certamine belli, postquam sonus
56 impleverat aëra bombis, auribus intimâ vocem exaudio: *Sustine laborem; non inutiliter sudat lapis in manu oppugnãtium mœnia, afflictio præire gloriam debet, nam discipula virtutis adversitas est.* Vix percipio, cùm augetur, & crescit

intus

intus animus ; & licet hæc tot* legum Palæſtritas vellitatio *inter
duodecim HERCVLIS labores ſuperet, quos decantat HOMERVS, *lib.* 11 *Odyſſ.* MARTIAL. *lib.* 6 *epigram. antepen.* & *lib.* 5 *epigr.* 66. OVID. 9. *Metamorph.* & ALCIAT. *emblem.* 138. quia ex BAPT. MANTVA. *lib* 3. *Parthenicæ:*

Ut ſale conſperſo longos ſervantur in vſus
Viſcera : nec lædi ſanie, nec tempore poſſunt;
Sic duris animi rebus firmantur: & omnem
Abiiciunt peſtis cauſam; ſors aſpera tutum
Præbet iter, via ſydereas hæc ducit in arces.

Iterum ſtrenuè adſum:

Temperat excellens humana pericula virtus, 57
Imponitque aſtris frænos, & numina vincit.

Et vt NASO.

Tempore langueſcunt flores, & tempore ſurgunt.

Quem non vrit ardor gloriæ, & præmij gloria ? hæc

Inducit noctes vigilare ſerenas:

Hinc OVIDIVS iterum

Immenſum gloria calcar habet.

Iterum multa pertuli, multa meo quodam dolore ſanavi; vndè dolenda canam ? multa dolenda tuli, vel vt Poëta

Iam pridem didici fortiter eſſe miſer.

Ferociſſimas affectiones amoris, atque odij inſtituto provocavi meo : qualis maior infra Lunam diſſenſus ? inepti ſunt ad compoſitionem arbitri, diſtant quia plus quàm SATVRNVS, & VENVS. Sed adhuc ſuſtineo, vt vmbra mutus iſthoc in theatro vndoſo mari, in quo ſpes torquet animos, & moleſtiſſima mora. Pulſâ deniqûe nuperæ tempeſtatis nube, conſtantiâ laboris non nihil iam diſtortas literas fœlicitas mea dignoſcit inſtar diſcentis puellæ, vt aliàs dicebat S. CHRISOSTOM. *hom.* 11. *de pueris.* ibi: *Illi primùm quidem ſolùm diſcunt figuras, deindè illas non nihil diſtortas dignoſcere aſſueſcunt* : amittunt mala vires, creſcit ſpes conſequendi, & fortior iuſtitia vicit. Hæc victoriæ fons, & ſcaturigo cuiuſque, nam quæ vires, ni iuſtitiâ condiantur? quæ medica pharmaca ſine librâ ? niſi pennarum Aquila iuſtus

ſit

ſit libripens non per aëra volat:intumeſcunt cervi nō exæquis pedibus : nec in Occeano,aut refluo mari valida, atq; alata carina ſine iuſto pondere ſpumoſis ſalis vndis viam aperit, etiam ſi ventorum impellatur agitata procellis, imò imò depreſſa æque maria,ſcopuloſque formidat; perditionem, etſi non amat, invenit, miſereque ſubmergitur aquis.Scapus libræ niſi æquis lancibus, mox pendula libratoris in aëre manus quemq; lædet iniqua. Vndè S. ISIDOR PELVS.*lib.*1,*epiſt.* 424. *Prudentem Monachum probum libripendentem eſſe*(ait)vt iuſtum appellet. Lex ipſa iuſtitiæ fœtus eſt. Adhuc & telluris ingremio vegetans illa virtus , ni temporibus det quæque ſuis germina marceſcunt:ſolo vere veſtiuntur plantæ;Cœlum hyeme demittit aquas:ſic vni
58 cuique ſuum.Hæc iuſtitia,*quæ aut ipſa eſt ſumma virtus; aut fons ipſa virtutis*,ſcribit LACTANT. *divinar. inſtit. lib.* 5.*c.*5. *Murum* appellat PLATO 2.*de Repub.*illâ quaſi bolide meritorum profunditas exploratur. CASSANE. *in Catalog. Glor.Mund,part.*10.*conſiderat.*20.ſic illā alloquitur.*O pulcherrimum omnium Regnorum decus ! O ſingulare univerſorum præſidium, fiduciæ privilegium,prærogativa ſecuritatis perfectæ ! ſaluberrima noſtrorum medicina morborum ! O vera totius Reipublicæ anima ! vita beata,vita fœlix; aurei ſæculi mater & Regina ! quæ pulchrè florere facit quodcunque aſpexerit,& quæ Regalibus ſuis ſceptris omnia complectitur, fovet, tuetur, moderatur !* vel vt CYPRIAN. *de* 12. *abuſion. O pax populorum, tutamen patriæ,immunitas plebis , nutrimentum gentis, gaudium hominum,cura languorum,temperies aëris, ſerenitas maris,terræ fœcunditas !* Claudicat ingeniū, delirat lingua ſine iuſtitiæ pondo:veritatis eſt tutrix, & totius rectæ rationis quaſi lydius lapis, hic qui ſudat in manu oppugnantis præmia,quæ labor excutit iuſtitiæ miniſter, ſi nec in luctu, aut calamitate in docendis diſciplinis iuſtitiā indicat. Euge, quæ maior vtilitas, & præeminentia, quàm rerum maximarum perveſtigatio,& acquiſitio ! hæc bona emptio,& venditio eſt, laboribus, & mentis expenſis redimere laudem : en laboris fructus,& laurus ; en conſtantia

quæ

quæ susque deque penè victoria est : en victor labore, & constantiâ cæteris specimen est: æternitati pingit, vel pluribus diebus; vt EVRIPIDES ALCESTIDI respondit, aut saltim, vt prædixit OVIDIVS 3. *Trist.*

Fama superstes erit;

Vel vt alter reconditæ eruditionis Author.

postquam vixit, vivit.

Meliùs vtique PROPERT.

ingenio stat sine morte decus.

Hæc Catena adamantina; nam vt

Est Adamas constans, nec ferro cedet & igni:
Incudes spernit, validos & sustinet ictus.
Mascula sic virtus, varijs agitata periclis
Fortunæ casus constanter perferet omnes.

Hæc domat invidiam latrantem in pectore, quâ qui laborat, tabescit, vt ait PROCOP. *in c. 59, Isaiæ*, & sui hostis est; rem inhonestam, quam oportet, non solùm quasi illicitã, sed quasi pudendam vitare, vt didici ex PLINIO, *lib. 5. epist. ad Valerian.* Verùm hanc pestem ferre, omnium sæculorũ fatum: calamitas enim est sine remedio, odisse fœlicem: 59

tantum facinus quæ diluet ætas?

Sed ah! quis invidet, nisi iniustus? quia non videt exoculatus. Iniustitia ergò penè invidia est, quæ maligna ad omnẽ splendorem caligat: hanc SOCRATES serram vocat animæ; ideò iniustus se primum lædit, vtpotè cæcus, & cor suum rodit impius. Iam sui ipsius invidum esse pœnam invenio: nam vindictam extorquet ipsa invidia, ipsa iniuria: iustitiã ipse exequitur, vt nudus, & atrox minister. Torquet, & angit sceleratæ mentis stimulus; nec desunt testes, nam conscientia mille: ipse reus iudex est: en iudex arcanus invidi iniquus est, cùm sit invidus ipse: iam omnia sperare mala licet, imò maiora delicto: iniquus enim iudex abutitur mẽsurâ, exlegis est, malum malo compensatur, siquidem re invidus fit iudex, & iudex extrangulatur, venenum est sui, & infortunium: fert sententiam, vt pœnam inferat, non medicinam. Vides tribunal sine recusatione nocens, non recusan-

cusantes nocere, & cuncta in vno tormenta, quorum ipse vnus ministrator est? ergò vindictam extorquet invidia. Si multi iniusti, & invidi, multi iniqui suorum iudices. Vt iam (licet TERTVLLIANVS fructum lædentis in dolore læsi esse affirmet) sciat potius læsus durissimas lædentium pœnas, quia tormentum lædentis ipse lædens est. Vndè rectè

60 S.PETR. DAMIAN. *e vit. ling. Invidus priùs est cibus suus*: omnia diligit, & omnia negligit. Quod genus hoc cupiditatis inquiro? quæ species malevolētiæ? seu vt meliùs, quod genus serpentis invidia? nidus omnium malorum, omnia attaminat, infrænis, teterrima bellua, adeò exosum illius nomen, vt nec invidus patiatur palam invidiæ nomine fœdari. Appendix illius semper iniustitia, & iniquitas: iniustus, & iniquus omnis invidus, iurisque infamiâ notatur, non minus ac qui aquam equis spargunt, de quibus VLPIANVS *in l.* 4. D. *de his qui not. infam.* Sed si invidia monstrum, patientia HERCVLES. Monstrum, inquam, ferocissimū vatiniano semper tinctum odio, cuius ipsa alumna est, verum quid odit? virtutem. O rarum sceleris inventum! odit invidus bonū, & pascitur illius negatione simul, & cruciatur: hinc DIV. CHRISOST. super illo *Genes. tu insidiaberis calcaneo eius. Vnius pedis*, inquit, *excessus æmuli sui invido est extrema calamitas*: vivit rabie moriens, & dum plus moritur, crescit, neque enim vllum finitur vitium, vbi oritur: tota noxia est sibi, iuxtà illud HESIODI

Invidia consumit invidentium oculos, & cor

& dum extinguere cupit aliena, maiora considerat. Huc Poeta

Fertilior seges alienis semper in agris,
Vicinumque pecus grandius vber habet.

Iam vt ad institutum redeam, constantiam laboris sic definire lubet. Sustinere patienter: & honorem præmij sic inscribere. Esse fœtum laboris. Quàm benè finem imponit Modernus BAVTIVS

O vastum mare ius! qui per tua cerula currunt.
Coguntur oculis quanta pericla pati;

Sire-

Syrenum hîc scopuli, truculentaque saxa Mallea
Scyllæique canes, & maris omne pecus
Quantùm ò vidisse hæc, & non periisse saluti est:
Nil mihi gratari, ni licet ista libet.

Arcta via iam duxit ad præmium, primam, inquam, docendæ iuventutis curam honorificam, studiosis culmen honoris, idem Poëta 61

Aequoreis quisquis diu tempestatibus actus
Marmoris vndosi triste cucurrit iter;
Cùm iam portũ oculis tenet, & terrã anchora mordet
O quoties & Io cantat, & audit Io.

Sed quæ fœlicitas mundi cuius prima syllaba non sit *Fel*? rectè quidam sic rogavit: (quod ni ipse explicuisset esset quasi HERACLITI dictum)

Dic mihi, quæ in cœlis extat vox integra, cuius
In terris tantùm syllaba prima patet?

Et respondit *fœlicitas*. Sola enim quæ in Cœlo, sinè felle est. Ideò TERTVLL. *de Cult. fœmi. cap. 3.* gloriam omnem huius sæculi *vanam, & stuporatam* dicit; *vanam*, quia nihil solidi continet, *stuporatam*, quia hebetes reddit eos, qui eius studio corripiuntur.

CAPVT XVII.

AGER CONSCIENTIAE.

Votationes Cathedrarum in Capellâ.



FIunt in Capellâ votationes, vt puræ, & ab omni 62
iniustitiæ fæce purgatæ, & defecatæ sint, & cõscientia in Templo stimulet: quam extollit D. AMBROS *lib. 2. Hexame. c. 82.* ibi: *In te ipso quærenda iucunditas.* Et TVLLIVS *lib. 2. ad Atticũ. Conscientia pluris est, quàm omnis sermo.* Et licet ibi solus elector, se ipsum maximè debet vereri, se ipsum præ cæteris erubescat. Sciat (vt iterum AMBROS. *epist. 44. ad Cõstant.*)

 im-

impium, & iniustum graviter à se ipso puniri; imò nemo gravius alieno potest condemnari iudicio, quàm insipiens suo; qui sibi est author malorum. Vt secretior esset modus ego duobus ab hinc annis quasi glaciem scidi, inveni, dedi, quo non vtitor meliori, & digniori Academia alia, quam sciverim. Probavit, authoravit Excellentissimus D. D. PETRVS DE TOLEDO & LEIVA Marchio Manzerensis, Prorex nunc huius Peruviani Regni, dum maiora scandit, quem facta commendant clarissima, nomen & à fontalib' sanguinis Ducum de Alva nobilissimus sanguis

reminiscitur omnem

Progeniem, & magnos antiquæ domus honores.

Ex tunc observatur, & observabitur. Lubet describere. In
63 Capellâ mensa extruitur quadrangula. In medio, seu cētro deaurata, instar amphoræ, vrna cubitalis: nec impropriè, apud veteres enim vas etiam fuit, quo iudicum suffragia colligebantur: hùc respicit VIRGIL. 6. *Æneid.* ibi:

Quæsitor Minos vrnam movet.

Et CLAVDIAN. 2. *Rap.*

Vrna nec incertas versat Minoia sortes.

Et STATI. 4. *Theb.*

Arbiter hos durâ versat Gortynius vrnâ.

Meminit etiam sortis in vrnâ TERTVL. *de Spectacul. lib.* 9. *cap* 16. ibi: *Tardus est illi Prætor, semper oculi in vrnâ eius cum sortibus volutantur*: & MARTIAL. *lib.* 10. *epigram.* 6. ibi:

Fulues quibus vrna dedit spectare coruscum.

Sedet pro tribunali Rector solus in sellâ bombycinâ purpureâ: Vicerector, duo Adiuncti Doctores, Consiliarij maior & minor, mensæ ambitum circundant. Aliquando dextram & sinistram Rectoris duo Senatores occupant Cancellariæ: sed hoc non ex instituto est, sed si petant Palæstritæ, seu Oppositores ab Excellentissimo D. Prorege, qui sæpius facilè concedit. Deinde theca, seu capsula cum schedulis suffragiorum. Schedula libellus quidam est, in quo successivè à Cruce ad imū cadunt scripta nomina Palæstritarum, non semper vno ordine, sed permistim diversa ad

vitan-

vitandam suspitionem,& accepticnem personarum. Cuilibet respondet nomini semiabscissa particula V. G.

PETRVS.		IOANNES.	
IOANNES.		PAVLVS.	
PAVLVS.		PETRVS.	

In extremo schedulæ particula est exsecta à maiori parte, & instar linguæ pendentis prominet, quæ servat Sancti vnius nomen literis rubeis scriptum, semper diversum in diversis libellis;V·G:

PAVLVS.		IACOBVS	
PETRVS.		PAVLVS.	
IACOBVS.		PETRVS.	
	S. Ioannes.	S. Marcus.	

Quem libellum triplici plicaturâ tectũ, solâ particulâ Sancti manifestâ, cum numero suffragij foris, & intus, rubricâ Rectoris, & subscriptione Secretarij authenticũ dat Rector electori iudici (Doctoribus facultatis tres libellos, cæteris duos, Bachalauris vnum, Scholasticis etiam vnum, numero suffragij diverso, prout merentur: in nullo tamen libellorũ votivus numerus excedit octavum.) Elector iudex seorsum in mensâ vnâ ex his, quæ distinctæ sunt, ferè in angulis Capellæ, & àRectorali distãtes, secretè considerat, & stimulante conscientiâ, illius quem eligit nomini, abscindit ex integro particulam semiabscissam relativam: & iterum schedulam eadem triplici plicaturâ tectam, post iam serræ dẽtibus similem tradit in manus Rectori; hic desecat cultro particulam pendentem, in quâ scriptum nomen Sancti, & statim cludit in vrnâ; quæ sola est, non vt olim duæ, vt in Græcis iudicijs vtebantur, lapillos vt servarent albos ad ab- 64

ſolvendum, nigros ad condemnandum; vndè OVID.

Mos erat antiquis, niveis, atriſque lapillis,
His damnare reos, illis abſolvere culpâ.

Vrnas etiam in circenſibus adhibitas, in quas agitatorũ nomina conjecta, vt ſortis ordine equorum quadrigæ decurrerent, ſcribit BVLENG. *to: 2. lib. de circ. Rom. cap.* 13. huc VIRGIL. 5. *Æneid.* ibi:

tunc loca ſorte legunt.

65 Sic poſt publicatum ſcrutinium vrnæ, & calculatis ſuffragijs, dat ſcripta conſcientia præmium, dat iudex honorem. Væ illi, qui perditus SENECAM (vt dicitur) dubitat præferre NERONI Cùm vt benè THEODOR: *Græcar. affect. lib.* 12. *Leges pro lineâ, pro regulâ, pro indice nobis poſitæ ſint.* Adhuc blaſphemus LVCIANVS, *in apolog. pro merced. conduct. Sapientem eum* (inquit) *odi, qui ſibi ipſi non ſapit.* Conſcientia in Cœlo teſtis eſt. IOB. *Ecce in Cœlo teſtis meus.* Et D. PAVL. *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Audi ò iudex, Concilium Tridentinum, *ſeſſ.* 24. *de reform. c.* 18. ibi: *Jurentq; omnes, ad ſancta Dei Evangelia ſe, quacunque humanâ affectione poſtpoſitâ, fideliter munus executuros.* Iuramus & nos, dum eligimus, ex *conſtit* 110. ibi: *Y aſſi miſmo juré de hazer juſticia, en dar ſu voto a quien mejor entendieren merecerlo.* O moleſta, ò honorifica Cathedrarum petitio! verè tibi onus, & honos eſt. Quàm turbulenta! PLINI illam quot vicibus moleſtiam expertus ſum, *epiſt. ad Apolinar.* ibi: *Itaque prendo amicos, ſupplico, ambio domos, ſtationeſque circumeo, quantumque vel authoritate, vel gratiâ valeam precibus experior.* Mēte omnia ſuſtinere neceſſe eſt. Adamantinam animam PAVLI vocat D. CHRISOS. *homil.* 1. *de laudib. Paul.* Quia nullis perſecutionum ictibus cedebat, nullis tunſionibus frangebatur, IOBO tollerantior. *Quæ enim* (inquit) *Job corpore, hæc Paulus mente ſuſtinuit.* His eruditus MENDOÇA addit *Jobus à tribus amicis tētabatur, ſed Paulus à falſis fratribus opprobria ſuſtinebat.* Caveamus ergò, ne nos tradamus Orco, dũ ſchedulam, ſeu libellum tradimus vrnæ. Sunt enim hîc Dæmones laquearij: ſi vna mens de aliâ hîc iudicat, ſuprema de omnibus.

CA-

CAPVT XVIIII.

SOLENNIA EX INSTITVTO, ET encomia aliqua communia Academijs omnibus expenduntur.



Rincipis effigies emicat in ExcellentissimisProregibus,quibus Novi huius gubernium traditur Perutini Imperij,& integra, illæsaque cõservantur Patronatus Regij iura; hinc Academica illis subiiciuntur, eorum quæ in arbitriũ collata sunt. Sed statuta immutare,minuere,aut nova condere,vnius est supremi Regalis Indiarum Senatus,vt intentiùs saluberrimum hoc scientiarum omnium studium tutetur,& protegat,vtpotè Reipublicæ necessarium opus. Regia & Imperialis solicitudo hæc est:vndè PTOLOMEVS Rex Ægypti Alexandriæ Gymnasium;IVLIVS CÆSAR Italicum donis cumularunt:& AVGVSTVS, TRAIANVS NERV.(vt refert DIO.CASS.*in eius vitâ*)ANTONIN.PIVS,TITVS, CONSTANT.MAG.ad splendorem sceptri literarum professores magnificere. In concilijs Generalibus mentio,non rarò, de vtilitate studiorum. GRATIAN.*can*.2.12.*q*.1. & in Trident. *sess*.5.*de reform.cap*.1 iuncto AVGVSTI.BARBOS. *in collect.d n* 45. Sunt enim Academiæ,Regnorũ oculi, Musarum Orbes:& scientia,*Gloriosa*,inquit,CASSIOD.*lib*.3. *epist*.33. *Quia quod primum est in homine, mores purgat: quod secundum, verborum Gratiam subministrat;itaque vtroque beneficio mirabiliter ornat & tacitos,& loquentes*: illius professores sic MERCVRIVS alloquens ab erudito Moderno quodam fingitur. *Macti este gaudio,vicarij Numinis,Sacerdotes rationis, interpretes naturæ, Mystæ honestatis, amœni deitatis flores fructifici in Numina.Euge,euge peculium summi Dei,fulcrum*

Orbis

Orbis, colonia Cœli, melior portio, & congener vis divûm, penè ipsi Iovi suppar: & denique. *Sapientia terris est dumtaxat inquilina, sed divinitatis vernacula; divinitas indigena Cœli, sed in terrâ inquilina sapientia detinetur. Divisum fere numen vobiscũ est. Prima divinitas Iovis, secunda sapientia, vtraque consanguinea.*

67 In signum ergò obsequij, ad Patronum, in adventu cuiuscunque Excellentissimi Proregis, Rector, & Doctores insigniti equitantes, omni præeunte Academicâ Familiâ, & Collegijs, ad portas vrbis stant, & indè adventantem Senatoribus Regiæ Cancellariæ, Proceribusque stipatum comitantur Ducem, Marchionem, seu Comitem, qui sub pallio, cui inserviunt Civitatis Decuriones togis purpureis bombycinis adornati solâ hâc die incedit. Non subita hæc pompa, sed ante meditata est, vt præscripto ordine exequatur. Post publicam lætitiam populi, quâ omnes

declarant gaudia vultu,

Præfinito die, recipitur in Auditorio maiori. Inibi
68 magnalia nobilissimæ domus, avitamque prosapiam oratione panegyricâ Hispanolatinâ Doctor vnus refert, certamine prius, quasi edicto publicato, vt Poëmata, encomia, anagrãmata, & alia ingeniorum inventa præmijs honorentur, & plausu: habuisse ortum Athenis certamina, panegyres, & celebritates ex ARISTIDE *in Panathenaico* refert CÆS. BVLENG. *tom. 2. lib. vnic. de venat. circi cap. 6.* Post finitum proconsulatum solenniter eundem comitantur, cui vivo successor datur.

69 Rector dignus semper, & idoneus eligitur, qui non sit minor 30. annis, & cùm omnibus antecellat, Principis personam repræsentare, inquit MIDENDORP. *lib. 1. cap. 3.* & Episcopos præcedere. MENOCH. *de Arbitr. iud. cas. 68.* & BENIVS *privil. 16. Iurisper.* Doctores itaq; studio coronantur, vt nõ adiumenta solùm, verùm ornamenta Reipublicæ sint. Sunt etiam columnæ, sed hoc præcipuè de præceptoribus dici potest per alusionẽ ad Cathedras de quibus PINED. *de reb. Salom. lib. 3. c. 28* ibi: *Sed ego columnas septem intelligo, nõ qui-*

bus domus innititur, *sed quæ in medio palatij, vel atrij erecta consistunt, & in quas tanquam in suggesta, Doctores, & concionatores docendi, & declamandi causâ conscendunt.* Hinc fœlix appellata quondam Athenas, quia DEMOSTENES illi contigit, qui quasi Mandragorâ sopitos suis expergefaciebat consilijs. Et CICERO pater patriæ à IVVENALI *satyr.* 8. ibi:

Romæ parentem
Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.

Nam vt TVLL. ipse *lib.* 1. *de offic. Parva sunt foris arma, nisi sit consilium domi.* Alia de THALET. MILES. & NISA, STRABO *lib.* 14. Quis sine pudore viros spernat eruditos? olim SIGISMVNDVS à Principibus Imperij reprehensus, quòd illos altiùs provehere videretur; *Ego eos*, inquit, *amo, quos natura alijs ante stare voluit.* Ideò ALEXANDER ARISTOTELEM Secretarium, & Præceptorem habuit, & adeò illi charus, vt Stagiram patriam eius, quam diruerat, in gratiam eius instauraverit: & omnes literarum asseclas maior alter Alexandro CAROLVS V. insignijs, & privilegijs equitum, Comitumque perpetuò decoravit, cùm Bononiæ coronaretur à CLEMENTE VII. Pont. Maxim. vt refert MIDENDORP. *lib.* 1. *c.* 6. Antiquitatē nobilis huius nominis *Doctor* significat PHILO *de Mūd. opific.* dū de ADAMO loquutus, inquit: *ipse discipulus & Doctor per Dei gratiam:* & GERSON. *in recom. licentiat. in decret. fact.* ibi: *Dominus instituit primum Canonistā, & Legistam ipsum Adam.* Aluntur artes gloriâ, & honore, aluntur præmijs, nam vt IVVENAL. *satyr.* 10.

Quis enim virtutem amplectitur ipsam,
Præmia si tollas.

O pessima oblivionis conditio, quâ penè similis est mortuo absens! *Nec sub aliquo honore vivit, quem Regis sui notitia non defendit:* clamat CASSIOD. *lib* 5. *epist.* 25.

70 Privilegia nostræ Limensis Academiæ esse communia cum cæteris testatur eximius Doct. & Iurisprudentiæ pater, Regiusque consiliarius Indiarum, & supremi Castellæ Senatus D. D. IOAN. DE SOLORZAN. PEREIRA *tom.* 2. *de*

 iur.

iur. Indiar lib.3.c.14.n.25 ibi: *Quæ constitutio, etsi de Academiâ Salmanticensi loquatur, ad Limanam tamen, & Mexicanam extendi debebit, quibus omnia privilegia Salmanticensis communicata sunt per schedul. D. Imperat. Carol. V. datã Pintiæ 12. Maij ann.* 1551. Nostræ etiã fuit Vniversitatis Doctor per incorporationẽ, dum in hâc Regiâ Limensi Cãcellariâ Senator extitit dignissimus. Laudat simul plures scribentes de privilegijs Academiarum in communi. Lubet & sequentes subiungere HILIGER. *ad Donel. lib.3. comm. cap.9. litera N.* BEIERLINCK *in Theatr. vitæ human. tom.1. litera A.* CAMIL. BORREL. *tract. de Magistr. lib.1.c.8.* MAIOL. *Dier. canicula. tom.1. colloq.6. pag.*507. FROSTER. *Histor. iur. lib.6. cap.6.* D. THOM. CARLEVAL. *de Iudic. tom.1. num.* 506. *&* 507 aliqua circa conservatores disputat. DIDAC. PEREZ *in l.8. tit.2. lib 1. ordinam.* COVARR. *lib.3. variar. cap.13. n.2.* EVSEB. NIEREMBERG. *in suo Sigalione lib.1.* ad Academias respicit, dum Philosophos dinumerat. CASSAN. *in Catalog. glor. mund, part.* 10. per totam. Dom. D. LAVR. RAM. DE PRAD. Regius Consiliarius in supremo Castellæ Senatu, ante in Indico, & Sanctæ Cruciatæ adsessu, vir eruditissimus, suo continuo & vtili labore plura *in notis ad* LVITPRAND. *pag.* 424. MIDENDOR. vbi supra *de Academ.* ADAM CONTZEN. supra citatus *in Politic* IOAN. DE PINED. *de reb. Salomõ. lib.3.c* 28. *&* 27. EMMANVEL. FAR. DE SOVSA *in comm. Camoens tom.* 1. *cant.* 3. *fol.* 141. *& tom.* 2. *in addit. fol.* 618. *num.* 141. non nulla de Conimbrisensi Academiâ refert. Selectissima aliqua eruditè interpretatur de scholis, Rectore, Doctoribus & Collegijs in suo *Predic. de las gent. lib.3. cap.8.* per totum *ex lib.5, cap.* 1. Germanus meus D D. IOAN. RODER. DE LEON huius Academiæ filius: vir fuit literis, studijsque plenus vsque ad admirationem, modestiæ nunquã immemor, florentissimi ingenij, & apud primores illos Aulicos, & Regios cõcionatores vltramarini Orbis laudatus, virtutis, & studiorum suorũ in Theologiâ & sacris libris, nec non & Iurisprudentiâ specimen dedit cõtinuò in Evangelico suggestu, gentibus vsq; dum PAVLVM

Apo-

Apostolum omnibus refertum scientijs obtulit imitandū: adeò hunc librum omnes appetunt, vt vaticinatum bono omine videatur illud AVSONI

ibis in ora hominum.

Taxcalensis Ecclesiæ Canonicus obijt; calamus favet lachrymis: sed non penitus obijt, qui semper sacris deditus vixit, & post se, vt loquatur librum publicæ vtilitati Sanctorum sententijs, & sacræ Scripturæ locis floridum, eruditioneque vernantem reliquit, imò & libros, ni rapina substraxit.

Ad vniversas ergò mundi valuas affigi nomen Academiæ, cur non liceat? quæ privilegijs scatet, & Doctoribus fulget eruditissimis: dinumerat FR. BONAVENT. SALINAS *in memorial. Nov. Orb. anni* 1630. *cap.* 4. recens vidi Alphabetum Augustinianum Authore M. FR. THOM. DE HERRER. præclarè sentiēte de præclaris Magistris sui Ordinis, nostræ Academiæ filijs *tom.* 2. *liter. L. fol.* 40. ibi: *E quibus anno* 1633 *decem & sex erant magistri, & tres publicè in Vniuersitate Limensi professores, vnus vesperarius, alius sacrorum librorū interpres, & alter Logicæ, Philosophiæ, & Metaphysicæ expositor.* Et eodem *tom.* 2. *lite. L. fol.* 25. ibi: *Magister Lucas de Mendoça in Vniversitate Limensi ann.* 1633. *sacrorum librorum interpres, & Sancti Officij Qualificator, vir sanè doctrinā & religione insignis.* Et *tom* 1. *fol.* 490. *lite. I.* ibi: *Ioannes de Ribera in Academiā Limensi publicus Artium professor & Vespertinæ Theologiæ Cathedræ substitutus, & Provinciæ Peruntinæ Rector Provincialis literis, & prædicatione his temporibus floret.* Amicitiæ lex nō patitur sic præterire amicum, & fraudare dicendis. Hic ergò sapientientissim⁹ Theologus, verè AVGVSTINI Filius, post 25. annos lecturæ, publicus nunc sacrarum Scripturarum interpres est, & virtute schedulæ Regiæ, ad preces Vniuersitatis perpetuus. Bis in Religione Regens, bis definitor, & Conventus Limensis Prior, & sancti Officij Qualificator, eruditione pollens, nobilitate, clarus prædicatione insignis: hemistichio dignus illo, quod refert ATHEN. *lib.* 1. *ad statuam Cleonis Thebani* 71

cuius Cælum ferit ardua fama.

Procoronide repeto LIPSI illud *Centur.4. Miscel. epist.52. Hæc ego amicus, sed non vt amicus: boni peritique iudices omnes dicent, quos in hoc ævo optem illi magis, quàm præstem.* Iuris etiam nostri Canonici & Civilis plures sunt doctissimi viri, tum theoriâ, tum praxi insignes; vnâ enim abutitur, qui vtrâque nõ vtitur, & sicut Medicus sinè Physicâ, nõ nisi empiricus est, ita vel Theoricus practicæ ignarus, vel practicus Theoriâ carens non nisi iuris stultus est; ex professo rem obscuram reddit, qui vnam prorsus ignorat, & licet peritissimus sit Theoricus, si solùm, aut oculatissimus practicus, si tantùm, Cyclops erit, etsi Gigas. Quid si Iuris Civilis studiosus, Canonici tamen expers, seu Canonista sine lege, aut parùm aut nihil.

72 Est vtique Academia, quâ civitas quæque dignissima semper iudicatur. In mentem nunc venit encomium relatum à IOAN. ANGELIO WERDENGAEN *in universali introductione ad omnes Respublicas, sive in politic. synopt. lib.3. fol.689.* quod diu notaveram. Opere pretium duco suo titulo coronatum transcribere. Sic se habet.

Quid est Academia?

Academiam (quam & Vniversitatem vulgò dicimus) quum nuper amicus encomio mihi ornatam dederit, ex eo poterit id cognosci, quid esse debeat, si non sit.

Encomium hoc Acad. quale est?

Ne sint putei Apocalytici, qui nocivas ranas, & locustas ex se effundendo in omnes Mundi angulos disseminent, Apocal. 9. & 16.13. Sed sapientiæ veræ arcem, ac veritatis vividum templum determinent: thesaurum verum ex verbo Dei in spiritu cœlesti depromant: moderationis, & humanitatis in dilectione Dei, & proximi palæstram edant; ac amicitiæ & solidarum virtutum officinam renatis præbeant: hortum spiritualium donorum ad omnes vitæ actiones nitentem proferant; vt sic fons universæ fœlicitatis in terrâ, ac aurora quædam, æternæque salutis prodromus & anteambulo sit quævis universitas. Iam quisque ad hoc encomium tales examinet locos, & bene circumspiciat, num veritas dicti heic cum veri-

ta-

tate rei congruat: sin minùs habebunt singuli probrioris vitæ studiosi, quod mecum extremè deplorent.

Ille ergò sapientiæ nitore fulgens est, qui mandata pri- 73
didicerit divina: nam

Si
Pendent ab vno cuncta commoda Numine,
Vno ecquis vsquam vivit illo stultior,
Qui se boni vllius futurum compotem
Boni omnis ipso Authore spreto, somniat?

Et cùm thesaurus sapientiæ non aliundè mortalibus quàm à DEO vt ipse Dominus liquidissimis verbis de se testatur: *Ego sum via veritas, & vita, nemo venit ad Patrem: nisi per me*; sinè ipso reconditissima Philosophiæ penetralia, PLATONIS eloquentissimi scripta, CICERONIS dissertissimi leges, SENECÆ, PLVTARCHI, & Stagiritæ libri præterquā vmbratilem sapientiam, & spinosa acumina non erunt. DEVS ergò prima lex, cuius ordinem quia adhùc expertia rationis animantia servant, conversatione gaudere, mores, consilia, Rempublicam, Reges, Imperium, & obedientiam, leges, & instituta, ac propèmodum omnia officia civilia habere videntur. In gruibus, & apibus PLINI edocet *lib.* 10: *cap.*23. ex alijs conlectis vetustatis locis etiam VLYSSES Altrovandus *tom. de insect.* ibi:

His quidam signis, atque hæc exempla sequuti,
Esse apibus partem divinæ mentis & haustus
Æthereos dixere.

Adeò multa sunt Academiarum, & nostræ Limensis 74
encomia, vt ni rude meum dicendi genus impediret haud sistere non possem: sed heu sermonem texere de scientijs, non ne scientis munus est? cur veniam exoptem, qui pro dignitate non laudo, cùm clarigante scientiarum altitudine ausus ipse condemnet? parcè me dicere fateor ingenuè. Nisi hoc ipso sapientis officium, non tam indignè subeo, quàm aliquantulùm satis expleo, nam *ex Prover.* 11. *Vbi est humilitas, ibi est sapientia.* O divina sententia! quæ enim superbia, non ignorantia? cùm omnis superbus insaniet, qua

si moribundus, & ij quos scientia inflat, cum VRIA deferant se cum literas mortis suæ, vt benè scripsit STEPHA. Cantuarie. *alleg. in 2. Reg.* vtiliter & nunc ad rem CIRILVS Hieroso. *Catech, 5. Hæc maxima scientia est* (ait) *ignorantiam fateri*: non invtiliter cum GERSO. *in serm. habit coram Bened. Pontific.* Academiam Paradisum appellabo voluptatis, in quo est lignum scientiæ boni, & mali: discamus ergò humilitate scire, quod est scienter vivere, & scienter mori, quæ duo extrema coniunxit mirificè CÆL. CALCAGNINVS. *ibi*:

Vt tibi mors fœlix contingat, vivere disce:
Vt fœlix possis vivere, disce mori.

Vnam enim esse rectè, beneque vivendi ac moriendi regulam nullus negat. Hinc Poëta NASO

Vive pius, moriere pius

Scientiæ eò præcipuè tendunt, vt mala fugere doceamur, bona semper inquirere. O quàm benè LACTANTIVS *de irâ Dei cap. 13. Nam si malum nullum sit, periculumque, nihil denique quod lædere hominem possit, tolletur omnis materia sapientiæ, nec erit homini necessaria*: est itaque sapientia murus capitis, vt firmum & constans sit in timore Dei, in Fide & amore. Optanti nosse cur à serpenti prudentia nobis esset perdiscenda; iuxtà illud: *Stote prudentes, sicut serpentes. Matth. 10.* Respondet S. IOAN. CHRISOST. *homil 34, in Math. tom 2. Serpentis prudentiam imitari nos Dominus cohortatur, vt quemadmodum serpens totum se ipsum tradit, nec minimum curat, si corpus inciditur, donec caput suum integrum servet eodem tu quoque modo præter Fidem cætera perdere non cures, profundas universam tuam pecuniam, tradas corpus, vitæ ipsi, si opus est, minimè parcas, dummodò Fidem serves, quæ caput & radix est.* Scientiæ ergò cùm caput hominis obfirment, verè Murales sunt.

CAPVT XIX.

SCIENTIAE

Gratulantur præconijs, quasi in Obelisco, Limensis Academiæ simulacro.

ACADEMIA

FLORENS, AVSPICATISSIMA, CHIRONIS INSTAR vitis satura indiès revirescens: Scientiarum tibi chorus gratulatur omnis, quia nulla in te sinè auctario nostratum est. Tuo in sinu augescimus, & in te quasi in throno gloriamur;

IN TE DEVS REGNAT,
quia in te Regula, & Lex.
Quid enim terrisque, poloque
Parendi sinè lege manet.

THEOLOGIA IN TE VIVIT PERPETVO VIRORE decora: Tu, quæ pulsas ad pulcherrimum Scripturarum hortum: Tu, quæ resignas. In te Sapientiæ fluentis pinguedines, & scaturigines, vndè hauriunt ingenia non solùm aquam, sed rivos, non solùm flumina, sed maria.

IN TE CANONES, LEGES, PHILOSOPHIA, Metaphysica, Medicina pretioso quasi in scrinio. Tu, quæ revereris clamorem illum Minervæ recens natæ;
Iustitiam, Æquitatem, Iura, Leges.

TV VERE SCVTVM NOSTRVM, ET QVÆ pro nobis, veluti pro partu propugnas, & nullos impetus reformidas.

MV-

MVRVS FORTIOR TV NOSTER ES, QVAM Græcorum ACHILLES, quem commendat Emblematarius, dicens:

Hic Graium murus:

QVAM HECTOR, QVEM LVGET POETA

Defensor Patriæ Iuvenum fortissimus Hector,
Qui murus miseris civibus alter erat

TV IOVIS VNA EX DVABVS AQVILA, QVÆ pennata à polo in polum volitas.

TV QVÆ GANYMEDEM RAPIS, VEL NOS AVES, Tu velut IOVIS eris: nam per GANYMEDEM ab aquilâ raptum animam humanam cum eruditioribus intelligimus, quæ, vt ait PLOTINVS, tunc condere caput intra Cœlum dicitur, cùm, relictâ veluti corporis secretione, cœlestia mentis oculo contemplatur: nos rapimus homines, vt ad te veniant:

HIC VT CONTEMPLENTVR COELESTIA, æterna, naturalia, recta, vera; nullus enim suavior animo cibus, quàm cognitio veritatis; nos ergò rapimus vt aves animum, vt GANYMEDEM aquila illa IOVIS.

TV VELVT SACRVM AMVLETVM ERRORVM cùm depellas eos, & si propriè hoc remedium efficax in amorem est: Tu, quæ in errorum hominum amorem invehis, & devincis:

Ea est quippè mentium caligo, non solùm errandi necessitas, sed errorum amor: ex SENECA.

ABSTERGIS IGNORANTIÆ FÆCES IIS, QVI disciplinas perdicendi causâ tua limina tangunt.

TV ANCHORA NOSTRA IN TEMPESTATIBVS ignorantiæ, ad quam securæ confugimus: Tu sola sapientum Novi Mundi Patria: Tu plurimorum, si Græcia septem.

TV VERE DIVES, QVÆ NON tibi soli dives.

TV PIA OMNIBVS INGENIIS, ARTIVM
benigna parens, quæ ore materno pronuntias;
officium meum cum pietate;
TV VELVT PELECANVS AVIS ILLA ÆGYPTIA
es ergà filios. Iam & hominum, & matres
volucrum hîc etiam discite
nunc opera.
AVIARIVM NOSTRVM:
NAM SI ARISTOCLES ILLE, POST PLATO,
& Philosophorum Homerus appellatus, in qualibet
animâ aviarium omnis generis avium fabrica-
vit, avium loco Scientias intelligens, iure
nostrum te facimus aviarium,
quæ anima es piæ, & Regiæ
vrbis Regum.
ALTRICES TVÆ TIBI GRATES
rependunt.
O PEREGRINVM ORDINEM, AVES
inclusæ pascunt Aviarium, hoc si crescit,
& ipsæ crescunt.
TIBI LABOR INGENIA
sacrificat.
TV OMNIVM LITERARVM SYMBOLA.
Tu Pyrgus inexpugnabilis: Patria communis
eloquentiæ, & facundiæ.
TV RESPVBLICA SAPIENTVM,
Bibliotheca Doctrinarum, Typus Sapientiæ, fluens disci-
plinarum vena, Lyra suavis ex diversis composita
chordis, Scientiarum Lingua, & Hieroglyphicon,
vnus omnium literarum liber, vt olim Athe
nas sermonum mater, Arcanorum
Thesaurus, commercium
acuminum, Inge-
niorum nidus.
TV POTENTIARVM ANIMÆ REGIMEN,
& Sapientiæ summarium.

Hypomnema Apologeticum

TV QVASI DORIVS FLVVIOS
Scientiarum epotas omnium,
ARBOR FRVCTIFERA, IN QVA
intellectus pabulum,& victus
DVLCE, QVASI APVM
Examen.
TV POMARIVM: TV VESTIARIVM NOSTRVM
in te Aristocratia,seu Monarchia nostra,nam ratio
semper sciens Monarcha dirigit.
TV PVBLICVS THEORIÆ FORVS,
errorum intellectus quasi scelerum altera Nemesis,
Iurium,& legum ærarium,mentium Pædagogus,liberalium Artium Patrona, Sophiæ mensa splendida,Basis veritatum,canora Cithara,Organum
suavi Interpretum voce dispositum.
Doctorum Magistra, Altum
Opificium, in quo
studiorum œconomia.
TV DENIQVE SPECVLA ES, SEV MONS IN
altitudinem ingentem cacuminis editus,vndè
tum Regiones altas,& in visceribus
tum recondita terræ mens
humana prospicit.
HORVM OMNIVM NOMEN TV
Limensis es Academia.
VIVE NOBIS
CVM NOS ÆTERNÆ SIMVS TIBI, CVI
perpetuum promeritum præsagimus
honorem.
LAVRVM MOMORDIMVS:
FAMA VELOX PRÆDICA
VT AVDIANT OMNES,
SCIANT CVNCTI.

CAPVT XX.

ILLATIO EX DICTIS.

Et brevis Academiarum dinumeratio.



ÆC Academia nostra, LIPSI, cuius descriptionis lineamenta, cum illâ, qui conferat, incidet in MARTIALIS verba: 75

Aut vtrumque putabis esse verum,
Aut vtrumque putabis esse pictum.

Ad incunabula temporis, & imperitissima sæcula remeasti, & iure (non nego) dum vetus Academiarũ specimen promisisti. Sed cùm iucundâ recordatione per Orbem terrarum paulisper peregrinari te velle affirmes; quid iucunditatis in barbarie mortuâ, & illepidâ invenisti, vt ibi sisteres? si rogatus es an Novus Orbis barbarus? Non ne phrasis tua, *fuit & non fuit*? & benè, prudentissimi enim modus est pensitare diligenter, inquit, HIPPOCRATES;

Quæ sunt, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

Tempus, quod Scytas, scytos* etiam potuit dare viros, Ignorantiæ ferrum dies consumit: **scitos*

Nullaque res maius tempore robur habet.

Nullus pudor ad meliora transire: quare ergò existentia nõ moveant iam meliora? tu nõ ipse, qui capite 7. de ATHALARICO Rege Gothorum loquutus, transiliens tempora prorumpis: ò Gothos iam non barbaros! quare non libuit dicere, ò Novum Orbem iam non barbarum? non beati mortales nascimur. (Dicebat Lovaniensis PVTANEVS in *Palæstra bonæ mentis.*) Cur transitum miraris? Nunquam in Lovanio barbaries?

sunt altera nobis
sydera?

Lovanium perdis, si famæ Novi Orbis non detrahas? efficieris pauperior, si aliquid laudis impartiaris? absit affirma-

re : neque affirmares, omnis enim

Sapiens vno minor Jove dives.

Annorum cōputatio non excusat, nam te fama posthuma natum literarum Antistitem prædicat, anno Domini 1574. sepultum lapidis sepulcralis inscriptio, anno Domini 1599. vltimum opus tuum inter celebria, quibus ditasti Orbem Lovanium est, teste RIVIO I.C. & in curiâ Belgicâ Melchiniæ causarum patrono: Academia autem nostra hæc Regia anno Dom. 1551. Regnante invicto Augusto CAROLO V. Imperatore. Dicā obviter gymnasio Limæ. Perge, age Cæsarem vehis, simulque Cæsaris fortunam. Fortè sic Deus annuit, vt nulla alia, licet numerosa superaret, vnâ demptâ Salmanticensi etiam meâ, cui antiquiori matri, vbi septennium consumpsi studiorū, libenter cedo filius, & Academia hæc Limensis cedit velut ex voto, & instituto, vtpotè filia, vtpotè hæres opinionum, Constitutionum, & Privilegiorū: viventis hæc sola hæreditas iure, & iustè defertur: Mexicana incepit anno Dom. 1553. auctoravit CLEMENS VIII. anno 1595. Nō ignorasti, LIPSI, sed omisisti: præterquam ne læderes generali, confuso, & indiviso sermone, dùm Mexicanos excipis, *Indos*, vel exprimere, vel supponere debuisti cum GOMARA. Pudet dicere, sed non pudet interrogare quæsisti LIPSI cum quî gente caderes (vt cum LVCANO *lib.* 8. loquar) indica, & Peruana ingenia autumans Indorum naturalium omnia in Novo Orbe? apage, falleris, & falluntur miserè, quotquot sic iudicant in exteris nationibus. Et vt communis fert parœmia aberrant à ianuâ. Indi enim misera hominum multitudo est, nec Academias, nec Sciētias profitentur, vix scribunt caracteres, vix legunt aliquā modò iam veluti è profundo somno experrecti: olim penitus ignorarunt literarum elementa, & figuras, nec in pronuntiatione Mexicani B.G.R.S. invenere, sed adsummum signa maiora, vt hieroglyphicos : testatur GOMARA etiam *tom.* 2. *histor fol.* 293. & refert aliqua MIDENDORPIVS *de Academijs lib.* 2. *fol.* 305. & in hoc Regno semper metallarij, tributarij, in argentifodinis, fuit quondam tota illa in-

eptiarum pluvia: erat totum Regnum Anarchia, seu inanimatum corpus, sine studijs scientiarum, vel vt TACITVS 2. *Histor. Omnem infimæ plebis rumorem affectant:* non Barbarorum illorum solum CALANVS pervasit: non ANACARSIS: nec per antiquum Indorum Orbem ABARIS sagittam, & si per alios, circumtulit. Adeò rationis expertes ante Hispanorum adventum, vt è mari concretos & coalitos spumâque nutritos, vulgò ferrent. Hinc apud eos dicti Hispani *Viracocha* à *Cocha*, id est mari, & à *Vira*, id est spuma: meminit huius rei SIMON MAIOL *de dieb. Canicularib. tom.* 5. *colloq.* 1. *fol* 1101. *liter. D.* Dæmonum potius illa antiqua Barbarorum congregatio fuit, quàm si Academiã appellas, dices etiam Academiam locum illum vbi Magiam per Dæmones docebantur homines, vel Toleti, vt vult LVITPRANDVS, vel Salmanticæ, vt TRANSMIERA, qui cecinit in genealogicâ illius civitatis descriptione sequentia

Estudio Nigromantesso
de la cueva Cypriana:
do es opinion Castellana
de siete quedar vn presso.

Sed irridet D. FRANC. TORREB. VILLALP. *lib.* 2. *de Magiâ divinatrice, c.* 11. *n.* 4. aliter sentit P. MARTIN. ANT. DELRIVS *in proloquio ad libros de Magiâ lib.* 2 *q.* 27. *sec.* 2 Dices etiam 77
Academiam speluncam HERCVLIS, de quâ multa apud Hispaniæ Historicos. Videndus D. FRANCISC. DE PISA *in Historiâ Toleti, lib.* 1. *c* 5. Qui discriminat hãc speluncam ab illâ fatidicâ Regis RODERICI. Ecquis Academiam dicet vbi in suggestu Dæmon? Infernum appellare decet, gymnasium tale nefandum: Cathedra quæ, nisi ignea erit? iam de Gymnosophistis legi in LVCIANO in rogum ingentem ascendentes spontè comburi, minimè vel forma, aut Cathedra excidentes, vt ipse blasphemus loquitur. Opera Satanæ, quæ nisi erroris? inventorem mali appellat CHRISOL. *serm.* 11. & totius sæculi interpolatorem TERTVL *de testim. anim. cap.* 3. Huius in scholâ, qui nisi centuari, & monstra? vt fabulantur, de illâ quæ dicta fuit scrupea schola, in quâ

Æs-

ÆSCVLAPIVS, & ACHILLES instituti fuere, quam sic pinxit VIRGILIVS
Spelunca alta fuit, vastoque immanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro, numerumque tenebris.
PACVVIVS apud PRISCIANVM *lib.6.* appellat *scrupulosam specum*: meminit illius etiam TERTVL. *de Pall. lib.1. c.4.* ibi *Scrupeâ scholâ eruditus.*

78 Homines verò (vt redeam) Peruani, seu Indici, non quia Indi, sed quia in Indiâ nati, in Americâ ab AMERICO VESPVTIO, seu Fer-Isabelica à Catholicis FERDINANDO, & ELISABET; sicut & qui in Lovanio Lovanienses, in Galliâ Galli, in Româ Romani. Si hæc ita non distinguis, in te aliàs eruditissimo, & literatissimo viro Novus Orbis, si non barbariem, barbarismum inveniet. Dicuntur *Indi* ab Indiâ, & flumine *Indo* à quo magna illa Asiæ provincia, cui MACEDONIS filius indixit bellum, Indè multitudo hominum exijsse ad Ætiopiam inter mare Rubrum, & Nilum testatur HERODOTVS, ideò CHRISTOPHORVS COLON, penetravit cuius fama pennata
Terrasq; tractusq; maris, cœlumq; profundum,
nomine Indiarum totum Novum Orbem insignivit; nisi mavis sic appellasse, quasi rectum errore efficeret, nam dû in Orientem Plagam migrasset: multosque post dies *terrâ* Nauta clamaret, quod navigantibus commune gaudium est: quò VIRGIL. 3. *Æneid.* ibi:
Iamque rubescebat stellis aurora fugatis,
Cum procul obscuros colles, humilemque videmus
Italiam, Italiam primus conclamat Achates.
Credit insulam Cipango in Orientalibus: sola Orientalis tunc India nota fuit, solus ille Mundus, quò respexit OVID. *lib.1. de art. am.*
Andromaden Perseus nigris portavit ab Indis:
Id est tincti coloris hominibus; placet magis id dicere, quàm nigris, id est à semotissimis, vt hyperbolicè dictum voluit Dom. D. LAVR. RAM. DE PRAD. *in Pentecontarch. c.45.* Fuscos enim (quales sunt Indi) vocamus *Merenos* imo
adhuc

adhuc inter Hispanos sic aliquando distinguimus: ni velimus Nasonem verè,& propriè loquutũ; nam in Orientali regione nigri etiã sunt Indi,vndè MARTIAL.*lib.6.epigr.*

Navigat à rubris,& niger Indus aquis.

Nec impropriè Indos nigros vocavit OVIDIVS, quia nigrum colorem albo præferunt, & prædiligunt; iuxtà PHILOSTRAT.*lib.2 in vitâ Apollonij,cap.9.* ibi: *Audisse item se ab Indis tradũt,Regem ad flumen accedere,cùm augeri dies incipiunt,& illic equos,nigrosque tauros flumini tanquam Deo sacrificari. Indi namque nigrum albo præferunt propter colorem,vt arbitror.* Fuit ergò hæc India fortuitò inventa, quod vt significet etiam posteris CHRISTOPHORVS, in scuto pinxit: 79

Por Castilla y por Leon
Nuevo Mundo hallò Colon.

Fama navim impulit ipsa, vt Hispanorum fortia pectora scrutaretur, & deinceps omnibus eos gentibus anteponeret.Prævidit ERCILLA *Arauc.c.35.*dum loquitur. ibi:

Sus,tomad possession todos a vna
de essas nuevas Provincias, y regiones
donde os tienen los hados a la entrada
tanta gloria y riqueza aparejada.

Mirantur exteræ nationes, dicuntq; admirabile,quod vnius CHRITOPHORI COLVMBI fœlicissimo ausu, vnius magnanimæ fœminæ ISABELÆ, scilicet Castelliæ Reginæ liberali sumptu factum fuerit hominibus, vt Novus planè inotesceret Orbis, magnitudine vix antiquo cedens. Ophiram eandem cum Americâ esse,sunt & qui astruere nitantur,& ad Peruvium inclinent. Illa intrincata apud omnes quæstio adhuc sub iudice est circa originem Indorum; scilicet an ab oriente venerint:an in navibus:& præcipuè augetur dubitandi ratio,cùm tot tamq; varia sint linguarum genera, vt confundantur:præcipuas dinumero. *Quichua*, *Aymarâ*, *Lupaca*, *Pacasa*, *Millcayac*, *Allentiac*, *Iunga*, sed hæc est eadẽ cum *Quichua*;omitto Mexicanã,& plures Novæ Hispaniæ. Americanam, quam dicimus generalem, seu vt Indi vo- 80

Nego.tot tincta.dis

cant *Quichna* quid Cimbricum, seu priscum Theutonicum resonare, sunt qui autument, & vt probent, expendunt aliqua verba, videlicet *Guairas* vt significet idem quod flabela: *Topos* id est, tegmen capitis: *Llama*, id est agnus. Et sic ex identitate horum verborum, antiquitatem, & originem variè excogitant. Sed quis in re tam obscurâ, & veteri, cuius nulla extat memoria, certam inveniet Indorum viam, quî à primis illis sedibus lõgissimis per maria huc se cõtulerint? Vix ergò itinera patent, per quæ homines, seu Barbari ad Novum hunc Orbem à principio venerint, vestigia vix percipi possunt: & ante CHRITOPHORVM COLVMBVM, LIPSI, Academiam quæris? per saxa, & rupes volutas, invius, & Andabatarum more. Quam invenisti apud GOMARAM, luto eam, IVSTE, obnubilas ignorantiæ, & iustè, nisi & nomine abuteris, cùm propriè gentium fuerit barbarorum colluvies illa, vbi Idola, idololatria. Præterquam in Academiâ ordo semper est disciplinæ, hanc barbaries omnis excludit: *Ex Chronic. Alexãdri* CERD. *in Tertullian. depromit lib. 16. num. 269.* ibi: *Dicta autem est barbaries, quod nullo mortales certo duce vitæ, nullo consensu viverent; sed quod sibi quisque præscribebat, quodque sua quemq; voluntas hortabatur, id cuique pro lege fuit.* Sed sine distinctione annotare barbariem, magna diiudicatio est; ò rarum notitiosi hominis argumentum! dum Academiam quærit ire ad Barbaros, non redire. Quid per tot sæcula cum Barbaris vir sapiens? cave à LVCIANO SAMOSATENSI, qui rogatus; doctum, & sapientem vndè cognoscendum, *in Hermotim sive de sect.* respondit: *à cupidine cum istiusmodi viris conversandi*: Omissionis tua culpa fuit, & levissimam dicerẽ, ni palea adhuc notitiosum, eruditissimũ, & politiorem virum dedeceret. Tu qui obviter, & frugaliter meminis in Lovanio, Græciæ, Assiæ, Italiæ, Hispaniæ, Romæ, Legislatoris CHARONDÆ, PYTHAGORÆ, qui cætus habuit iuvenũ æmulantium studia doctrinæ (quod ex LIVIO profers) potuisses, & novam hanc, iam non novam, Limensem Academiam, si nõ describere, saltim scribere notitiosus: potuisses, imò

iam vero defuisset Mexicanã magnificam etiam, literatissimamq; honorificam, qui barbaram veterem congregationem, non scientiarum, sed idololatriæ, cum GOMARA inter alias numerasti: meminit huius insignis civitatis MIDENDORP. *de Academ. lib. 2. fol. 306.* ibi: *Vrbe Mexicanâ Novæ Hispaniæ, & universæ Americæ præstantissimâ, residet Prorex, & Archiepiscopus. In eadem est ars imprimendi, & cudendi monetam.* Et nostræ Limæ descriptio Hispan. edita Lugdun. Batav. ex officinâ Elzevirianâ anni 1629. *fol. 256.* ibi: *Lima seu los Reies, Metropolis huius Provinciæ, & Emporium celeberrimũ.* Nec deest impressoria ars, ut in huius operis impressione videre est, ex officinâ IULIANI DE LOS SANCTOS. Exercetur etiã in aliâ, quæ dicitur antiqua, sive Fratrũ S. DOMINICI. Originẽ, & inventum narrat POLIDOR. VIRGIL. *de invent. rer. lib. 2. c.* 7. & RAPHAEL VOLATERRAN. *lib. 33.* Et divino impulsu hanc fuisse artẽ introductam, dicitur in *Conc. Later. sub Leon. X. const.* 10. & prima opera Typica fuisse tractatum DIV. AVGV. *de Civit. Dei*, & consequenter LACTANTI FIRM. cõmuniter fertur: videndi BEYERLINCK *in Theatr. vit. hum.* & quos ipse laudat: sunt & Poëtarũ encomia huius artis, & inter alia PHILIPP. BEROAL. ibi:

O Germania muneris repertrix,
Quo nihil utilius dedit vetustas:
Libros scribere quæ doces momento.

Plura refert MIDENDORP. *de Academ. lib. 1. c. 22.* & MAIOL. *Dier. canicul. in memorabilib. fol.* 423. sed in Typographos invehit *fol.* 789.

Antequam hinc abeam, ut notitiosis paululum obtemperem studijs, aliqua de antiquis, & novis Academijs referre breviter lubet. Dicta est Academia à villâ propè Athenas, & loco nemoroso, & sub palustri ac ideò insalubri possessa olim ab ACADEMO heroe ut ait LAERTIUS, & ijsdem verbis LUDOVIC. VIVES in *notis ad Di. Aug. de civi. Dei ad Marcell. lib. 8. cap.* hinc duxit originem. Academia vetus fuit, & alia nova, scilicet schola Platonica, inde Platonici dicti sunt. Fuerunt & scholæ divinâ ordinatione con- 83

lib. 7. de GYOERNIS, ac finib. de Ethiopia [illegible] 49. lib. 8. Diu. [illegible] de India [illegible] MIDENDOR P lib. 11. fol. 305. de alijs [illegible] Posteriores Academiae fuere Bononia, Ferraria, Florentia, Mediolanum, Neapolis, Patavium, Pisa, Caesaraugusta,
84 Conimbrica, Granata, Hispalis, Toletum, Valentia, Parisium, Andegavum, Aurelia, Burdegala, Lugdunum, [illegible] Tolosa, Colonia, Maguntia, Vienna, Praga, Oxonium, Complutum, Avila, Siguença, Mexicana, Limensis, quam praedico, Salmantica mea, cui ego semper debitor obsequij: haec inter omnes totius universi princeps, & quasi fons, unde alia Gymnasia veluti rivi [illegible] doctrinae bibunt: sunt ibi omnia quasi in compendio. Praesentit BEYERL. in Theatr. 8 vit. hum. tom. 1 litt. [illegible] verbo Academia vers. Hispania, ibi: A Salmantica omnes ferè Hispaniae urbes, & populi tanquam à domina leges, institutiones, & viuere petunt. Hinc ad Curiam Regiam Consiliarij, Iurisconsulti, Theologi, Medici, & cuiuscunque scientiae Doctores & Magistri proficiscuntur. Eadem fuse ANTON. POSSEVIN. lib. 1. Bibliot. select. cap. 8. sub titulo Salmanticensis Academiae oeconomia, leges, mores, studia.

85 Quem titulum nostra etiam Academia Limensis cepit quia nulla esset consideratio politica, si ordo deficeret, si iura, si leges, quae etiam potentia tuta, si viribus non imponit modum, & in unoquoque genere sua quasi Monarchia non est? statim in nihilum omnis solvitur harmonia. Ideo condita sunt statuta. Habet 268. quae sequentibus deserviunt titulis: TITVLO 1. ELECTIO RECTORIS, ET OFFICIALIVM Constitutiones 8. TIT. 2. RECTOR constitutiones 28. TIT. 3. CONSILIARII, ET VICE-RECTOR constitutiones 4. TIT. 4. DOCTORES, ET MAGISTRI constitutiones 25. TIT. 5. CLAVSTRVM constitutiones 7. TIT. 6. CATHEDRAE, CATHEDRATICI constitutiones 67. TIT. 7. SCHOLASTICI constitutiones 7. TIT. 8. THESAVRARIVS constitutiones 3. TIT. 9. SECRETARIVS constitutiones 9. TIT. 10. BEDELLI constitutiones 12. TIT. 11. GRADVS constitu-

stitutiones 61. *TIT. 12. BACCALAVRI ET PVPILLI* constitutiones 15. *TIT. 13. FESTIVITATES* constitutiones 5. Est etiam præscripta forma Rectoris, Consiliariorum, Doctorum, Scholarium, & Officialium iuramento *in constitutionib.* 264. 265. 266. 267. in ordine. Sunt & his aliæ plures cõstitutiones superadditæ, quæ dicuntur novæ. Vniuscuiusque summarium referre non libuit: tum ne fastidiosus essem legenti, tum quia transcriptæ ferè omnes hæ sunt ex Salmanticensibus. Celebrem dumtaxat oculis legentis subiicio octavam ex novis ad literam.

Iten que ninguno pueda recebir grado mayor de Licenciado, Maestro, ni Doctor en facultad alguna, ni aun el de Bachiller en Teologia, sin que primero haga juramento en vn libro Missal, delante del que le ha de dar el grado, y los demas que assistieren, de que creerâ, y enseñarâ de palabra, y por escrito aver sido la siempre Virgẽ MARIA Madre de Dios, y Señora nuestra concebida sin pecado original. El qual juramento se pondrà como lo hizo, en el titulo, que del grado se despachare. Y si sucediere aver al- 86

guno

guno (lo qual nuestro Señor Dios no permita) que rehusare hazer el juramento, le será por el mismo caso denegado el grado, y el que se atreviere a darsele, incurra por el mismo caso en pena de cien ducados de Castilla para la
86 caxa desta Vniversidad: y en privacion de oficio el Secretario de la Vniversidad, que no denunciare ante el Rector del caso. Y fia se tanto de la devocion de todos para cō la Madre de Dios, que se espera, nunca sucederá, con que obligue a execucion de estas penas.

87 Hucusque sic perventum est piissimè, & iustissimè hac constitutione. Doctorum opera virgo perficit, iuxta S. BONAVENT. in Specul. Virginis. ibi: [illegible] MARIA *in oculis Domini hanc gratiam invenit, ut ipsas spicas, id est animas a messoribus derelictas colligere ad veniam possit: qui sunt messores, nisi Doctores & Rectores? &c.* Theologiæ, sacris libris, Iurisprudentiæ, & Philosophiæ sacra Virgo præest, quæ diu nobilis Apostolorum Collegio præfuit: probant LVCI DEXTRI verba in suo Chronico anno Christi 34. ibi: *Sacra virgo consilio, luce doctrinæ, & mirabili vita exemplo præsidet Collegio Apostolico, ibique*

gratis gerunt illi quod non ejus consilio ductuque gerant. Nō potest non rectum , quod à MARIA est. Vndè RICHARD. *lib. 1. par. 2.* MARIA *Apostolorum Magistra facta, qui nostri deinde Magistri facti sunt:* & GVARRICVS Abbas *serm. 1. de Annuntiat. Ex ipsa paravit sapientia domum ad quiescendū, & Cathedram ad docendū:* & S. VINCENTIVS FERRERIVS *Virgo* MARIA *melius sciuit Biblia quàm Propheta:* & S. ANSELM. *Omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ sunt in* MARIA quia vt apud RVPERTVM Abbatem ipsa: *Nihil Rex Cœli, & terræ à me abscondit.* O Virgo MARIA, CHRISTI Domini Mater Virgo Mater, quæ à peccati originalis macula tu sola semper libera, etsi reliqui omnes Adæ filij perditionis extitere filij: verbo rem claudam, quæ claudi nō potest verbis: O MARIA quæ vbique MARIA! Vbiq; pia vbique misericors serva nos, dirige, iuva, vt indies floreat Academia nostra, imò tua, quam protegis Domina Mundi, & Cœlorum Regina.

His ergò constitutionibus constat Vniversitatis Regimen, his claret doctrinarum ordo, & scientiarum omnium chorus. Habetur etiam quotidie ratio temporis & horarū, vt in Auditorijs Magistri alternatis vtātur vicibus, & mutuò se expellant. Fuit & apud veteres Romanos divisio diei: vt MARTIAL. scribit *lib. 4. epigram. 7.* ibi: 88

Prima salutantes atque altera continet hora.
Exercet raucos tertia causidicos.
In quintam varios extendit Roma labores.
Sexta quies lassis, septima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octava palæstris
Imperat extructos frangere nona thoros
Hora libellorum decima est Euphème meorum
Temperat ambrosias cum tua cura dapes.

Et IVVENAL. *satyr. 1.* ibi:

Ipse dies pulchro distinguitur ordine rerum
Sportula, deinde forum, jurisque peritus Apollo,
Atque triumphales,

Scholastici ferè omnes gaudent exercicio, non ingens illa

guno (lo qual nuestro Señor Dios no permita) que rehusare hazer el juramẽto, le será por el mismo caso denegado el grado, y el que se atreviere a darsele, incurra por el mismo caso en pena de cien ducados de Castilla para la caxa desta Vniversidad: y en privacion de oficio el Secretario de la Vniversidad, que no denunciare ante el Rector del caso. Y sia se tanto de la devocion de todos para cõ la Madre de Dios, que se espera, nunca sucederá, con que obligue a execucion de estas penas.

87 Hucusque sic perventum est piissima, & iustissima hac constitutione. Doctorum opera virgo perficit, iuxta S. BONAVENTVRA in Speculo Virgin. [illegible] MARIA in oculis Domini hanc gratiam invenit, ut ipsas spicas, id est animas a messoribus derelictas colligere ad veniam possit. qui sunt messores, nisi Doctores & Rectores? &c. Theologiæ, sacris libris, Iurisprudentiæ, & Philosophiæ sacra Virgo præest, quæ diu nobilis Apostolorum Collegio præfuit: probant LVCI DEXTRI verba in suo Chronico anno Christi 41. [illegible] Sacra virgo consilio, luce doctrinæ, & mirabili vita exemplo præstat Collegio Apostolico, nihilque

sta-

grave gerunt illi quod non eius consilio, ductuque gerant. Nõ potest non rectum, quod à MARIA est. Vndè RICHARD. *lib.* 1. *par.* 2 MARIA *Apostolorum Magistra facta, qui nostri deinde Magistri facti sunt:*& GVARRICVS Abbas *serm.* 1. *de Annuntiat. Ex ipsâ paravit sapientia domum ad quiescendũ, & Cathedram ad docendũ:* & S. VINCENTIVS FERRERIVS: *Virgo* MARIA *melius sciebat Biblia, quàm Prophetæ:*& S. ANSELM. *Omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ sunt in* MARIA quia vt apud RVPERTVM Abbatem ipsa: *Nihil Rex Cæli, & terræ à me abscondit.* O Virgo MARIA, CHRISTI Domini Mater! Virgo Mater, quæ à peccati originalis maculâ tu sola semper libera, etsi reliqui omnes ADÆ filij perditionis extitere filij: verbo rem claudam, quæ claudi nõ potest verbis: O MARIA quæ vbique MARIA! Vbiq; pia vbique misericors serva nos, dirige, iuva, vt indiès floreat Academia nostra, imò tua, quam protegis Domina Mundi, & Cœlorum Regina.

His ergò constitutionibus constat Vniversitatis Regimen, his claret doctrinarum ordo, & scientiarum omniũ chorus. Habetur etiam quotidie ratio temporis & horarũ, vt in Auditorijs Magistri alternatis vtãtur vicibus, & mutuò se expellant. Fuit & apud veteres Romanos divisio diei: vt MARTIAL. scribit *lib.* 4. *epigram.* 7. ibi: 88

Prima salutantes atque altera continet hora.
Exercet raucos tertia causidicos.
In quintam varios extendit Roma labores.
Sexta quies lassis, septima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octava palæstris
Imperat extructos frangere nona thoros
Hora libellorum decima est Eupheme meorum
Temperat ambrosias cum tuâ curâ dapes.

Et IVVENAL. *satyr.* 1. ibi:

Ipse dies pulchro distinguitur ordine rerum
Sportula, deinde forum, iurisque peritus Apollo,
Atque triumphales,

Scholastici ferè omnes gaudent exercicio, non ingens illa

mul-

multitudo hic hominum est, quam in suis quisque dinumerat Academijs scriptor; sed quae sufficit, vt multi sint scientiarum alumni, exercitata paucitas adhuc ad victoriam promptior est, quàm rudis multitudo. Non tam copiae hic sunt divitiarum, quàm regularum, quae adhuc in sumptu faciendo quaeruntur, iuxta illud vulgò dictum:

non vult regia qui rentu.

Vnde Horatius

Si rectè frueris, non est vt copia maior
Ab Ioue donari possit tibi.

Et ideo Modestinus quidam dicebat *in sumptu faciendo quem sius consistit.* Quod non prodest, non est: ergò aliquando copia hominum, inopia est: multi rudes, nulli; recedamus vetera Lipsi,

Vltima seruiunt studijs melioribus aetas.

Adhuc

Anguibus exuitur tenui cum pelle vetustas;
88 *Cur nos angusta conditione sumus?*

89 Tibulli querimonia est. Viret Academia nostra, non friget schola, ergò à cessante ratione Zonaras te reprehendit 3. *annal. in Iustin.* ibi: *Frigentibus passim in oppido scholis rusticitas, & barbaries occupavit inhabitantes.* Non omnia nondum adhuc nata ingenia Indica vt generaliter loquar, cribro, vt aiunt, divinas, hà acutissimis; novus hic Orbis feracissimus est, & acuminibus pollet, sine cortice nat. Testis est oculatus & omni exceptione maior tot vicibus admirandus, quot & laudandus Dom. D. Ioan. de Solorzan, Regius Consiliarius in vtroque supremo Castellae, & Indiarum Senatu, *tom. 2. de iur. Indiar. lib. 1. c. 29. n. 22.* ibi: *Et nos quotidianis experimentis agnoscimus innumeros Indigenas, tam bello quàm toga & (quod magis praestat) vitae sanctimonia conspicuos evasisse, & quotidie videre, quorum nomina summa quidem voluptate, atque animi alacritate laudarem, ni vererer ipsorum, qui laudandi essent modestiam offendere, & alios concitare, aut contristare; qui propter prolixae relationis taedium, omittenda essent, [illegible] Concilio, [illegible]*

ma-

manus etiam meus D. D. ANTONIVS DE LEON PINELO, quem legum peritia, historiarum cognitio, bonarum literarum dulcis harmonia, scribendi stylus commendant, vt (præter quotidiana opera; quib⁹ assiduè & indefesfsè assistit) manifestant Summaria novæ Recopilationis Regalium schedularum, Bibliotheca Indica, quæstio iucundi potus *Chocolate*, tractatus de velo & amictu mulierum, & singularis ille de confirmat. Realib. quem videns D. D. IOAN. FERDINAND. PIZARRO Consiliarius Regius *in discurs. pro Marchion. D. Franc. Pizarr. fol.* 79 ait; *Del Licenciado D. Antonio de Leon Pinelo, cuydadoso Escritor de las cosas de las Indias, y como tal justamente premiado de vuestra Magestad.* Frater ergò prædictus meus, filius etiam huius Vniversitatis, qui Relatoris officium summâ cum laude exercet in supremo Regali Indiarum Senatu iustitiæ, & Cameræ *d. tract. de Confirm. Real. part.* 1. *c.* 15. *n.* 41. ibi: *Por las letras estan las dos Vniversidades de Lima y Mexico, produciendo sugetos dignos de toda estimacion, &c.* Facit & schedula Regia D. Regis PHILIPPI II. 30. *Decembris ann.* Domini 1588. ibi: *Por quãto aviendo yo mandado fundar vn Estudio y Vniversidad en la ciudad de los Reyes de las Provincias del Perù, ha sido N. Señor servido de que al intento ayan correspondido efectos de mucho fruto en bien universal de aquel Reyno, mediante el grã exercicio de letras, que continuamente se tiene en la dicha Vniversidad, de que han resultado sugetos de mucha consideracion en todas facultades, &c.* Lubet etiam transcribere verba 97 FR. IOAN. ZAPATA *in tract. de Iust. distrib.* 2. *part. cap.* 11. *n.* 20. ibi: *Adeò tendit effrænata cupido, & dura aliquorum æmulatio, vt non solum eos, qui Indi, & ex Indis oriuntur, incapaces, vt admittantur, appellent; sed eos etiam, qui ex Hispanis parentibus inter Indos solummodo nati fuerint, eadem incapacitatis notã, quam ipsi somniantes, & ambientes finxere, inurere voluerint, & absque Dei timore, & hominũ debitã charitate ausi sunt in eos & verbo & scripto invehere; sed quantum eos sua somnia (ne dixerim ambientiũ suggestus) fefellerint, & viri Doctissimi, & Patres religiosissi-*

mi, Episcopi Piissimi, qui in Ecclesiâ Dei laborantes, ac si primitivi milites essent manifestissimè probant, & ostendunt. Quos Novus ille Orbis, vt fructus vberrimos fœcundissimè protulit & vt filios vsque ad perfectum ætatis, & virtutis statum procreavit, literis instruxit, morum compositione honestavit, vt eos in Pastores, Iudices, & Patres eorum propria & amica patria suscipiat; iterum & amplectatur. Invehit in eos, qui temerè imponunt vitia Peruanis hominibus, & pro patriâ pugnat, nam ius gentium cogit iuxtà textum in l. 2. D. *de iust. & iur.* ibi: *Veluti ergà Deum Religio, vt parentibus, & patriæ pareamus*: vndè vt MARCEL. inquit in *l. minimè* 35. D. *de Relig. & sumpt. fun.* minimè maiores lugendum putarũt eum, qui ad patriam delendam venerit, quasi amor patriæ antecellat sanguinis coniunctioni: rectè D. GREGOR. NYSSEN. *Qui virtute præditus est, hanc colit.* Gens ergò verè Hispana, à quâ origo nostra est, barbariem in Indis non admisit, sed omisit: & licet nullus hucusque sit Patronus, qui patrocinetur verbis adeò fortibus, & contra nos syccophantam agat, *Academia* dicebat LVCIAN. bis accusatus *semper in vtramque parata, atque instructa est orationem, ideoque etiam exercet sese vt contraria probè possit dicere.* Parce, LIPSI, lusimus satis:

Innocuos censura potest permittere lusus

Parcite LIPSI lipsana, quæ fateor tuis in libris, ingenuis, liberis eruditissima, & laudibus referta dignis, facti hæc vobiscum quæstio, non iuris.

Et tu, ò ACADEMIA, cui Primarius inservio Canonum interpres publicus, & famam publicè defendo lubens tuã, & honorem tot annis fortè iniustè læsum, quot periodus Lipsiana me glossatore caruit, plaude, & contentus ero cum DIVO AVGVSTINO dicere *lib. 8. confess. c. 12. Gratulabar testimonio eius, quod in vltimâ ægritudine obsequijs meis interblandiens appellabat me pium.*

CONTINVATIO operis.



SEquuntur dissertatiunculæ, quas Iudices, & Auditores meos, purgatis auribus, percepisse vidi; Vnus: 91

Sua narret Vlysses
Quæ sine teste gerit.

Ingeniosas vix dicere audeo, ne (vt SEPTIMIVS in *Apolog. lib. 2. cap. 3.* considerat) clausis oculis aliqui in odium earum impingant, quo veritas obnubilatur, quæ plerumque surripi odio solet. Rectè etiam PLIN. Iunior *lib. 1. epist. Pompej Saturn. Si silenda feceris factum ipsum, si laudanda, quod non sileas, ipse culparis.* Me cum, & cum libellis meis loquor, ni quia tentavi alijs auribus dicere, severos opellæ discussores iam invenerim. Sed quidquid sit, cùm officij mei esse reputem Hypomnemati huic Apologetico nonnullas Legum & Canonum disceptationes annectere, vt quasi indicent Academiæ doctrinas, Theoninum dentem pertimescere non licet, cui enim? nec HOMERO pepercit BION: *Fœlices* (inquit D. HIERONY. *super obit. Paulin epist. 26. ad Pamach.*) *essent artes, si de illis soli artifices iudicarent. Poëtam non potest nosse, nisi qui versum potest struere: Philosophos non intelligit, nisi qui scit dogmatum varietates.* Consonat PLINIO *lib. 1. epist. Atio Clem.* ibi: *Vt enim de pictore, sculptore, fictore, nisi artifex iudicare; ita nisi sapiens, non potest percipere sapientem.* Rem Pulcherrimam, Novi Orbis animam, Academiã, inquam, prædico D. MARCI, omen in nomine vt perenet. Conatum quisq; laudabit: effectum fortè nõ nemo. Minimus ego omnium, qui antrum MERCVRI ingrediuntur, & adhuc scribere volui, vbi enim propter dignitatem rei prædicandæ nullus sufficit, quicunque potest, quia quicunq; non potest; præterquam non insolens ex minimis maxima


coniicere. Eleganter PERS. *satyr.6.*

pulsu dignoscere cautus
Quod solidum crepit, & picta tectoria linguæ.

Sic etiam Medici ex vnius arteriæ pulsu de totâ hominis valetudine iudicant: ex lineâ APELLEM PROTOGENES, & ex Pisano stadio quod HERCVLES suis pedibus metatus erat illius corporis mensuram PYTHAGORAS cognovere: imò ex nævo ingenium hominis æstimatur; ingens ex scintilla saxum, & ex vngue Leo. Negotium feci, nescio an perfeci, cùm nihil sit, dicebat HORATIVS

ab omni parte beatum

Aliqua forsam excogitavero, si alij iam prædixerint, licet PLINIVS Iunior rescribat: *Præterea suæ quisque inventioni favet, & quasi fortissimum complectitur, quum ab alio dictũ est, quod ipse prævidit.* Gaudeo: probatum enim & receptũ voluisse dicar; admirationem non inquiro, sequi enim gloria, non appeti debet, sed cùm nescire fatear, quid sit otiũ, quid quies, quid denique illud iners quidem, iucundum tamen, nil agere, nihil esse (adeò multa me negotia nec sedere, nec studere patiuntur extranea à munere & onere) voluisse sat erit. Se ipsam veritas commendet, quam opella præsefert: nam vt LACTANTIVS FIRM. *Divinar. instit. lib. 3. cap. 1. Tanta est potentia veritatis vt se ipsam, quamvis in rebus exiguis suâ claritate defendat*; grati animi officium erga Academiam sicut probatum iri Doctoribus non dubito, ita ipsi, quoque non aspernentur. Styli paupertatem animi affectus excusat, & veniam præparat, hanc exopto vt veluti quodam antipharmaco tractatum præmuniat.



DISSERTATIVNCVLA I.

CAP. SIGNIFICANTE DE PIGNORIBVS

LIB. III. DE CRETAL.

QVOD

TOTIVS FERE TITVLI,

ET SELECTIORVM EJVS

PERIOCHA

EST:

INNOCENTIVM III.

PONTIF. MAXIM.

VTRIVSQ. IVRIS PRVDENTISSIMVM SISTIT.



X solemni Academiæ noſtræ Limenſis ritu, in publicâ literarum Orcheſtrâ, Iuris Canonici Veſperalis Cathedræ, pro examine dedi extemporaneam in cōſpectu iudicum diſſertatiunculam capitis huius; & quem vnius horæ volubili arenarum rotante motu tractatum pro roſtris, cenſorinis frontibus, & poſt diſcipulis latiori calamo lubens recitavi, hæc commentatio cludit. Illius publicam rogationem (vt vtar TACITI verbis, *lib. 3. annalium*, GELI, *cap. 20. lib. 10.* SVETONI, *in Cæſar. cap. 2.*) Expo- 1

nere

nere vt possim vtiliter, sit principium DEVS ter Optimus ter Maximus, cujus sapientia & fortitudo sunt. Quo duce, quæstiones singulis INNOCENTI III. verbis comprehensas, ex vera Iuris Canonici, & eius consanguinei Iuriscivilis ratione, derivare, ac deducere non dubito.

2 Postquam egerat INNOCENTIVS de computatione fructuum, ad quam furacem feneratorem compelli decrevit *in c. illo de pignorib.* ne sinceram cõtractuum fidem sub velo iustitiæ efrænata cupiditas attaminaret, & casum *l. 1. C. si pign. pignor. datum sit* excogitaverat *in c. cum contra 6. eodẽ tit de pignor*, quasi repetiti sermonis argumentum instituit *in c. significante 7. de imputatione fructuum*, & commissoriæ legis in pignoribus; sive fiduciæ improbatâ pactione; quâ rapinæ æmulâ, ditesceret creditor iniustè. Vt ergò Pontificis regulam priscis Iurisconsultorũ legibus partim scatentem, lustrare, & illustrare possimus, & varij difficultatum excursus dispersi palentur, distinctione, & ordine procedamus. Et primò ad certam facti fidem; hanc fortè olim LVCINNIVS RVFINVS coætaneus IVLI PAVLI petijt *in l. 4. D. quibus ad libert. proclamat. nõ licet.* ibi: *Peto itaque, vt plenissimè instruas.*

PROPOSITIO.

3 RODERICVS civis Pisanus biscentum & quinquaginta libras auri mutuatitias. à GVIDONE accepit concive suo; & sub pacto commissoriæ legis domum pignori dedit, iuramẽto præstito, illiusque maximâ obstrictus fide, quòd, ni statuto tempore recolligeret, pactionis lege teneretur. Vt miseram debitoris quasi servitutẽ effugeret, (cui nunquã tempus pigro currit elapsu) nuntio, quem putarat fidelem pecuniam tradidit perferendam creditori. Quantum in se fuit, licet R. adimpleverit iuramenti vinculum, quia perfidè se gessit nuntius & inscius nec potuit verè solvere cre

ditori

ditori ab Imperatore detentus, conditione deficitur. Tentans querimoniam creditor, ficcine dissimulans avaritiam, oppositâ commissoriâ lege, quam durissimã fecit proprij negotiatio lucri, motus ambitu pignoris, domum restituere recusavit. Quid non ausit ambitio! mentem auri sacra, seu execranda fames, non juramenti Religio fovet:

Impius ante aras, atque auri caecus amore

Pro exiguo debito rem magni valoris amat. O quàm verè PROPERTIVS! de hoc avaritiæ parente:

Aurum omnes victâ jam pietate colunt.

Annecto verba NASONIS 3. *Metham.*

Moderaminaque ipsa nocebant

Necessitas enim, & excusatio iusta debitoris avaritiam excitat creditoris: prædæ tam cæca cupido est, cæcus omnis avarus; beneficij nomen amittit illius beneficentia, *neq; si ob tuam causam*, inquit CICERO, *cuiquam commodes beneficium, id putandum est, sed feneratio.* Quàm alia, quàm diversa liberalitatis gloria! quæ in eo sita est, vt instar agri fertilis plus det, quàm acceperit, ideò ALEX. AB ALEX. *Dier. genial. lib. 5. cap. 1. Qui ingenuè liberalis est, non id appetit, vt beneficium adhuc pro beneficio feneretur.* Regia virtus est liberalitas; cultores suos ad portum Cœli ducit, nec finit eos in divitiarum fluctibus periclitari, dicebat ANONIMVS; huc illud *Psalm, 3. Iucundus homo, qui miseretur, & commodat.* Ve Tãtalis, qui ore sicco dumtaxat inhiant auro, ò rarum supplicium: sitire cum nihil sit opus sitiunt, non vt Ille miser Tãtalus per violentiam, sed violenti. Avaros intelligo, & fenore impios sarcasmo MARCI CRASSI digniores; huius enim, etsi liquatum aurum ori infusum, mortuo tamen, & semel, & proprium; sed illi vitales impurum, & vsuræ maculâ obscœnum milliès bibunt, & de aliorum ventre extrahunt. Ideò fortè avarum, sanguisugam ad corpus humanum dicit D. THOM. *opuscul. de regimin, Princ. lib. 3. cap.* 15. asservat pecunias, nec sibi, nec alijs, *non aliter est*, inquit LVCIANVS, *quam in præsepi canis, nec ipse vescens hordeis, nec equum famelicum id facere sinens.* Sola divitum indecora parsimonia est.

IN-

INNOCENTIVS III. creditoris iniustitiam condemnans, epithymiam illius destruit. & debitoris causam obfirmat aliquibus regulis, & inconcussæ veritatis rationibus. Erit instituti nostri repetere, sic promittimus; iam damus.

VERSICVLVS. I.

ibi... *CVM IGITVR PACTVM LEGIS COMMISSORIAE SIT IN PIGNORIBVS IMPROBATVM.*

4 

Lausu communi fulcitur iuris hoc fragmētum *l. 1. l. 3. C. de pact. pignor & de leg. commiss. in pignor. rescind.* nam vt Glossographus GOTHOPHRE. *in d. l. 3. Captiosa*, ait, *lex commissoria in pignore, cum pro ære modico pretiosa res frequenter supponatur.* Eiusdem rationis consors est *l. 41. tit. 5. p. 5.* videndos ex rationalissimo sapientum gremio deligo COVARRVB. *lib. 3. vari. cap. 2. à n. 7.* NEGVSANT. *de Pign. part. 4. à principio* MOLINAM Theologum *de Iusti. & iuri tract. 2. disp. 324* AZOR. *instit. moral. p. 3. lib. 7.* LÆSSIVM *de Iustit. & iur. lib. 2. c. 20. dubit. 15 n. 133.* IACOB. CVIAC. *lib. 2. de feud. tit. 29. & ad titul. C. de pact. inte. emptor & vend.* DONEL. iuncto OSVAL *lib. 18. comm. cap. 19.* DVAREN. *ad titul. de lege commisso.* IOANNEM LVPVM *de vsur. comm. 2. in præfat. n. 16.* GVTIERREZ *de Iuram. confirm. p. 1. tit. 9. q. 10. n. 7.* BELON. *de Potest. eorum quæ in contin. fiunt vel ex interval. lib. 1. c. 39. de leg. cōm. n. 3.* ANTO. FABER. *de Error. pragmaticor. decad. 21. error. 2.* CALD. PEREI. *in l. si curatorem. verbo sua facilitate C. de integr. restit. minor. & de empt. & vendit. in 2. p. rubri. à n. 27.* RODRIG. *de annuis reddit. lib. 2. q. 2. per totam.* SVRD *decis. 248. à nu. 9.* MANTICAM *de tacitis, & ambig. convent. lib. 11. tit. 9.* BRITO *1. p. rubr. de locat.* TIRAQVEL. *de Retract. cōvent. in fine n. 136* PINEL. *2. p. rubric. de rescind. vend. c. 1. à nu. 26.* novissimè NONIVS COSTA *de Privileg. creditor. regul. 3. limit. 2. à n. 8.* Huius regulæ doctri-

* *sine epistetis*

nam lapidem ad lydium examinare, nunc mihi regula est. Ergo vt exequar, contraria iura civilia afferamus, & diluamus: nec oleum, & operam perdidisse videbimur, si hæc explicentur, & decidendi rationem præcedant, vel præparent.

Dubitandi ansam Interpretibus offert MARCELLVS in *l. Titius* 34. D. *de pignor. actio.* cum rei pignoratæ venditionem pacto contractam rescindi nõ posse affirmet, & si debitor sortem, & vsuras vltrò solvere paratus sit; ergo hanc licere pactionẽ in pignore supponit. Expressius id exeritur ex *l. si fundus* 16. §. *fin.* D. *de pignor. & hypothec.* vbi MARCIANVS pignoris dationẽ ita fieri, vt si intra certũ tempus nõ sit soluta pecunia, iure emptoris rem possideat permittit omnino. Rursus inter debitorem, & fideiussorem, intercedente pacto, prædia empta habere licere, quæ creditoribus obligaverat, scripsit SCÆVOLA, *l. Titius* 81. D. *de cõtrah. empt.* ergo benè verum non est legem commissoriam in pignoribus reprobari; ni maluerimus hæc esse quasi paludamenta, quibus armata vetus Iurisconsultorum sapientia adversus nos pugnet. 5.

His legibus vexati interpretes variè opinati sunt. Et 1 distinctionem constituunt inter debitorem, creditoremq;, & inter debitorem, & fideiussorem de lege commissoria in pignore paciscentes. Tangit MENOCH. *de adipisc. remed.* 5. *n.* 39. adnotarunt BARTOL. *in l. quamvis* D. *de solutio* ABBAS *in d. c. significante* 8. *n.* 6. SALICET *in d. l. vltim.* D. *de contrah. emption.* & communem opinionẽ dicit COVAR. *lib.* 3. *varia. cap.* 2. *n.* 7. & in secunda specie, SCÆVOLÆ responsum probant *in d. l. final.* moventur ex eo; nam pro alio fideiubere pretio æstimabile est *l. hoc iure* 19. §. *labeo* D *de donat* vndè prohibitionem lucri vltra sortem, à quo abstinet iustus creditor egenti debitori mutuans cessare fideiussoris respectu suadentur. 6.

Mutila hæc distinctio est, & acuit ruborem, quia convincitur manifeste; nam fideiussoris officium, alias liberale, ad locationem & conductionem respiceret intercedente 7.

pecunia *l.* 1. §. *mandatum* D. *mandati*: cũ debeat durare gratuitum, vtpote mandati naturam præseferens, *l. si remunerandi* 6. §. *passus sim l. qui fide* 53. *l. si procur.* 40. *l. si vero* 12. §. *Marcellus* D. *eodem titul.* & nil sit officiõ magis contrariũ quam merces, vndè SENECA, *lib.* 4. *de benefic. c.* 40. *Reiiciendi genus est protinus aliud beneficium mittere, & inanis munere expungere.* Et idem *lib.* 2. *c,* 6. *Quam dulce, quam pretiosum est si gratias sibi agi non est passus, qui dedit; si dedisse, dum dat, oblitus est.* Nec sufficit fideiussionẽ onus esse, nã etiã tutela nõ honos est, sed onus, & tamẽ nõ ipso iure statim Tutori salarium debetur: ita BARTOL. MENOCH. VBESENBECH. CAMIL. BORREL. ANTON. PIAGGIVS; quos refert ANTONIVS HERING. *de fideiussor. p.* 1. *c.* 26. *n.* 128. debet ergo fideiussoris officium esse gratuitum, imo maior illius (etsi quæ confert beneficia singula sint damna sui) quam creditoris mutuantis largitas, quia nihil impẽdit. Si ergo sors mutuatitia creditori ipsi, cui abest, nihil debet parere; quanto minus fideiussori simplex verborum prolatio? observat GALDAS vbi supra, *n.* 96. & *de empt. & vendition. cap.* 28. *à n.* 140. addit *Perniciosa etiam huiusmodi exactio semper nobis visa est, per quam omnis vsurarum prohibitio, sacrorumque Canonum in fæneratores detestatio defraudari, ac eludi facilime potest, si mutuans sine fideiussore fingat se mutuare nole; aliumque supponat amicũ, qui fideiussoris officio fungatur, isque pecuniã extorqueat.* Hinc est ruptam dici fidem si fideiussor emat bona debitoris *l.* 1. *C. de dolo.* quam legem explicat. ANT. FAB. *de errorib pragmat. decade* 9. *error.* 4. iuncta *l. si mandatu* 95. §. 1. D. *mandat* & reor veteres Gymnasiarcas supra relatos proprijs perire armis distinctione illa, funereo velut tegmine incedentes, cum fideiussor pro alio solvens statim creditoris munus novo alitu foveat *l. creditorem* 11. D. *de verb. signi.* & ex tunc incipiat pactum legis commissoriæ, & cadant in commissum perpetuo pignora. Non inveruste IOAN. EVSEBI NIREMBERG vir de omnibus literis satis bene meritus in sua sapientia mythica. *Cum creditor, inquit, sponsorem convenit plus vrgebit fideiussor debitorem quam creditor*

ipsi, nec hunc iam adeò verebitur ære alieno obnoxius, sed fidei-iussorem sua sponte pensitaturum, ira non æris debiti solum nomine, sed ingrati animi, violatæque fidei. Itaque dubio procul tor exactores lucratius, magis formidabit illum, qui magis benignus fuit. Et postea subdit: *Ad fideiussorem completum, ius illud creditoris transfunditur contra debitorem.*

Hinc plura deducuntur ad praxim singularia. Adeò 8
enim vrget solvens fideiussor, vt sola creditoris confessione prævia circa solutionem repetat à debitore. Bartol. *cons.* 169. *vol.* 1. Roman. Salicet. & Alexan. *in d. l. duobus D. de iurisiur.* sic absoluit Captren. *cons.* 64. *vol.* 1. Alexan. *cons.* 90. *n.* 3. *&* in *cons.* 134. *vol.* 5. Felino *in c. si cautio. n.* 8. 9. *de fide instru.* Afflict. *decis.* 94. *n.* 3. Marsil. *in rubr. de fideiuss. n.* 265. Tiraquel. *de retract. consang.* § 1. *gloss.* 18. *n.* 8. 9. Surd. *decis.* 118. *n.* 1. Illud admirabilius est, fideiussorem aliquando resoluto, & irrito iure principalis creditoris, quo nixus ipse creditor debitorem traxit obstricto collo ad iudicium, adhuc respectu illius verum esse creditorem, quia verè solvit, vt de fideiussore carcerati, & à latronibus iniustè detenti scribunt Gloss. *in l. metum* § *sed licet, in verb. opere D. quod met. caus.* elegans facit textus *in l. si pater* § *si quis aliquem D. de donation.* iuncta gloss. verbo *irrevocabilis*, vbi merces laboris pecunia dicitur, quam similis repetit fideiussor. Cesar Vrsil. *ad Afflict. decis.* 149. *n.* 5. coincidit casus *l. idemque* 18. § *fin. D. mandat.* cum creditor si fideiussorem ob remunerationē liberat, statim fideiussor instar creditoris repetat debitam à debitore pecuniam, cessionis enim loco est remuneratio *l. si vero non remunerandi in principio D. mandat.* advertit Hypol. *in rubric. de fideiuss. n.* 312. Crotus *in l. si is, qui n.* 216. *D. vsucapion.* Menoch. *lib.* 3. *præsumpt.* 140. *n.* 6. Casanat. *cons.* 10. *á n.* 75. & præcipuè *n.* 87. firmum ergo remanet debitoris fideiussorem reddi illius verum creditorem, principali creditori postquam solvit *l. fideiussoribus succurri* 18. *l. si is qui* 37. *D. de fideiuss. l. si quis* § *fin. D. mandat. l. Stichum* 95. § *penult. D. de solut.* Bartol. *n.* 1. Paulus *n.* 2. *in l. Modestinus D. de solut.* Iacob. de Are-

NAS *de cession. action. n.* 71. vt fides, & sponsio subsistat, à quibus fideiussor non impropriam trahit significationem iuxta illud VIRGILI.

Accipe, daque fidem.

De quo plura ANTON. HERINGIVS *de fideiussor c.* 2.

9. Nec nocet, vt progrediamur, *l. hoc iure* 19. § *labeo* D. *de donationib.* consultus namque invenit, mercedem pro fideiussione nõ esse merè liberalem, sed remuneratoriam: quia reciprocantur obligationes, cum debitor non sine iustitia donet, nec fideiussor coactus fecerit: imo in signum ingenuæ liberalitatis, & amicitiæ, quæ antidosis non extrahit fideiussionem à ratione officij gratuiti; quemadmodum si debitor sponte creditori remissam faciat repetitionis vsurarum animo donandi post mutui solutionem nihil agit contra mutui naturam, ergo fideiussor prohibetur aliquid pretio æstimabile in contractum deducere propter fideiussionem, non verè retributione gaudere, cum debitor sit obligatus ad antidora *l. sed si lege* §. *cõsuluit* D. *de petit. heredit.* *c. cũ in officijs de testam.* quæ antidoralis obligatio contractũ vsurarium non reddit; vt circa simoniam resolvit Doctor ASPILCVET. *cons.* 9. *titul. de simon.* De hac antidosi interpretandus est MARTIAL. *lib.* 5. *epigram.* 56.

Quod non argentum, quod non tibi missimus aurum
Hoc facimus causa Stella diserte tua.
Quisquis magna dedit voluit sibi magna remitti
Fictilibus nostris exoneratus eris.

ALEX. AB ALEX. *dier. genial. lib.* 5. *c.* 1. rectè eundem locum discutit, & addit. *Cum ergo author hic dicat eum, qui magna dedit, magna sibi velle remitti, non cupidi animum pensare voluisse putandum est, sed liberalis potius, & ingenui, quo & natura iubente cogimur, vt eum, qui beneficia in nos contulit alio officio devinciamus stabili, certaque sententia multa maiora, & quammaxima largiri: quæ obligatio antidosis dicta est* Huc etiam SENECA *lib.* 2. *de benefic. qui accipit*, inquit, *beneficiũ licet animo benignissimo acceperit non consumavit officium suum, restat enim pars reddendi, sicut inlusu est aliquid pilam*

 scite

scitè ac diligenter excipere, sed non dicitur bonus lusor, nisi qui aptè, & expeditè remissit, quam exceperat. Item potest fideiussor indemnitatem sibi stipulari, vt effugiat periculum, & damnum fideiubendi, vndè vetus proverbium *sponde, noxa præsto est*: melius CLEMENS ALEXAN. *lib. 6. stromatum*, ex EPICARMO, *sponsio est noxæ filia, & multæ*, & PETRARCHA *lib. 2. c. 14.*

Ante oculos damnum est, si fias sponsor amici
Pro magno reputes, solverit ille lucro.

Imo & potest hoc esse illud damnosum verbum, quòd intellexit OVIDIVS illo versiculo.

Vnius vt verbi grandia damna ferat.

Alia vide apud ANTON. HERING. *de fideiussor. cap. 1.* per totum: invenies ibi compositionem harum sententiarum, & illius *Proverb. 17 Stultus homo plaudit manibus suis cũ spoponderit pro amico suo, & cap. 22. Noli esse cum his, qui defigunt manus suas, & qui vades se offerunt pro debitĩs*, cum illa *Ecclesiast. 29. Vir bonus fideiubet pro proximo suo*, & alia quæ refertur à glossa 2. *l. 1. tit. 12. p. 5.* videndus etiam, RODRIG. *de annuis reddit. lib. 2. q. 12.* per totam, qui simul disserit, & plenius an fideiussio debeat esse omnino gratuita: iuncto COVAR. *lib. 3. variar. cap. 2. n. 6*, DECIO, *cons. 7. n. 1.* actum dissipativum appellat FONTAN. *de pact. nuptial. fol. 362. n. 13.* & CALD. PEREI. *cons. 1. n. 16.* fideiussionem existimat modum, quo in miseriam, & pauperiem facile pervenitur: & post ANGELVM notavit IASSO *n. 2. in l. contra iuris § fin. D. de pact.* probans posse vxorem adversus maritum fideiussionibus implicatum vti remedio *l. vbi adhuc C. de iur. doti. & l. si constante* D. *solut, matrim.* & idem CALD. *n. 17. parũ fideiussor á donatore distat vterq; perdere dicitur, nõ vt decet administrare.* Hoc periculum ne subirent mulieres Senatusconsulto cautum est, ne pro alijs intercedant: scripsit VLPIAN. *in l. 1. & in l. 2.* D. *ad Senat. cons. Velleian.* plura congerit CAM. BORREL. *de magistratuum edict, lib. 1. cap. 2. á n. 48.* cõsulendi FARINAC. *in decisionib. Rotæ noviss. tom. 1. decis. 139. n. 3.* CALD. PEREI. *in d. l. curatorem habens, supra* num.

NAB *de cession. action. n. 71.* vt fides, & sponsio bus fideiussor non impropriam trahit signif ta illud VIRGILI.

Accipe daque fidem:

De quo plura ANTON. HERINGIVS *de fideiu*

9. Nec nocet, vt progrediamur, *l. hoc iure* *donationib.* consultus namque invenit, merce iussione nō esse merè liberalem, sed remun reciprocantur obligationes, cum debitor ne donet, nec fideiussor coactus fecerit: imo ii nuæ liberalitatis, & amicitiæ, quæ antidosis n deiussionem à ratione officij gratuiti, quer debitor sponte creditori remissam faciat re rarum animo donandi post mutui solutio contra mutui naturam, ergo fideiussor proh pretio æstimabile in contractum deducer iussionem non verò retributione gaudere, obligatus ad antidora *l. sed si lege §. cōsuluit* D *c. cū in officijs de testam.* quæ antidoralis oblig vsurarium non reddit; vt circa simoniam n ASPILCVET. *cons. 9. titul. de simon.* De hac ant tandus est MARTIAL *lib. 5. epigram. 56.*

Quod non argentum, quod non tibi mi
Hoc facimus causa Stella diserte tu
Quisquis magna dedit voluit sibi mag
Fictilibus nostris exoneratus eris.

ALEX. AB ALEX. *dier. genial. lib. 5. c. 1.* rectè discutit, & addit. *Cum ergo author hic dica dedit magna sibi velle remitti, non cupidè an luisse putandum est, sed liberalis potius, &* *natura iubente cogimur, vt eum, qui bene alio officio devinciamus stabili, certaque ser ra, &* *quammaxima largiri: quæ obligat* Huc etiam SENECA *lib. 2. de benefic. qui ac licet animo benignissimo acceperit non* *suum, restat enim pars reddendi, sicut ink*

Cap. ...

5
iū
on-
26.
, &
lacet
ipſius
e Cor-
t 31. §.
, melior
modo non
iam ut no-

actum com- 12
natum in pig-
: collatis à la-
pretum comi-
ens, quam ante
extruderint. Pro
reſcind. vendit.in

n.96. Gloss. fin. in l. si faeneraveris 14. q. 3. D. Thom. 2. 2. q. 78. artic. 2. ad 3. Quia ergo actus fideiubendi merè gratuitus est, & donationi similis, si interveniat inimicitia inter debitorē, & fideiussorem potest hic á fideiussione liberari l. si fameraria D. mandat. l. sicut D. de recept. arbitr. l. filius familias §. si fiat. vel exilio 21. D. de procurat. lib. 4. tit. 5. p. 3. in terminis Hidal-lit in rubric. de fideiussorib. n. 216. Donel. in l. si pro ea, n. 16. C. mandat. Gratian. decis. 133. n. 17. Heringius de fideiussor. c. 25. n. 30. Donel. ubi nuper n. 18. & de liberando fideiussore scitè scripsit Salmaticensis D. D. D. Ioannes Baptista de la Rea in suis decision. Granat. decis. 39. per totam.

10 Distinguunt non foeliciores, nec fausti alij pactum legis commissoriæ in continēti, vel ex intervallo, & in primo casu, secundo affirmant, in pignore sustineri: quasi ex intervallo non eam extorsionem contineat, & rapacitatem, inexpletamque manifestet cupiditatem creditoris, ac in continenti. Pulcherrimis genij, atque ingenij frontibus plausibilior hæc distinctio visa est: sed clamitat absoluta decisio l. fin. C. de pact. pignor. quam distinguere non debemus l. de pretio D. de public. in rem. l. 1. §. generaliter D. de legat. præstād. Dein si ex intervallo pactum commissoriæ in pignore dedissemus, legi fraus, imo maior fieret, quam si ab ovo cōtractus māciparetur creditori fiducia pignus: notat Tiraquel. de retract. convent. in præfat. n. 8. cum simulationi idoneus, & pauld latior campus patescat; quam maximè appetunt vsurarij, cautelas excogitantes ad circumveniendam iuris præsumptionem. Itaque pactum, ex intervallo iniustè lucrosum est. Quid nī? cum trahatur ad tempus debiti non soluti, & adhuc res pignoratæ existat similis commisso emphyteuticorum, & publicanorum l. 2. C. de iur. emphyteutic. l. commissa D. de publican. & vectigal. vndè colligit Rodriguez, ubi supra lib. 3. q. 6. n. 17. vsuram dici non solum, quæ sorti accedit ex pacto à principio, sed si ex postfacto ante solutionem datur aliquid vltra sortem.

11 Celebris est in comprobationem Glossa verbo cogamus in l. emptionem D. de pact. ibi: Admittendum ergo pacta legis commis-

missoria, & adiectionis in diem re integra, & ipso contractui, quasi post illum admitti non oporteat. Sequuntur CASTRENS. SALICET. BALD. qubs refert ANT. GOMEZ 2. *tom. variar. cap.* 1 *n.* 30. necessario enim ad secundum contractum eundum esset, admissa ex intervallo commissoria lege, argumento *l. si. l. x duobus* 6. ibi: *Ideo discedi à priori emptione, & ad secundam perveniri.* D. *de in diem adiection.* Imo non tam legis commissoriæ, quam de retrovẽdendo pactum diceretur, novum illud ex intervallo adiectum: & in continenti nõ appositum quomodo informabit contractum? *l. iuris gentiũ §. quinimo* D. *de pact.* videndi sunt plures, quos aducit MORLA *in empor. iur. tit. de pact. in præmiss. à n.* 22. *usque ad* 26. DONEL. *lib.* 12. *comm. cap.* 11. OSVALD. ibidem *litera A*, & pactum nudum foret, cum deficeret illi contractus: placet vestitum solum dicere, quod in continenti cõtractus ipsius naturam induit, & informat illum, reiecta opinione CONRAZ. *miscel. lib.* 1. *cap.* 1. DONEL. iuvatur, *l. quod si nolit* 31. *§. ultim.* D. *de ædilit. edict.* non invenio similitudinem, melior est textus, in *l. ab emptione* D. *de pact.* ibi: *Quia eo modo non tam agitur hoc vt à pristino negotio discedamus, quam, vt novæ quædam obligationes inter nos constituantur.* 11

Vt revertamur ad opus, ponendum est: pactum commissoriæ legis Diggestorum tempore improbatum in pignore, aut extermine lege aliqua non inveniri: collatis à labore nostro theoriæ oculatissimorum Interpretum comitijs; nulla apud eos apparet aliquid tale dicens, quam ante nos ex publico iuris cõmunis ærario foras extruderint. Pro viribus defendit ARIAS PINE. *in l.* 2. *C. de rescind. vendit. in* 2. *p rubric. à n.* 27. & diligenter, excutit mentem *l. fin. C. de pact. pignor.* ibi: *Placet infirmari eam, & in posterum omnem eius memoriam aboleri.* Quibus verbis novum ius CONSTANTINVS induxit, plurium emendationum quasi ambitiosus author, vt observat idem PINELVS; *de bon. matern.* 3. *part. num.* 29. *circa l. fin. C. famil. hercisc. l. his solis C. de revocand. donatio. l. cum vir C. ad leg. Iul. de adulter.* & ALCIAT. *lib.* 4. *parerg. c.* 5. *in l.* 1. *C. de revoc. donat.* nec deceret 12

Im-

Imperatorem cōstitutionem suam ad præteritorum emendationem extendere, si antecedenti tempore simile pactū in pignoribus exolesceret. Non celabit huius rei veritatem, qui primum *d. l. fin.* sensum percalluerit, ibi: *Quoniam inter alias captiones præcipuè commissoriæ pignorum legis crescit asperitas placet infirmari eam, &c.* relativum illud *eam* ad duritiem legis commissoriæ, & verbum *crescit* ad consuetudinem, quæ crevit vsu in pignore respicere quis negabit? Iuvat etiam glossa, verbo *præteritis*, & indubiè prohibitio, specialiter à Iurisconsultis notaretur *l. item apud Labeonem 15. §, ait prætor* D. *de iniur.* si tunc eis commissoria in pignore non adlubesceret.

13 Subsistamus, nam adversus hæc conspirat textus *in l. quamvis* 45. D. *de solution.* dum pactum, vel simile, legis cōmissoriæ respuit in pignore, seu re á marito vxori hypothecæ data ad tēpus, quo dos non solveretur, ergo cana est prohibitio commissoriæ in pignore, siquidem in veterum memorijs invenitur. Verum sic obsepta caligine difficultas albescit, si vertimur ad mutuū viri, & vxoris inter se amorem, quo invicem spoliari timuit antiqua iurisperitiæ provida disciplina per integrum titulum D. *de donat. inter. vir. & vxor.* ex qua fluxit reprobari fiduciam ex tūc inter cōiuges, quos amoris arctissima fibula copulat: ne ad donationem profusam invitarentur, proprijs suis pretiosis pro exigua dote, vel pro maiori vilibus datis pignori rebus sub pacto dictæ legis privarentur insignum amoris, & reciprocæ servitutis, culpam pro amore sumentes iuxta illud NASONIS

Ludite sed furto celetur culpa modesto.

Et SATI 2. *Theb.*

Virginitatis amor, primæque modestia culpæ.

Laudi ducunt in amore mori, qui mutuis animis, amant, amantur. Vndè TIBVLL. *lib.* 4.

Vror ego ante alias: iuvat hoc, Cherinthe quod vror,
Si tibi de nobis mutuus ignis adest.

Magnà quidem vis amoris est, qui minuit numerum, & auget

luget. Acutissimè eruditissimus Sigalionis Author l. ... excogitavit. ibi: *Qui duo sint unum & quatuor quærit? hæsitabant ex facilitate quæstionis arcanum suspicati, at Sigalion subridens ait unum & quatuor sunt duo: plus mirabantur; tunc ille: duo amici sunt unum, & quatuor, quoniam illos amor uniat, fiunt unum; quia verò quisque repetatur transformatus in alterum, ut est amoris ritus, fiunt quatuor: cum duplicetur uterque, se contrahunt Amantes, se multiplicant, se interimunt, se recreant; O quantum præsidium adversus iniurias fortunæ interdum nullibi esse, idest non esse, interdum hîc & alibi esse, idest, duo esse!* Similiter canit IOAN. BAPTIST. MANTVAN. Carmelit, quem fortè vidit Sigalion, in gratiam duorum amicorum:

Fallor? an hi duo sunt: duo sunt pluresq; duobus
Hi duo, & hi plures sunt tamen unus homo.
Corporibus duo, corde unus, cum viribus addat
Unio tres: sic sunt tres duo, & unus homo.

Plura idem *egloga.* 3 & præcipuè ibi:

Et fecit duo corda unum, duo traxit in unum
Pectora. sensus inest nobis & spiritus idem.

Elegans etiam AVSONIVS *epigram.* 139.

Vado, sed sine me, quia te sine: nec nisi tecum,
Totus ero: pars cum sim altera Galla tui;
Vado tamen, sed dimidius, vado minor ipso
Dimidio: nec me iam locus unus habet;
Nam tecum ferè totus ero quocunque recedam,
Pars veniet mecum quantulacunque mei;
Separor unus ego, sed partem sumo minorem
Ipse mei: tecum pars mea maior abit:
Si redeam tibi, totus ero, pars nulla vacabit,
Quæ mox non redeat in tua iura, vale.

Amoris impetus quò magis intellectu caret, eò fortior & in suo crimine laudabilior est. Huc quondam respexit Reginæ querela

Dic mihi, quid feci, nisi non sapienter amavi,
Crimine te potui demeruisse meo?

Sapientissimus IDIOTA *lib. de amor. divin.* humanum vocat crimen vitæ, blandam persecutionem, domum tempestatis & laqueum. Hæc pro diverticulo satis.

14 Placent supradicta: ni voluerimus in casu *d.l. Quamvis* præseferre Iurisconsultum rationem illam dotis, scilicet vt integra solvatur, non vt lædatur maritus: inter coniuges enim vitari inæqualitatem, legum conditores maximè curarunt *l. iure succursum § fin.* D. *de iur. doti.* ergò ne vel maior esset dos, quàm res pignorata, vel econtra; æquitatis, & iustitiæ suffragante ratione, cessavit inter duos pactum á pluribus impunè observatum.

15 Iterum omnia subvmbrat reconditus textus in *l. Æmilius Larianus* 38. D. *de minor.* displicuisse vtiquè commissoriam Imperatori, affirmat PAVLVS ex antiquioribus testis. Ergò Diggestorum tempore odio potiùs, quàm accepta interpretatione digna extitit. IACOBVS CVIAC. aliud, inquit, est improbare legem, vel quòd lex displiceat: cui ego addo *l. prospexit* D. *qui & á quib.* vndè infert fiduciam, seu commissoriam tunc temporis non sperni, displicuisse tamen Imperatori, á quo restitui minor, non á Consulto, vel Prætore potuit. Sed ni fallor., latet adhuc veritas: quare oblita hac interpretatione, nec non alia ANT. FABR *in Rational. ad d.l. Æmilius*, & ACVRI *ibidem*, alia etiam OSVAL. *lib. 16. comment. c. 19. litera E*, qui displicuisse Imperatori, ait, non generaliter, sed in proposita specie: nòviter expēdo PAVLVM & verba illa, *quia tamen lex commissoria displicebat ei*, credo non tam ad Imperatorem, quàm advenditorem referenda, cui lex commissoria displicuit, cum interpellatione tutoribus facta post diem legi præstitum renuntiatio venditoris constet, *l. de lege* 6. *§. vltim.* D. *de leg. commiss.* Pupilla vtique effectu rem venditam persequitur, simplicitati illius suspecta tutorum insidiabatur diligentia contrario simulata velamine, non impedit actio venditoris; obstat irrevocabilis intercapedo temporis, contra lapsum Pupillam restituit Imperator, etiam ea ratione motus, quòd lex commissoria displicebat venditori retronfigens, non cucurrisse renun-

nuntiationi tempus, & quasi postliminio tacti specie restituta, ad uoluntatem venditoris respexit; qui rem inemptā dicere cùm posset, & commissoria vti, denuntiavit tutoribus *l. post diem 7. D. de leg. com.* nec licuit variare *l. si fundus 4. §. eleganter D. eodem titul.* Incitavit, nō nego, pietas & Regiam gravitatem, æquitas legis, lenita parte pœnarū, coëgit, & venditorem ad tempus suæ renuntiationis vt rei vindicatio duret, & Pupillam vt pretium soluat restituere. Æquitas enim iuri scripto non subiicitur vt ex CICERONE *lib. 1. 2. de invent.* meminit CORRAZ *in l. ius civile 6. vers. sine scripto D. de iust. & iur.* nec vlla circa æquitatem regula *l. de accessionibus 14. D. de divers. & tempor. præscription.* nihilq; tam peculiare est Imperialis maiestatis, quàm humanitas, per quam solam DEI servatur imitatio *l. si vnus ex his 27 in fine C. de donat. inter.* & CASSIOD. 4. *variar. Quid est,* inquit, *dignius, quod diu noctuque assidua deliberatione volvamus, nisi vt rempublicam nostram, sicut arma protegunt, æquitas quoquè inviolata custodiat:* & TYMPVS *in specul. princip. signo 32. n. 2. Non enim quidquam est, quod imperium Romanum meliùs commendet gentibus, quàm clementia, hæc Cæsarē Deum fecit, hæc Augustum consecravit.* Quatenus te censes hominem, eatenus nobis es Deus: Athenienses POMPEIO scriptum missitarunt: refert LIPSIVS *in comment. Plinij Panegyric. n. 537* æquitas salit rigorem summi iuris: natura ipsa huius immistionis magistra est: advertit MANTV. CARMEL. *lib. 1. sylva 5.* ibi:

Sic natura parens tempus munivit vtrumque,
Caumata frigoribus temperat igne gelu.
Ianus habet sylvas; & aprici vina Phalerni,
Creticaque idæis transmare vecta cadis:
His se armare potest: gelidamque retundere brumam,
Et melotæis terga fovere togis.

Ius ergò, & æquitas simul, vincula civitatis. Nec mirum amarè, & rigurosè, scrupulosaque iuris inquisitione contra venditorem in præsentiarum agi, lex siquidem commissoria. & si vsu recepta, benignam etiam in aliquibus habuit

interpretationem respectu emptoris, vel venditoris, prout personarum, & causæ status desiderabat. Hinc dies intercalaris non proficiebat continuò *l. in tempore* 2. D. *de divers. & temp. præscript.* iuncta gloss. verbo *dies intercalaris*: aliquandò proderat, vt in favorabilioribus *l.* 3. §. *minorem* D. *de minor.* videndus IACOB. CVIACI *in d. l.* 3, & circa etymō HORAT. AVGEN. *lib.* 1. *de hominis partu, c.* 4. SCALIGER. *lib.* 2 *de emendat. temp. tit. de veteri anno Roman.* MACROB. *lib.* 1. *saturn. c.* 13. VARRO *lib.* 5. *de ling. latin.* de bisexto etiam intelligo *l. cum heres* 44. § *Stichus* D. *de stat. liber. l. ita vulneratus* 51. § *æstimatio* D *ad leg. Aquil. l. anniculus* 134. D. *de verb signi.* cum ALFONS. CARRAN *de legitim. part. cap.* 12 §. 5. *á n.* 13.

16 Assertum, cuius subijt huc vsque sermo, subvertere etiā videtur textus in *l. cum dominam* 13. *C. de pignor.* cum Imperatores SEVERVS, & ANTONINVS iure dominij, interveniēte pacto, posse bonis creditoris admisceri pignus, & peculium eius legitimè habere comitem arbritrentur. ibi: *Domina cōtractus, & voluntas ad firmitatem sufficiat*, quæ, etsi recondirioris intelligentiæ decisio sit, viva cōmissoriæ legis pelle vestita loquela sonat, quia res ipsa indefectum solutionis debiti pro solutione cedit, virtute contractus, idest pacti. Iam pridem eiusdem mentis fuerat VLPIAN. in l. *eleganter* 24. D. *de pignor. actio.* ergò exuberat potiùs commissoriæ vsus in pignore iure Codicis, quàm expiret.

17 Enim verò ne causemur, & intemperantiora fiant similia, quibus scatet IVSTINIANI opus interiecta dubia, sciēdum est: pignus necessariò distrahi virtute pactionis abinitio pro mutuô intercedentis, hodiè improbari; quia extortionem, & asperam venditionem continet, quamvis adiiciatur *iusto pretio.* COVARR. *lib.* 3. *variar. cap.* 2. *n.* 8. PETR. SVRD. *decis* 248. *n. fin.* FELIN. *in c. debitores in fine. de iur. iur.* RODRIG. *de annu. reddit. lib.* 2. *q.* 2. *á n.* 15. *& lib.* 3. *q.* 5. *per totam* rem enim habere etiam iustô pretiô, creditoris lucrum est, & damnum parit debitori, qui affectione in rem spoliatus, semper invidus creditori, alienatione rei dolet

quia

quia melior est ipsa, quàm non ipsa *l. & si æquo* D. *de lega.* 1. Ex hac doctrina oritur ratio textus in *l. lex quæ tutores C. de administr. tuto. l. si in emptione* 36. D. *de minorib.* Minorē scilicet haberi læsum alienatione rei, ad quam probabilem retinet affectionem. Consule ROLANDVM à VALLE *cons.* 10. *n.* 100. & ideò legatum fundi vanum non redditur, si iustum dare pretium legatarius damnas sit: liberalitas enim testatoris plauditur, & satura est, dum speciei voluptatem & affectum donat; aliter in quantitatis legato contingit: imò ridiculum esset quinquaginta legare, vt quinquaginta dentur *l. si fundus* 65. D. *ad leg. falcid.* circa æstimationem rei de quâ contendit *l. pretia rerū* D. *eodem titul.* cōsulendi CORRAZ *lib.* 6. *cap.* 1. *n.* 5. CALD. PEREIR. *in l. curatorem habens C. de in integr. resti.* verb. *sua facilitate n.* 4. vbi distinguit inter contractus bonæ fidei, & stricti iuris: & expendit *l. si servus* 33. D. *ad leg. Aquil. & l. pater filio in fine* D. *de eviction.* & in tractatu *de empt. & vendit. cap.* 8. *n.* 54. pro comperto habet singulare interesse affectionis præstare actionem *l. si in emptione* D. *de minor.* id verò, quod dici solet, *non augere condemnationem*; cum communi sententia intelligo in contractibus stricti iuris, at in bonæ fidei, expressa est *l. cum servus* D. *mandat.* ibi: *Placuit enim prudentibus affectus rationem in bonæ fidei iudicijs habendam.* Ita etiam resolvit CORRAZ *lib.* 6. *miscell. cap* 1. *n.* 5. & CALDAS *d. n.* 54. & 55. ne obstent iura *in l. videamus* D *de inlit. iur. l. ea lege* D. *de serv. export. l. libertus* D. *de bon. libert.* & ideò quasi tacitô murmurê, si nō statim pedibus, manibus ad inferorum limina vsurâ ductrice, creditor ire incipit, dum scripturâ paciscitur, vt debitor propter mutuum rem pignoratam vendere stipuletur, si id fiat tanquam gravamen pro mutuô iniunctum, vel lucrum ex mutuô. Iuxta illud EZECHIEL. 18. *Homo enim iustus, qui pignus debitori reddiderit, & pecuniam suam in vsuram non dederit, & superabundantiam non acceperit, & ab iniustitia avertit manum suam.*

Hinc interpretor *l.* 41. *tit.* 5. *& l.* 12. *tit.* 13. *par.* 5. ibi: *Pero si el pleito fuesse puesto de guisa, que si el peño non le qui-* 18

tase hasta dia cierto, el que lo empeñò, que fuesse suyo vendido, è del otro comprado por tanto le apreciasen homes buenos, tal pleito deximos que valdria: de iustissima datione insolutum, seu venditione indemnitatis iure: quin actum fuerit inter contrahentes, vt debitor teneretur vendere necessariò rem, quam citra simile pactum venditurus non esset. Sic intelligunt hæc iura COVARR *lib.3.varia. c.2.n.8.* & RODRIG. *de annu redd lib.2.q. 2. n. 19.* non ergò de commissoria lege sumenda vt cadat statim in commissum res necessariò vēdenda; sed de pacto, quod tacitè inest, de distractione pignoris iusto pretio exercenda propter indemnitatem creditoris. Vno verbo clarescit isthæc interpretatio; valet, inquā, pactum, dummodò creditor aliàs adhuc sine tali venditione sit mutuaturus, & debitor rem venditurus. Dexter SVRDVS explicuit bellissimè *decis.* 248. infine. ibi: *Vnum autem addebam ego: quod vbi aliqua coniectura subsisteret, debitorem non fuisse aliter venditurum rem illam, vel creditorem, aliàs attentasse illam emere, tali casu non valeret pactum incontractu mutui, quòd talis res sit empta iusto pretio*. Indemnitatis pactum iustitiam continet, quia mutatio pecuniæ res plena periculi est. Facetè depinxit MARTIAL.

Dimidium donare Lino, quàm credere totum,
Qui mavult, mavult perdere dimidium.

Igitur qui aliàs fecerit merè mutuās propter lucrum, quasi orcinus vsurarius est, cùm iam penè sit infaucibus Orci, vel Plutonis, vel adminùs pedem habet in cymba Charontis *c.consuluit de vsur.* ibi: *Pro intentione lucri, &c.* Caveat suæ quilibet salutis non immemor, nemo enim tam firmum habuit præsidium, quod avaritia non infregerit, atque debilitaverit, teste TVLLIO *in vatinum*, qui hanc pestem animi vocat *in lib. de consolat.* vitiorum Reginam CASSIODO. *lib.12.variar.epist.1.* belluam feram SALVSTIVS *ad Cæsar.* alij Metropolim improbitatis; ego avaritiam paupertatem appello, nam vt bene AVSON. in illis septem Sapientum sententijs. Quis pauper? Avarus: similis ijs, quos canes rabiosi momorderint, qui sitim horreunt & tamen in media

aqua-

aquarum restagnatione dentes in ore restringunt, & rabie illa morsi sicci pereunt.

Semper inops quicunque cupit.

Eleganti id penicillo scripsit LVITPRAND. *de reb. Imper. & Reg.* ibi: *Quoniam improbi, & avari, qui incertas atque in casu positas possessiones habent, & plus semper appetunt, nec eorum quisquam adhuc sibi sufficiens inventus est, cui quod haberet, esset satis, non modo non copiosi divites, sed etiam pauperes, & inopes existimandi sunt, soli enim sunt divites, qui suis rebus contenti satis esse putant, quod est non esse cupidum vera pecunia est, non esse edacem vectigal est.* Non efficit divitem maior abundantia, sed minor cupiditas. Mirificè etiam GREGOR. IX. *in proœmio Decretal.* prodigam dicit avaritiam quoad evacuationem omnium virtutum, pacis æmulam, matrem litium & iurgiorum; itaque fœneratores, cùm omnes avari sint, sæpiùs pro vsuris molestissimi sunt debitoribus. Sic intelligitur HORATIVS *satir.* 3. ibi:

Odisti, & fugis, vt Drusonem debitor æris,
Qui nisi cum tristes misero venere Kalendæ
Mercedem, aut numos vndè vndè extricat: amaras
Porrecto iugulo historias captivus, vt audit.

De alienatione ergò licita audiendi sunt textus in *l. fideiussor l. cum solvendæ* 4. *l. creditori* 8. & integer ferè titulus D. *de distract. pignorum.* Pactum etiam de insolutum dando necessariò rem pignoratam, abhorret naturam mutui incontinenti, vel ex intervallo appositũ, antè solutionis diem, nã licet vendere, & promittere de vendendo, alia atq; alia res sit *l. qui se dicit* D. *de iudic. l. 2. iũcta* gloss. verb. *admittit* in fine *C. si advers. libert.* plenè TIRAQVEL. *de retract. convent ad finem tituli. n.* 52. eandem nequitiæ tetram conditionem includit promissio: cuius differentiæ vestigium insinuat *l.* 1. *C. de pact. pign.* vbi de promissione est casus. ibi: *Cessurum se creditoribus*, ita gloss. & communiter Doctores, nihil referre notant, an quis dixerit, *cedo, vendo insolutum do*, an *promitto vendere*, vel *insolutum dare*: si semel creditori quodlibet pro mutui gravamine libuit. FELIN. *in c. debitores de iur.* 19

tit. TIRAQUEL *de retract. convent. n.* 134. MOLINA *de iust. & iur. tract. de contractibus disp* 130.

20 Si verò adventante solutionis die, creditor de distrahēdo pignore curet, cùm debitor liberè alternativâ vti possit, vel quantitatem primò debitam, vel pignoris venditionem offerens, strictos egreditur contractus prohibitionis terminos, quia rem pignoratam creditorem emere à debitore, omnimodò licet *l. rescriptum* 12 *l. alienatio* 20. *§. fin.* D. *de distract. pignor. l. in numerationibus* 44. D. *de solution. l. pupillus* 51. *§. sed & si creditor* D. *de auth. tutor.* iuncto BRISON. *de solut. & liberat. lib.* 2. in titulo *de pignor. vendit*; nec vllum ex hoc retegitur inconveniens, quia cessat asperitas, quæ clamat iniustam in pignore commissoriam, vt docet MORNACIUS *ad titul. de lege commissor. in rubric.* & BACHEQUIUS *cap.* 21. *de iust. & iur n.* 234. Iam non præcisa alienandi vis sub illâ lege velatur, nec infirma, seu coacta libertas est, cū medius debitor inter solutionem sortis debitæ, & pignoris venditionem, præstantius futurum sit quod elegerit; secùs si pactum legis commissoriæ crebrò duret, & valeat, cùm in mora constitutus, quasi creditoris servus non possit non vendere, & facti debitor sit, quem non impropriè servum appello ex VALERIO MAXIM. *lib.* 6. *c.* 1. de TITIO VETURIO addicto creditori propter debitum, & *lib.* 7. *cap.* 3. & TITO LIBIO *lib.* 6. ibi: *Captum in servitutem, & vincula duci videā, inde rem creditori palàm populo solvit, libraq; & ære liberatum emittit.* Conijciebatur etiam in carcerem gravibus vinctus compedibus, & post sexaginta dies trinis continuis nūdinis, ad Prætorem in comitia producebatur, & tandem capite pœnas dabat, aut extra civitatem mittebatur venundandus. Ita CARLEVAL *de iudic. tom.* 2 *lib.* 1. *tit.* 3. *disp* 1. *á n.* 5. vbi ex MACROBIO *Saturnal. lib.* 16. & TERTUL. *in Apologe. adversus gent cap* 4. deducit significationem nundinarum; *Erat*, inquit, *nundina nonus quisque dies rusticis feriatus, qui octo diebus in agris opus faciebant, nono autem die intermisso iure admercatum, legesque accipiendas adibant.*

21 Aliquantulum respiciamus ad praxim, ne illud accidat

Theo-

Theoriæ sectatoribus, quod PETRONIVS Arbiter *in suo satyric.* animadvertit, & more suo ridens, seu morsu lachrymatur. ibi: *Hæc ipsa tolerabilia essent, si ad eloquentiam ituris viam facerent; nunc ex rerum tumore, & sententiarum vanissimo strepitu, hoc tantùm proficiunt, vt cùm inforum venerint, putent se in alium terrarum Orbem delatos: & ideò ego adolescentulos existimo in scholis stultissimos fieri, quia nihil ex his, quæ in vsu habemus, aut audiunt, aut vident.* Et de facultate creditoris ad pignoris sub hastâ emptionem dispiciamus. Quæstionis huius decisio cùm indiscrimine, & differentiâ pignorum posita sit, scire priùs lubet: conventionale pignus contractu fieri *l.* 1. D. *de pignorat. act. l. contrahitur* 4. D. *de pignorib.* Iudiciale verò specialiter iuvente Magistratu, vt pro executione sententiæ distrahatur *l si pignora.* 50. D. *de eviction.* quod fieri adsolet per officiales, & Apparitores, & iudicij ministros gloss. *in l.* 2. *C. si in caus. iudic. l. eos* 9. *C. de execut. rei iud.* CVIAC. *in paratitl. C. si in caus. iudicat pign. cap. sit.* aliter idem commento suo luci donat dum inquit, prætorium pignus datur, iudiciale capitur; prætorium occupat creditor, hoc executor, sive apparitor Magistratus *l si plus* D. *de eviction.* alia item excogitat circa hæc pignora Prætoris, & iudicis.

Animadvertitur 2. in pignore iudiciali nullam esse prohibitionem creditori, vt palàm possit emere, & ad licitationem invitari, & admitti, vt quilibet extraneus *l.* 2. *C si in caus. iudicat.* NEGVSANT. *de pignorib.* 6. *p memb.* 1 *n* 10. SALYCET. *in l. ordo C. de iudic.* FRANCH. *decis.* 64. *n.* 4 & 10. Gloss. *in l. á divo Pio* . *si pignora* verbo *addicantur*, & ibi BARTOL. & ALEX *n.* 11. D. *de re iudic.* GALLES. *in tract. ad form. camer. olligat.* in quæstionibus incidentibus post processum *n.* 30. SCACCIA *de iudic. tom.* 1. *cap.* 96. *n.* 40 mò præfertur creditor extraneo *l. cùm bona* 15. D. *de reb. auth. iudic. possid.* alias *l* 1. D. *de privileg. creditor.* BRVNVS, *tract. de cession. bon.* q. 23. *principal. n.* 1. ANTON. FAB. *lib.* 8. *Codicis tit.* 17. *definit.* 32. CARLEVAL. *de iudicijs tom.* 2. *lib.* 1. *tit.* 3. *disp.* 1. ferè per totá alios laudat MANGILIVS *de subhast.* & *licit. q.* 21. *n.* 4. 22

& 16. & plura de triplici pignore iudiciali, prætorio, & cõvẽtionali. PARLAD. *different. quotidian. differẽt.* 58. §. 1. *&* §. 2.
23 Quibus prælibatis, fateor ingenuè, veriorem semper mihi visam sententiam distinguentem inter pignus conventionale, & iudiciale; vt conventionale creditor per interpositam personã prohibeatur emere *l. & qui sub imagine C. de distract. pignor.* iudiciale verò permittatur. Hanc praxim stylus omnium tribunalium admisit. Tenet PARLAD. *quotid. lib.* 1. *cap.* 3. *& n.* 38. argumento *l.* 1. *C. de contract. iudic. & l.* 3. *§. sed si debitorem* D. *de donat. inter vir. & vxor.* adducit BARTOL. sententiam *in l. cùm per eos. C. siquis alteri vel sibi,* defendit AMATIS *decis.* 67. *à n.* 12. *tom.* 1. HERMOSIL. *ad l. Partit. tit.* 2. *Gloss.* 7. *l.* 92. *tit* 5. *p.* 5. *n.* 16. *&* CALDAS PEREI. *de emption. & vendit. cap.* 11 *n.* 26. huius distinctionis rationem præbet, dùm constituit creditorem, in conventionali pignore censeri procuratorem, ab ipso debitore constitutum ad opus venditionis, ex textu *in l. pro debito C. de bon. auth. iudic. possid. d. l qui sub imagine C. de distract. pignor.* Aliter in iudiciali pignore observatum invenies., cum officio iudicis distrahatur. Nil ergò novi, quòd creditor se habeat, vt quilibet. Videndus iterũ CALDAS *cap.* 17 *à n.* 20. Ecquis receptissimum stylum damnet, aut iudices, qui possessionẽ petenti creditori post cessionem, & declarationem extranei, & suppositi licitatoris concedũt, sine scrupulo iniustos appellet, & debitori iniurios? absit tot sæculis admissam, & recto, iuridicoque prævio discrimine emptionem pignoris iudicialis per tertiam personam creditoribus, ne dicam iudicibus, & tribunalibus vitio vertere. Circa prohibitionem, quam habet creditor emendi pignus conventionale, vide CALD. *consi.* 31. *tit. de testa.* IACOB CANSER. *variar. tom.* 1. *c.* 1. *n.* 136. TESSAV. *qq. forens. lib.* 2. *cap.* 3. alia etiam circa ad iudicationem pignoris creditori faciendam, de qua VLPIANVS scribit *in l. à Divo Pio § si pignora* D. *de re iudicat.* plura nõ contemnenda refert STEPHANVS FORCATVLVS *in Necyomantia iur. dialog.* 13.
24 Iam obnubilatus ille textus *in l. cum dominã* 13. *C. de pign.*

solutione, & luce donatur, cùm speciem satisfactionis post moram cōtractam detegat, nullo nascente ab initio, & ante diē solutionis pacto, inter debitricē, & creditorē celebrata. In eodē sinu calet interpretatio tex. *in l. elegāter in princ.* D. *de pignor. actio.*

Pendet ex eodem filo intellectus *l. si prædiū C. de evictio.* 25
vbi debitum pignori prædium, fuisse in solutum mācipatū creditori supponit Imperator, cùm concedat evictionē cōtra debitorē, quâ, veluti cōpendio emptionis, vel similis cōtractus alienationē licuisse fatetur. Pessum ire ad supradicta convenit & casum huius legis post morā debitoris fingere, nunquā tamen, sequestratâ à principio voluntate de vendēdo sine delectu, cui doctrinæ dat tuitionem sapientissimus IACOB. CVIAC. *in cōmē. l. Titius* D. *de pign. act.* ibi: *Quod in quā interpretes tradunt nō valere si fiat in initio cōtrahendi pignoris, sin verò postea, adveniente solutionis tēpore, valere, id etiam verū est.* Sēper ergò id fugiendū, scilicet impotentiā luendi pignoris, vndè BALD. quē sequitur IASSO *in l. qui Romæ in princ. n.* 24. D *de verb oblig.* reprobat pactum, quo nisi solvat in tēpore nunquā possit luere, adstringitur debitor.

Ast licet Iurisconsultorum antiquo sæclo, commissoriæ 26
legis nomenclatura nondum pignoribus eraderetur, miror tot doctissimos viros publicis excubijs dedisse, in hac materiâ, legentium oculis *l. Titius* 34. D *de pign. act.* & *l. fin.* D. *de contrah. empt.* quasi ad legē commissoriam respicerent, quod nō sine veritatis iniuriâ insectātur; diversa enim sunt hæc iura, nō adversa. Et demiror ANT. FABR. qui in *cōsult. de Montisferrat. Ducatu p.* 2 *fol.* 364. improbrari pactū legis commissoriæ, præterquā in fideiussore, absolutè voluit motus *d. l. fin.* D. *de contrah. emp.* alia enim est horū iurium intelligentia. Breviter sed sigillatìm expendamus. Casus *d. l. Titius* morosum dat debitorem, aliter non valeret distrahere creditor *l. cū solvendæ* 4. D. *de distract. pign.* nec id silēt verba MARCELLI ibi: *Futurumq; esset, vt distraheret creditor, quia pecunia non solveretur*; quibus explicitè mora contracta claret. Ergò accusari non licet MARCELLI responsum

cùm neutiquàm, ex vi præcedentis pacti, sed ex novo, & recenti creditor emisset, quod nec fibras tangit prohibitionis. Cum his non illigant amicitiam verba *d. legis*. ibi: *Offerendo sortem, & vsuras*, quæ sapiunt durationem pignoris; nam ipsis iniustitia debitoris condemnatur literis, contractum perfectum emptionis, & vẽditionis oblatione præposterâ sortis, & vsurarum rescindere mavolentis, & transcendere facultatis iam consumptæ muros, *l* 1. §. *fin. l.* 2. §. 1. *l invenditionibus* 9 D. *de cõtrah. empt. l.* 2 *l empti fides* 9. *l. nõ, ικirco* 12. *C. eodem tit. princ. instit. de empt. & vendit.* Noster est CVIACIVS *in d. l. si Titius* dum MARCELLVM loquutũ de venditione pignoris factâ certo tempore creditori, non de pacto legis commissoriæ credit.

27 Textus in *l. fin.* D. *de contrah. empt.* in principio minus commissoriæ particeps est: duo enim SCÆVOLA constituit. Primum, prædia vinculo pignoris ligata in favorem creditoris: secundum, inter emptorem, & fideiussorem, emptionem fuisse conditionalem: vndè rudis iam non est dictæ legis sensus. Sic ego interpretor, vt debitorem vendere fideiussori autumem, eâ sub conditione, *si solveret fideiussor creditori.* Apertè denotant verba scripti iuris. ibi: *Si non vt in causam obligationis, sed vt empta habeat sub conditione emptio facta est.* Cuius generis alienatio non funestat doctrinã nostram. IACOBO CVIACIO credimus *in epitom. lib.* 1. *ad l. Titius*, ergò cum his non congruat lex commissoria, sine vllâ vi rationis interpretes dictarum difficultatum iugo colla summittunt.

28 Solam *l. si fundus* 16. §. *fin.* D. *de pignor.* commissoriam tangere suspicor, dum formulam pactionis in aliquibus similem exprimit. Vndè paulatim infero dictæ commissoriæ legis antiquationem, post primævam consultorum ætatem advenisse, certiùs probari Authoritate Imperatoris supponentis, in *l. fin, C. de pact. pignor.* Sed ni me subodorantem ratio fugit, non inficiabor dicere Iuriscõsultos, in prædictis iuribus sine metu prohibitionis, & sine odio commissoriæ respõdere quæstionibus, seu captionibus creditorum,

quæ

quæ etsi à longè eam respiciunt. Huius vestigia detegit textus in *l. Titio 36. §. Titius* D. *ad municipal.* Captatorias ergò fiduciæ scripturas sustulit, & emendavit CONSTANTINVS tàm in pignoribus, quàm in venditionibus: (advertit CVIAC. *in l. Titius* D. *de contrah. emp.* & ANTON. CONC. *ex Codice Theodosiano lib. 3. tit. 2.*) & IVSTINIANVS authoritatem impartitus est, non ex integro prædictæ emendationi, sed cum diminutione. ibi: *Pignorum*. Observaveram diu, in *Cod. Theodosia.* dictionem hanc deficere, vbi scribentis CONSTANTINI recentior est calamus. Etsi fortè quis dicat, proclives non esse huic emendationi patronos SEVERVM, & ANTONINVM *in l. cum dominã 13. C. de pignor.* qui rescribunt, quod ànte decisum erat, in *d. l. 16. § fin.* D. *eodem tit.* nec ita facilè, vnius legis sensum torqueri, alterius rectum sustineri posse, vbi vnus, & idem author est, & circa idem. Respondeo, diversa fuisse dubia, & responsa de pignore; vnum admisit in suo Codice IVSTINIANVS *in d l. cũ dominam*, aliud silentio obliteravit. Deinde SEVERVS, & ANTONINVS, CONSTANTINO, & IVSTINIANO coætanei non sunt, & diversitas temporum contraria componit iura.

Denique sententiam nostram iuvat, & interpretatione iuvatur IVLIVS PAVL *receptar. sent lib. 3 tit. de legat.* qui memoratur, servis legatis eos non venire, qui fiduciæ dati essent, id est creditori propter debitum mancipati, vt transfert CVIACI *ad d. Iul. Paul lib. 2. recept. tit. 13.* Sed enervat hanc PAVLI notationem VLPIAN *in l. suos 73 § eos* D. *de legat 3.* qui servos pignori, vel hypothecæ datos legatos videri defendit. Abscondita hæc sunt, & vtilitate plena: ergò vt excutiamus, aliquantulùm immoremur necesse est, in explicatione nominis ex consilio BRISONI, *lib. 3. antiquit. cap. 23.* & alijs, quæ congerit ANTON. HERING. *de fideiussor. cap. 2. á n. 2.* nam vt advertit D. MAXIM. *in disp. contra Pyrrhũ apud Cipar. vsiot. decad. 10. c. 4. dicere, & non priùs distinguere significata verbi, nihil aliud est, quàm omninò confundere, & obscura relinquere ea, de quibus quæstio est; quod quidem alienum est ab homine rationis participe.* 29

Fidu-

Fiducia, teste ISIDORO *lib. 5. ethymolog.* cum pacto legis commissoriæ in pignore contrahebat auxilia; quâ caveba, tur, solutâ ad diem pecuniâ, debitori pignus remancipari, non solutâ, pleno iure cõmitti; idest ad creditorem perpetuitatem dominij remeare; erat vtique venditio cum regressu: Hinc CICERO *in orat. pro Flacco. Hanc fiduciã, inquit, cõmißam tibi tenes hodiè, atquè possides:* & AMBROS. *in lib. de Thob. cap. 12. Hypothecas flagitat, pignus vsurpat, fiducias vocat:* & SYDON. APOLINAR. *lib. 4. Pecuniam mutuam postulavit, imperavitque, nihil quidem loco fiduciæ, pignorisque, vel argẽti sequestrãs, vel obligãs prædiorũ:* & LIV. *lib. 2. bell. Maced. Optimũ ratus Nabidi eam Lacedæmoniorũ Tirano, velut fiduciatiũ dare, vt victori sibi restitueret.* BOET. 4. *topicor. Fiduciã accepiße dicitur cuicunq; aliqua res eã lege mãcipatur, vt mãcipanti aliquãdo remãcipet, veluti siquis tẽpus dubiũ timens amico potentiori fundũ mancipet, & cũ tempus illud susceptũ præterieritreddat.* Plura BVDE *in anotat. Diggestor* & TIRAQ. *de retract. convent. in præfat. n. 39. & 40.* & CÆSAR. *bell. civil. lib. 2.* operam Legati fiduciariam vocat; quia Legatus potestatem ab Imperatore mutuatur, quam rediens ad exercitum Imperatori cedit. Securitatẽ pro primævâ significatione nomen hoc, *fiducia*, colit: hinc dictum, *salvo conducto*. DVRANT. *variar. lib. 1. cap. 1.* ex VIRGIL. *Æneid.* 2. ibi:

Quid ve ferat memoret, quæ sit fiducia capto.

Et 1. *Æneid.* ibi:

Tanta vos generis tenuit fiducia vestri?

Et *lib.* 8. ibi:

Quid causas petis ex alto? fiducia cessit.

Et *lib.* 9.

At non audaci cessit fiducia Turno.

Aliter de fiduciâ sentit IOAN. LVDOV. DE LA CERD. *in ipsum Maron. lib 2. Æneid. vers. 75. n. 6.* & esse vocẽ ex medio foro tractã, ducit ex reis, qui in vinculis, de quibus QVINTILIAN. *in declamat.* ibi: *Aliquãdo reo nocet, & ipsa fiducia.* Et *declam.* 355. ibi: *Innocentiæ fiduciæ contra opes istius steterant.* Ligat etiã homines fiducia verbi, quia à fide dicitur, & ideò fides

genus citharæ dicta, quòd tantũ inter se chordæ eius, quantum inter homines fides concordent. Spē etiam fiducia designat. Iuxta illud S. CHRISOSTOM. *homil. in Psalm. 4. Ante omnia oportet eum, qui præcatur, habere fiduciam,* similiter & credulitatem. Vndè VATABLVS verba illa *Eccles. 2. Ve dissolutis corde, qui non credunt DEO, & ideò non protegentur ab eo*: sic vertit; *cùm nullam habeat fiduciam, defensore quoquè carebit.* Hîc etiam CLAVDIANVS *in Eutrop. lib. 2.*

inde leo fiducia crevit,

Sed fiducia, quæ ad præsens attinet institutum, invenitur apud MODESTINVM *in lege Dei in titulo de deposito.* ibi: *Sic enim & in fiduciæ iudicio, & in actione rei vxoriæ, & dolus, & culpa deducitur*: & PAVLVM *lib. 2. sentent. titu.* 13. & CVIAC. *in commento dicti tituli*: de hac etiam fiducia, CICERO 3. *officior.* ibi: *Fideique bonæ nomen existimabat manere latissimè; idque versari in tutelis, societatibus, fiducijs mandatis, rebus emptis, locatis, conductis.*

Pignoris ergò fiducias in desuetudinem misit CONSTANTINVS *in d. l. vltim.* ita præter supradictos ANT. FAB. *in suo Codice lib. 8. tit. 22. defin. 1. in principio,* nec si Diggestorum tempore Consultis, & Iurisprudentiæ Principibus plausibilis non esset comissoria lex in pignore, sic de fiduciâ scriberent CICERO, & PAVLVS. 31

Appropinquat nunc superioris difficultatis solutio. PAVLVS enim, fiduciâ datos creditori servos non deberi, plenore concedit, quia fiduciaria pignora, non sunt interim in dominio legantis debitoris, vt infra latiùs dispiciemus: lex vero *suos* 73. sine fiduciâ pignori datis disponit contra; nam sine fiduciâ, obsides tantùm erant. 32

Sed idem PAVLVS *lib. 5. receptar. tit. 1.* propriam suæ mentis sobolem devorare videtur, cùm pignori rem, aut fiduciæ dari, quasi prorsus diversa constituat. TIRAQVELL. *vbi supra num.* 41. dissidium invenit, sed non sanat. IACOBVS CVIAC. *in dict. tit.* 1. plura antiqua excutit, & scitu dignissima patefacit, at huius dubij non meminit. Arcanum hoc est nō minus, ac illud Imperij pignus, de quo 33

Vesta-

Vestales notitiam solùm habuere, iuxta OVIDIVM:

Vidimus, Iliacæ transferri pignora Vestæ.

Ego existimo, PAVLVM à se non dividi *in d. tit.* I. nam ibi de venditione hominis liberi ratiocinatur; *homo*, inquit, *liber nullo pretio æstimatur*: & infert, nec pignori, aut fiduciæ dari; non quòd hæc cumulari posse in re venali neget, sed *fiduciæ dari*, idest, nec sub spe remancipationis: *pignori*, id est, nec sine translatione dominij civiliter adstringi; vtrumque perhorescit: nam in homine libero hic sermo apologus est. Nec proprietate vocabuli hîc abvti fas esset, & ad improprietatem recurrere, qua solent filij ingenui, & liberi cives dici *pignora*, & nostro idiomate, *prendas del alma.* OVID. 3. *Fastor.*

Inque sinu natos pignora chara tenent

Et 3 *Metamorph.*

Tot natos, natasque, & pignora chara nepotes.

PLINIVS Iunior *lib* 1. *epistol Calest. Tison. interque tot pignora veros amicos.* Emblemmatarius:

Crediderat platani ramis sua pignora passer.
Et bene.

Idem:

Investes pullos pignora grata fovet.

Mirificè BAPT. MANT. cuius opera animi iucunditate integra legi *lib.* 1. *sylv* 5 gallinæ pullos pignora vocat. ibi:

Vt mater cristata solet, quo tempore milvus
Instituit insidias, flectitq; per aëra gyrum:
Illa dolum timet, & crocitans sua pignora cogit,
Collectumque gregem suspensis protegit alis.

Et STAT. *lib.* 4. *Thebaid.*

& ad vtera dulce prementem
Pignus.

CLAVD. *de rapt. Proserp lib.* I.

mater fidissima pignus
Abdidit.

Et in *Eutrop. lib.* I.

Semiferos partus, metuendaque pignora matri.

IVST. LIPSI *lib. 1. de milit. Roma. dialog.* 2. exponens TITVM LIBIVM *lib.* 22. *Magna vis hominum conscripta Romæ, libertini etiam, quibus liberi essent, & ætas militaris in verba iuraverant, &c.* & statim *quibus liberi essent, vt scilicet, quos opes Reipublicæ non adstringerent, charitas ista liberorum, vt alterum pignus vinciret.* Et in honorem nominis *pignus* trāscribo verba IOAN. IACOB. CHIFFLETI *de Linteis sepulchral.* CHRISTI servatoris *c.* 26. vbi lintea, quæ pro veris CHRISTI Domini sindonibus, vel sudarijs, varijs in locis habentur, appellat cum GRETSERO *sacra pignora & lipsana*, & integrū capitulum 10. inscribit *de sacro pignore.* Omittimus, quæ de filijs sanguinolentis, *in titulo de infantibus expositis*, & *in l.* 2. *C. de patrib. qui filios distraxerunt, & in l.* 1. *C. Theodosian. eodem*, & pœnam creditorum, de quâ *in l. vltim.* D. *quæ res. pignor.* nam IACOB. CVIAC. *in d. tit.* 1 *lib.* 5. *recept. sent. Paul.* ad saturitatem exaravit. Sed omninò excipio casum redemptionis captivorum, quâ Redemptor, quasi naturale pignus, Redemptum retinet, donec, vel pretiô solutô, vel volūtate Redemptoris, vel obsequio quinquennij finiatur pignus. *l.* 2. ibi; *Veluti naturalis pignoris vinculum. l. cum redemptum* 5 *l. cum & postliminij* 6. *l fædissimæ* 7. *C. de postliminio revers.* vndè est, restitui post luitionem, & filios conferre bona, quæ haberēt, moriente patre, si ab hostibus capti non essent *l.* 1. *§. qui ab hostibus* D. *de coniung. cum emancip. liber. eius* & post mortem patris offerentes Redemptori pecuniam, retrò suos heredes patri fingi. *l. si patre redempto* 15. D. *de capt. & postl. reve.* nec id officit ingenuitati *l. si quis ingenuā* 21. D. *eodem tit.* imò natos post redemptionem, ne pignoris quidem vinculo ob pretium, quod pro his datum non est teneri, nullis Authoribus visum est, inquit textus *in l. Præses* 8. *C. de postl. reve* De hoc etiam pignore naturali sermonem annectit Consultus, *in l senatus* 43. *§. vltim.* D. *de lega.* 1. & quæstionem practicam circa prælationem inter creditores tangit NON. COSTA. *de privileg. credit. regul.* 1. *ampliat.* 1. *num.* 24.

Nec fundamenta generalis asserti nostri sugillat *l. statu* 34

liber 38. § 1. ibi: *Cuius usufructus alienus est in dominio proprietatis connumeratur, pignori dati in debitoris sub lege commissoriâ distracti, item addicti in venditoris.* D *ad leg. falcid.* Nam facilè occurritur HERMOGENIANO, si accuratè illi⁹ scripturam legimus: primò sic, *pignori dati indebitoris.* Deindè diversa oratione; *sublege commissoriâ distracti, item addicti in vēditoris*; quasi fateatur in dominio venditoris esse lege commissoriâ distractos, idest venditos: sed non ante, quàm emptor cessaverit in solvendo, sed post. Ita Glossa *in d. l.* 38. verbo *in venditoris*, & sic purus ibi erit HERMOGENIANI sermo de commissoriâ invenditione, non in pignore.

35 Vt suavius adhuc resonet CONSTANTINI emendatio; sciendum est: pactionem commissoriæ directè, & purè modo, quo in venditione tunc temporis, legibus in pignore nō caveri, sed legibus, quasi abuti creditores per obliquum, tū diversâ, tū simili formâ. In effectu, res data pignori sub eâ pactione tandem vendita dicebatur, non vt perpetuò maneret statim apud creditorem, & sine vllâ conditione. Præsentit PETR. SVRD. *decis.* 248. *n* 19 & suspicatur creditores vti lege commissoriâ in pignore frequentiùs ad inducendā venditionem. Verùm non vno modo; vel enim cavebatur res necessariò vendenda post moram, iusto pretio, vt indicat *l. si fundus* 26. *§. vltim.* D. *de pignor.* vel non vendenda, si soluta pecunia esset, tempore statuto. Tetigit idē SVRD. ibidem *n.* 11. ibi: *Et ideò quando non est dictum, quòd res sit empta, vel in solutum data, sed debitor promittit eam vendere, vel in solutum dare, est pactum legis commissoriæ, & nō valet.* Vel aliter, hoc est, fiduciâ contractâ, mancipabatur res creditori, eâ pactione, & lege, vt si soluta pecunia esset remanciparetur debitori; & in hâc formulâ proprietas pignoris penes creditorem significatur. Docet CVIAC. *lib.* 2. *de feud. titul.* 29. *& in titulo C. de pignor.* ibi: *Fiducia item est pignus, sed eius dominium transit in creditorem.* Nō ex tūc perpetuò, sed sub conditione, *si debitor non solverit*, & similiter remācipata debitori fingebatur, non ex tunc, sed sub contrariâ

con-

conditione, *si soluerit:* & in hâc subtili cautione, pignus non tàm in re ipsi pignoratitiâ, quàm in eo situm erat, quòd res interim non perpetuò retineatur vendita, affecta tamen pactionis illius vinculo; idest mancipationis perpetuæ, & remancipationis, vnâ, vel alterâ impletâ conditione, referendo singula singulis

Nescio, an huc respexit IACOB. CVIAC. *in tit. C. de pact. pign.* ibi: *Puta si convenerit, vt ad diem, non solutâ pecuniâ,* 36 *pignus fiat creditoris pleno iure, &c.* & ibi: *Translato ergò dominio eâ lege, vt solutâ pecuniâ, ad diem remanciparetur debitori, non solutâ, remaneret penes creditorem perpetuò.* Verè TIMANTEM veluti in hâc re pictorem celebro CVIACIVM, quia in eius aureis operibus non semel plus aliquid invenio latens, quàm pingitur literis. Cùm ergò legem commissoriam venditionis transferrent ad pignora, prætextu maioris securitatis, & indemnitatis, fraudatorium, & fallax beneficium creditorum factum est, debitores sua dilapidare pretiosiora compellentium; non abs re sunt TVLLI verba *lib. 2. officior. Detrahere aliquid alteri, & hominem cum alterius incommodo sua augere cõmoda, non minus contra naturam videtur quàm mors, quã dolor, & reliqua, quæ possunt, aut corpori accidere, aut rebus externis.*

Archetypum huius rei, & totius materiæ præconium erat lex commissoria venditionis, ideoque ne vbi identitas 37 iuris vigebat, quoad dominij translationem, & remancipationem pignoris, intercedente fiduciâ, exoculares infoveam exitu difficilem incidamus, aliquas interpretari leges, & simul ex penetralibus emptionis, & vẽditionis ad irrigandos hortus nostri fructus haurire aquam lubet, & vt dicebat PLATO, *lib. 1. de legib.* non contentiosé, sed quietè rem inquirire. Lucẽ accipiet, & simul dabit lucem textus *in l. commissoriæ* 4. *C. de pact. inter empt. & vendit.* vbi adhuc in venditionibus res empta, eo pacto, extra dominium emptoris est quippe cùm in potestate venditoris sit, vel rei vindicatione, vel vsurarum petitione vti.

Pluribus laudatis *DD.* respondet CALD. *in l. si curatorem* 38

*n.*54. multum interesse, an verbis directis V. C. *res sit inempta*: an obliquis V. C. *ad me revertatur* concipiamus legẽ commissoriam; primo casu statim, inquit, retrò dominium acquiritur venditori, & salva est vindicatio, & in hoc sensu sumit *d. l commissoriæ* 4. in secundâ verò specie dari actionem ex vendito; iuxtà textum *in l. qui eâ lege C. eod. tit.* absolutè concedit. Placuit etiam hæc distinctio DVARENO *ad titul. de leg commiß.* & exornat Cardinal. MANTIC. *de tacit. & ambig. lib.* 4. *tit.* 29. *á n.* 22

39 Trunca hæc sunt, & insubtilia; nam etiam in lege commissoriâ verbis directis compactâ, actionem ex vendito invenit ipse CALD. & expressus probat textus *in l. si fundus* 4. D. *de leg. comm.* rescripto SEVERI, & ANTONINI, *& l. Imperator.* 16. D. *de in diem adiection. l sed Celsus* §. 1. D. *de contrah. empt.* nec facile est, semel dominiũ emptori quæsitũ, sine novâ traditione amitti *l.* 1 §. *fin.* D. *de reb. eor.* de quâ latè loquuntur SARMIENT. *lib.* 3. *selectarum cap.* 8. *á n.* 3. COVAR. *lib.* 1. *var. cap.* 14. FACH. *lib.* 2. *controv. cap.* 3. pluribus etiam defendit D.D. IOAN. BAPT. DE LA REA *in decis. Granat. tom.* 2. *decis.* 83. per totam.

40 Affirmari non iniustè posset, in dominio, quod lege commissoriâ transit, illud specialitatis esse, vt sine traditione feratur in venditorem, ministerio, & privilegio ipsius legis, sic Gloss. *in d l. commissoriæ vers. non vendicationem*: & est limitatio *l. traditionibus C. de pact.* Repetere fas sit verba CONAN. in *comm. iur. civil. lib.* 3. *cap.* 7. *n.* 2. *Atque hæc traditio*, ait *seu re verâ, seu imaginariâ accedat, tota pendet ex eius voluntate, & consilio qui tradit; ideò, dicta lex diligentissimè est servanda, quæ ipsa traditionis est multò maxima pars, vt in pacto addictionis in diem, respondit Vlpian. in l.* 41. *D. de rei vindic. si quis hâc lege emerit, vt si alius meliorem conditionem attulerit recedatur ab emptione post alatam conditionẽ, iam non potest in rem actione vti: sed si qui in diem addictus sit fundus, ante quàm addictio facta sit, in rem actione potest, postea non potest; lex traditionis fuit, vt si alius rem meam vellet cariùs emere, res esset inempta, medio tempore, primus*

emptor

emptor dominus fit traditione, iustâ ex causâ factâ: cùm alius affert meliorem conditionem, eadem ipsa traditio reducit statim eiusdem rei dominium ad venditorem, vi adiectæ conditionis, nec opus est novâ (vt sic dicam) traditione. Eadem ratio est legis commissoriæ, cùm vendo tibi rem, eo pacto, vt nisi dictâ die solvas pretium, res inempta habeatur: interim res est tua, sed si pretium ad diem non solveris, ipso iure, reddit ad me res mea. Hæc CONNANVS. Pluribus eādem doctrinam sequitur FELIC. SOLIS. *de censib. lib. 1. cap. 6. à n. 3.* & præcipuè *n. 5.* de facili enim res ad suam primævam naturā revertitur; argumento *l. si vnus § pactus ne peteret* D. *de pact. l. in bello 12. § si quis servū* D. *de capti. & postlim. revers. l. in voluntate § fin* D. *quib. modis pign. vel hypothec. solvitur l si cùm venderet* D. *de pignor. action.* & cùm dominium ius incorporeū sit *l si pretium C. de præd. minor.* sub legis potestate est, & lege datur, legeque adimitur sine hominis ministerio *l. fin. C. de præscript. long. temp. l. servo legato 69. § 1.* D. *de legat. 1.* imò non translatum, sed redditum tale dominium appellemus; argumento *l. filio quem pater* D. *de liber. & posthum.* vndè dominium retrò acquiri constat, nullâ traditione refluâ, quia retrò venditio facta eo modo videtur *l. si hominē 19.* D. *de vsucapion. l. si duobus 6. § 1.* D. *de divers. & temporal. præscr.* & huic sententiæ, quandò in continenti pactum commissoriæ appositum invenitur, favitor est ALEX. TRENTATI *variar. resol. lib. 3. resolut. 10. n. 24.* & sic interpretatur doctrinam, ALEX. *consi. 10. n. 4. vol. 1.* CORNEI *cons. 69. vol. 1.* SALYCETI *in l. si prædium C. de ædilit. action.* ANGELI *in l. si quis hāc lege* D. *de rei vendit.* DECI *in l. traditionibus col. penul. versiculo secunda conclusiò C. de pact. & cons. 300.* & multi absolutè fatentur idem in omnibus pactis, in quibus verba directa resolutiva adhibentur. RAPHAEL CVMAN. *in l. 1. C de reb. alien. non alie.* ALVERIC. *in d. l. traditionibus C. de pactis.* BALD. *in repetitione l. Æmilius* D. *de minorib.*

Verùm, cùm in potestate venditoris sit commissoriæ vsus, vel renuntiatio; sic ipsâ volente lege, dummodo, vnâ 41

via electâ, ad aliam nullus sit transitus *l. post* D. *de lege commiß.* tale dominium revocabile assevero, ita vt si eligat vẽditor commissoriam, fiat perpetuum apud illum, si petat pretiũ, duret in emptore. Intellexi iam textum *in d. l. commissoriæ* ibique rei vindicationem perire existimo, quia venditor mavult vsurarum petitionem, quasi dixerit Imperator; inemptus vix erat fundus, existente conditione, & dominium venditoris convaluerat, seu emptio si voluisset venditor; cùm statim ante illud instans, renuntiatione *illius*, extinguitur legis potestas, & ministerium, simulque vindicatio: ast cum rei naturalem traditionem, quæ penes emptorem est, nancisci intersit venditoris, non alio iudicio, sed vi contractus initi rectè dari actionem ex empto disponit *l. si fundus* D *de leg. commiss.* ergô non inconvenit interim apud vnum servari dominium, & retrò post alteri acquiri; similiter fructus, & accessiones interim esse emptoris, nondum re inemptâ, & post venditoris *l. lege fundo* 5. D. *de leg. commiß.* eò quia nihil penes eum residere oportet, qui fidem fefellisset: igitur in pignore, contractâ fiduciâ mancipato creditori, antiquo illo iure dante, potuit dominium penes illum interim, & sine vllo novo contractu, debitori post remancipari, vt de filio nunc meminimus, qui emancipatus, contractâ fiduciâ, dicebatur, id est, vt remanciparetur à fiduciario, & restitueretur patri naturali. CAIVS *in institut.* Hinc etiam fiduciaria tutela, ad tempus scilicet concredita, & fiduciarius servus, quasi interim alienatus; PAVL. *lib. 2. recept. cap.* 12.

42 Nondum quiescit animus, supradictâ adamantinâ difficultate percussus; nam tinnitus quidam restat, circa dominij retrò acquisitionem sine traditione, & adhuc mens tumultuatur; quare vt antipathiam omninò extinguamus, securiùs scrutemur oportet dominij vnius in alterum in lege commissoriâ transitum. Et prius recordor cùm IACOB. CVIAC. (erubescimus cùm in scholis sine ipso loquimur) *in l. 4. C. de pignor. act. & in l. 1. C. de pact. inter emptor. & vend.* commissoriæ legis venditionem in comperto non

esse

esse, an sit pura, an conditionalis, cùm distent scholæ: SABINVS voluit conditionalem *in l 2. §. Sabinus D. pro emptore*, & infert emptorem non vsucapturum, nisi solutâ pecuniâ. PAVLVS *in d. l.* 2. contra sentit, & notat GOTHOPHRED. *litera* 4. quia magis resolvi, quàm impleri emptionem scribit. In prima sententiâ certum fuit; venditorem semper dominum ante solutionis implementum, & posse vti vindicatione, ni renuntians, præviâ vsurarum petitione, contractum novum firmaverit, perfecerit, impleverit, & quasi fidem emptoris sequutus, non iam commissoriam exercere cupiat. At cùm obtinuerit sententia PAVLI, aliter rem iudicare, necessum iudico. CVIAC. voluit dominium transferri, non nudo pacto, sed accedente legis commissoriæ conventione, & potestate, quâ fit res inempta, adeò subtiliter, vt nec in emptorem retrò fuisse fingatur, sed potiùs præcario ei tradi; & sic competat vindicatio, iustissimum est; non enim supponit lex, dominium redire ad venditorem; sed nunquam amissum. Nec obstant iura, quæ dant ex vendito actionem, nascitur vtique ex omnibus pactionibus, quæ vēditioni insunt á principio *l. 8. C. de pact. inter empt. & vend.* & propter recessum contractum, cur non dabitur? *l. si convenit 6. D. de rescind. vendit.* 42

Hæc placent, sed non ab ipsâ legis nudâ potestate retrò acquisitionem dominij mutuare, sine traditione, benè tamen aliundè: hoc est, ex diverso modo tradendi rem venditam; quippè, emptionis contractu perfecto, nondum emptor dominus, ni venditio reali impleatur traditione; tunc verò dupliciter contingit. Primò rē tradi præcario, nō dominij transferendi voluntate; quo casu servatur venditori vindicatio, & proficua est, si res fiat inempta defectu solutionis. Secundò traditur res vendita emptionis iure: tūc impletur contractus; emptor dominus statim apparet; venditor creditoris nomine fungitur, & re inempta, non vindicatio, sed ex vendito actio erit. Iam distinctione iura in amicitiam redigo. Venditor *in d. l. commissoria* præcario rē tradidit, perfectâ non impletâ venditione; & renuntians 43

com-

commissoriæ, petitione vsurarum, penès emptorem res iure emptionis remanet, cessat vindicatio, pullulat actio ex vẽdito. In alijs legibus supra relatis res tradita à principio iure emptionis est, & ideò, sine distinctione ex vendito agẽdum. Brevissimè, sed accuratè eodẽ modo sentit OSVALD. ad DONEL. *lib. 16. comm. cap. 19. litera F*. Nec FELICIAN. DE SOLIS *lib. 1. de censib. cap. 6. n. 9*. integrè rem hanc percalluit, cùm absolutè, & necessariò venditorem habere fidem de pretio in commissoriâ: fortitèr asseveret id enim ex volũtate venditoris pendet: & fieri vel non fieri posse quis negabit, nisi per febrem somniet? Hæc magis placent, quàm quæ ALCIAT. *lib. 1. parerg. c. 25*. & novissimè NONIVS COSTA *in tract. de privil. cred regul. 1. ampliat. 2. n. 33*. vbi propter vsum, & praxim dari dominij retranslationem constituit, sine novâ traditione, quæ quidem phrasis minus consona iuribus est, nec theorico viro digna. Licet in alijs praxis non sit contemnenda *l. fin. C. de iniurijs*.

44 Difficilis pluribus visus est textus *in l. in bello 12. §. si quis servum* D. *de capt. & postl. reve*. verba scribo. *Si quis servum captum abhostibus redemerit, protinùs est redimentis, quamvis scientis alienum fuisse, sed oblato ei pretio, quod dedit postliminio redisse, aut receptus esse servus credetur*. Nam inferunt, à primo domino, pretio oblato, ipso iure ad illum servi redire dominium. Torquent se maximè scribentes, vt examinẽt, an in cõtinenti, an ex intervallo, pactũ appositum sit, & expendunt *l. 3, C. de pactis inter empt. & vendit*. ibi: *Quâ lege prædium vendidit. & l. si quis hâc lege* 41 D. *de rei vindic*. Sed ni me sensus fallit, dicta *l. in bello. §. si quis servum*, mutuã traditionem servi non excludit, sed supponit, cùm possessio, vtpotè res facti, á fictione postliminij prorsùs aliena sit *d. l. in bello §. facti*. solus ergò possessoris titulus, pretio oblato, resolvitur, vt verò domino restituere servum cogatur, quia fictione postliminij nunquàm apud hostes fuisse creditur. Textus *in l. 3. C. de pact. inter empt. & vendit*. non tam alienus dici potest, quàm contrariæ interpretum doctrinæ contrarius; ibi enim nisi præcario data sit

posse-

possessio; cōpetere ex venditori certo certius est, vt indicāt expressa verba. ibi: *Si nō praecariam possessionem tradidit, rei vindicationem non habet, sed actionem ex vendito.* Nec in *l. si quis hac lege* 41. D. *de rei vindic.* invenio affirmasse VLPIANVM, primum venditorem statim rei vindicationem habere, sed id potiùs subtiliter statuisse, emptorem scilicet, meliore alatâ conditione, non posse vti actione in rem, vt etiam colligitur ex *l. 1. & l. 2.* D. *de in diem addict.* quasi ante meliorem conditionem allatam posset, postea non posset: & verè ita est, iuxtà verba, & sensum *d. l.* 41. ibi: *Ante quàm adiectio sit facta, vti in rem actione potest, postea non poterit.* Vt melius id penetretur, animadverto; meliorem illam conditionem allatam non statim priorem venditionem resolvere, nisi priori domino placeat *l. Sabinus* 9. D. *de in diem addict.* ideoque, si interim dum melior conditio affertur, venditor fati munus adimpleat, cùm hereditas iacens incapax sit, vt ei placere, vel displicere possit intra terminum, primo emptori addicta res manet *l. si praedio* 15. D. *de in diem addict.* quia voluntas, quae facti est *l. voluntatis* 7. C. *de fideicommiss. l. consilio* D *de cura. furios.* ad hereditatis iacentis fictam personam non attinet *l. 1. § Scaevola.* D. *si is qui testa. liber. esse iuss.* notat ANT. FAB 5. *to. rational. in d. l. si praedio* & mirificè explicuit colendissimus mihi, in Salmanticensi Academiâ quondam praeceptor meus D. D. MELCHIOR DE VALENTIA Primarius Caesarei Iuris interpres, & nunc, dùm maiora scandit, Regius Senator consiliarius peculij Regis. *lib. 3. illustr. iur. tract. ad titul.* D. *de acquir. vel amitt. hered. cap. 2. à n. 3.* (ALEXANDER SEVERVS VLPINIANVM Magistrum suum appellat patrem in *l. ex divi C. locat.* & circa reverentiam, quae Magistris debetur videndus MENOCH. *de arbit. lib. 2. casu* 500. *& text. in cap. quis dubitet* 66. *dist.*) nunc ad rem. Inter primum ergò emptorem, & venditorem illud specialitatis est, vt venditor non possit alij addicere, si primus emptor idem praestet *l. licet* 7. D. *de in diem addict.* sin verò nolit, iam venditor certior factus alij potest addicere *d. l. licet* 7. Primus itaque emptor pati

tenetur rem, quam possidet, resolutâ venditione vt alij possit addici: & hoc retraditionis loco est. En post melioris cōditionis adimplementum aliquid facti requirimus ex parte vtriusque, quod traditionem, vel operetur, vel importet, secus in commissoriâ lege est. Nostram item sententiam iuvat *l. servo legato* 69. §. 1. D. *de leg.* 1. vbi servum sub conditione legatum, si heres alienaverit, existente conditione, posse à legatario vindicari, GAIVS scribit, quia cùm existens conditio trahatur ad tempus dationis legati, & dominium semel ex vi legis in legatarium transierit, absque facto illius non amittitur.

45 His obstare videbitur textus *in l. si cùm venderet.* 13. D. *de pignor. action.* cùm re acreditore pignori datâ, venditâ, & distractâ sub eâ conditione, vt si debitor pecuniam solveret liceret recipere, concedat VLPIAN. reivindicationem debitori. ibi: *Sed & ipse debitor, aut vendicare rem poterit, aut in factum actione adversus emptorem agere.* Ergò sine vllâ retrotraditione dominium quæritur, quoties pactum est, vt solutâ pecuniâ, ab emptione discedatur. Non obstat, nam respondeo, in hâc lege creditorem vendidisse pignus ante moram contractam, & absque consensu debitoris, in cuius dominio res pignorata durat, nec enim traditur creditori, vt iure emptoris habeat, nisi in casu commissoriæ legis, de qua nullus *in d. l.* sermo fuit; & nō novum est, vt solutionis accedente tempore, possit debitor à quolibet rem vindicare; & ni fallor Dom. Præsul COVAR. *lib.* 3. *var. cap.* 8. *n.* 3. minus benè debitorem sibi excepisse revenditionem probat. Nec faciunt verba illa, *vt si solverit debitor pecuniam pretij emptori, liceret ei recipere rem suam:* quia non tā à debitore, quàm ab ipso adiecta creditore sunt, etsi in favorem debitoris: & prædic. Dom. Præsul fatetur dubitans. ibi: *At si dixeris apud Iurisconsultum non constare, nec de cōsensu, nec de ratihabitione debitoris: fateor equidem, id expressìm inibì non significari.* Pace tanti viri, liceat innanem dicere rogationem, & dubitationem, cùm clarissimis verbis de conventione inter creditorem, & emptorem loquatur

VLPIAN. qui statim subiicit *Si cùm venderet creditor pignus, convenerit inter ipsum, & emptorem, vt si solverit debitor, &c.*

Quæ hucvsque scriptitavimus insubtilia non esse persuadeo mihi; fateor tamen, communem esse doctrinam in his pactionibus commissoriæ legis, & addictionis in diem dominium venditori, sine novâ traditione quæri, resoluto contractu, dummodò in continenti pactum apponatur, non ex intervallo: vt pluribus exornat COVAR. vbi supra. Vtrumque iam pro rostris defensavi. Fortè vtilitatis aliquid, & novi diximus, si non ita est, saltim scribere mentem permissum est, nam vt Satyrus iam diu; 46

Scribimus indocti, doctique poëmata passim.

Homini id datum, in quod, ne mortis quidem audax rapacitas ius vllum habet. *Hinc rectè mihi fecisse videntur, qui rationis ministras esse manus pronuntiarunt*, inquit, CELIVS RODIGIN. *lection. antiquar. lib. 4. cap 3. litera E.* & illud à PLVTARCHO repetitum meminit, ideò sapientissimum videri hominem, quia manibus fuit instructus. Ergò id adminus efficiam, vt quæ censerim, dixisse perpetuum sit.

In pignore, contractâ fiduciâ, quondam mancipato, eadem vigil oculus inveniet, nam vel præcario tradebatur res creditori, vt si statuto tempore evanuisset solutio, res empta in dominio duraret creditoris, si nō evaneret ad debitorem rediret; & tunc res ipsa in pignoris causâ erat: vel non præcario, sed à principio, emptionis iure, res pignoratitia creditori fiduciâ conceditur possidenda, tunc non in re ipsâ absolutè, sed in re prout affectâ iure illo remancipationis pignus sustinebatur: & sic solutione factâ, vel vindicatio, vel ex vendito actio debitori solventi supererat, seu ipsius legis commissoriæ conventio, vt exigebat diversitas traditionis. 47

Hinc interpretor reconditum textum tritum potiùs quàm visum *in l. magis puto 5. §. si fundus pupillo D. de reb. eorum.* qui in hac materiâ difficultatis fastigium non modò attingere, sed superare in contrariâ sententiâ posset, est vti- 48

que ius aqua pinguis,vt dicebat IOAN. ANDR, *in tit. de reg. iur. in princip.* indè HORAT.

offas in iure natantes.

Fundum pignori pupillo datum,vt iure dominij possideat, intercedente pacto legis commissoriæ, (secundum GOTHOPHRED. ibidem *litera A.*) à tutoribus alienari haud cōsentaneum Consultus existimat,vtpotè pupillare prædium: vndè proprietas pignorati fundi nō erit penes debitorem. Interpretor,inquam, de pacto, fiduciâ contractâ, celebrato, & de re iure emptionis traditâ creditori: nec hoc blatire ad aures videatur, nam dominium licet ex tunc non perpetuò apud illum,interim tamen res est vendita, & mancipata pupillo, & pignori non tam ipsa res, quàm ius illud cedit,quo afficitur. Nec inconvenit, ius pignori dari posse, *l.1. in principio* D. *de pignor. l.3. § cum ex causa* D *qui potior. in pign. l. 1. C. si pign. pignor. datum sit.* Imò ius etiam dicitur possideri *l. si per fundum* 7. D. *de itiner. actuque priva.* Tentari item posset,proprietatem creditori mancipatam,quasi pignori econtrà in favorem debitoris esse; vt solutâ pecuniâ,illi remancipetur, sine novo pacto,& venditionis,& retrovenditionis instar id excogitare. Vestigium, ne dicam exemplum invenitur *in l. Iulianus §. offerri* D. *de action. empti.* vbi res propria, quasi pignoris loco cedit in favorem domini,donec emptor solverit integrum debitum,etsi partem iam solverit, quia pignoris causa individua est, *l. rem* 65 D. *de evictione.* rectè TERTVL. *lib. de pænit. Ineptum est,* inquit, *pretium non exhibere, & manum ad merces mittere;* quin resistat *l. nequè pignus* 45. D. *de regul. iur.* nam non verè pignus,sed quasi pignus res propria dicitur *in d. l. Iulianus §. offerri* notat IACOB. CVIAC. *in tit. de actionib. empt.* in commēto *d. §. offerri* & adducit in cōprobationem *l. quod si nolit* 31. §. *Marcellus.* D *de ædilit. edict. l. hereditas* 22. D *de heredit. vend. l. dote* 3. D. *de dot. præleg.* huius loci etiam est PAVLVS *lib. 2. recept. tit.* 13. ibi: *Debitor creditori fiduciam vendere non potest, ita vt ex pretio eiusdem pecuniam offerat creditori, atque ita remancipatam sibi rem emptori præstet.* Quin-

iam

lem creditori satis per mancipationem acquisita est. Videndus CVIAC. d. tit. 13. §. debito.

Omnia hæc, quæ fugitiva aliquibus viderentur, præcipiti lapsu ad rationem decidendi huius primæ periodi recurrunt quàmplurimis iustitiæ viribus informatæ. Ne, inquam, decipiantur debitores offerentes pignori in securitatem exigui debiti sua meliora ob spem futuræ luitionis, & inedia coacti pretiosis rebus pro vili pretio nudarentur, nam vt benè HORAT. epist. poster. lib. 2. 49

paupertas impullit audax.

Et MARTIALIS

O quantum cogit egestas!

Turpem vocat VIRGIL. 5. Æneid.

Et metus, & male suada fames, & turpis egestas.

LVCRETIVS acrem, SENECA monstrum, PAVLIN. epist. 36. matrem Parcarum; CLAVDIANVS infelicem:

Infelix humili gressu comitatur egestas.

Deinde, si pactum legis commissoriæ pignus trascenderet, vix, raro, aut nunquam aliter creditores de egentibus hominibus benemererentur, quod inconvenit l. 42. tit. 5. partit. 5. ibi: *Non lo querrian fazer de otra guisa.* Considerauit etiã SVRD. decis. 248. n. 2. nec lex canonica, & iusta captionem fragilis debitoris, & asperitatem avari creditoris iuvare appetit, cùm frequentius sit, res supervalentes debito pignori dari: vt meminit SALYCET. in l. si ex cautione C. de non numer. pecun. experientia magistra, debitores hùc illùc impelli scitum est, & quaslibet leges suscipere ferè sine libertate & optione. Servos iam dixi, qui si non in servitium, in ergastulum quodammodo, & carnificinam abducebantur olìm à creditoribus, & quòd gravius est filij, & nepotes si contradicerent everberabantur, obsita erat squalore vestis, fœdior corporis habitus, pallore ac macie perempti, ad hæc ferè prolixa barba, capillique efferabant speciem oris, vix vt noscitarentur in tantâ deformitate: verba sunt quibus miseram debitorum conditionem pinxit RODIGIN. lib. 12. lection. antiqua cap. 20. quâ egestate creditores vsu-

rarij

rarij in suum compendium abuterentur, furtum, & rapinam luporum instar inhiantes.

Mille lupi, totidem vulpes in vallibus istis
Lustra tenent, & quod dirum, ac mirabile dictu est,
Ipsi homines (huius tanta est violentia cœli)
Sæpe lupi effigiem, moresque assumere vidi.

Quia numquam amor numi decrescit diviti avaro, cui tàm deest quod habet, quàm quod non habet, quamvis argentum illi non ad numerum, sed admensuram sit: quod vulgò dicimus *por anegas*: neque illius sitim extinxeris, tametsi totum Nilum, aut Danubium epotādum præstiteris. Cupido non magis est obnoxia inopia, quàm copia, & si tot ei sint prædia, quantum non milvus oberret, vt de illo divite, qui erat Curibus refert PERSEVS *satyr*. I & IVVENA. *satyr*. 9. *vel vt satyr* 14.

Possideat quantum rapuit Nero montibus aurum.

Sed quis invideat Danistarum exuberantes redditus pecuniæ suæ? cùm omnis rapina tandem arida sit, & sterilis, quibus nullus tā amarus labor, & si amarus, qui propter quæstū, & bonorum cumulationem non dulcescat, & vt melius IVVENAL. *satyr*. 14. irridens, quæsito exemplo fabrorum:

Artificem quippe crescunt patrimonia fabris,
Sed crescunt quocunque modo, maioraque fiunt
Incude assidua semper ardente camino.

Increpat eos D. BERNARD. *lib. de Tobia c.* 15. ibi: *Cur semper tristes? cur semper amarissimi? cur semper sollicitti?* addo ego, cur semper sitientes: vt Tantalus ille

Qui nullo potuit fonte levare sitim.

Sed proh dolor!

Vnde habeas curat nemo, sed oportet habere.

Iniustam meherelè duritiam olim lex commissoria in pignore vsu, seu abusu creditorum admisit. Bellissimè ANT. FAB. *in suo Codice lib.* 8. *tit.* 22. *definit.* 2. pignoris constitutionem legitimum modum esse transferendi dominij negat. Nec sub bono, & laude invenietur pactum in favorem venditoris excogitatum *l. nam lege* 3. D. *de lege commis.* in damnis

exercere debitoris, qui verus pignoris erit in tali casu venditor. Glisceret iniquitas, si antiquorum captionibus prudẽtes, & religiosi Principes annuerent, cùm magis eos deceat boni, æqui, & iusti voluntas, quàm Ethnicos illos Dœmonis discipulos. Visum est publicæ vtilitati maximè contrarium simile pactum in pignore, advertit DUAREN. *in titul. de leg. comm. in fine*. Nec insolens, & rarum, non omnia apud priores meliora, sed nostram quoque ætatem multa laudis, & artium imitanda posteris tulisse, dicebat TACITUS *lib. 3. annal.* Adeò exosa lex commissoria in pignore iam est, vt nec expressa partis renuntiatione induci valeat. ALBERIC. *in l. 1. C. de pact. pignor.* GUID, PAP. *consl.* 81. TIRAQUEL. *de retract. convent. ad finem tituli n.* 123. argumento Glossæ *in l. à Divo Pio D. de rit. nupt.* plura ALEX. TRENTAC. *variar. resol. lib. 3. resol.* 11, per totam.

Dices, tranquillam reservari optionem debitori, vel solvendi debitum, vel consentiendi in legem commissoriã, paciscendi, vel non paciscendi, ergò cum à radicibus veniat volũtas libera, etsi ex post facto necessitatem patiatur, quod rarum in iure non est *l. sicut, ab initio C. de oblig. & actio. l. in commodato §. sicut D. commodat.* non doleat debitor, aut iniustè dolebit, eo invito, exerceri pactionis legem, cùm in interregno illo temporis inter vtrumque extremum, solvere debitum, vel consentire venditioni valeat. Respondeo habendam non esse rationem prioris, & antecedentis temporis, quo debitor necessitate coactus fecit, quia necessitas non habet legem *l* 1. D. *de offic. consul. l. vt gradatim §. 1. D. de muner. & honor. l. 1. C. de oper. libert. l. pro tyronibus C. de privil. dom. August. lib.* 11. quinimò vt refert MEXIA *de taxa pan. concl.* 5. necessitas non respicit legem prohibitivam, permissivam neque consideratoriam *l.* 41. *tit.* 5. *p.* 5. ibi: *E los homes quando estuvieren muy cuitados con muy gran mengua que huviesen, fariã tal pleito como este, maguer entendiesen que seria a su daño.* Quaslibet difficultatis tenebras illuminat, textus *in l. qui in carcerem* 22. D. *de eo quod met. caus.* esset vtique in locum solatij novè ærumnarum dedisse pignora, 51

cum

cùm ipsis spoliatus, adveniente solutionis die, vacuæ manus miseri debitoris trepidarent, consumptâ mutuatitiâ pecuniâ, & hiperocâ mancipatâ creditori.

51 Salva nondum res est, amarum enim difficultatis poculum propinat textus *in l. fin. C. de distract. pignor.* qui Sinonis instar secretò increpat, & blattæ similis duriora conclusionis nostræ fundamenta rodit:

Sæpe latet molli coluber sub graminis vmbrâ.

Siquidem Imperatores DIOCLET. & MAXIM. speciem ministrant subtilem, affirmantes, pignore à creditore venũdato, competere debitori pro exuberante pretio vltra sortẽ (etsi ex eo fundus comparatus sit) non in rem, sed personalem actionem, idest, pignoratitiam, pro superfluo, residuo, sive hiperocâ, si nihil ante specialiter secundùm placiti fidem convenit. Eccè verba Imperatorum: *Secundùm placiti fidem si nihil cõvenit specialiter, pignoribus à creditore maiori, quàm ei debebatur pretio distractis, licet ex eo fundus comparatus sit, non super hoc in rem, sed in personam, idest pignoratitia de superfluo competit actio.* Ergò fatentur, quòd si aliter conveniat inter debitorem & creditorem, nec pignoratitia remanet debitori. Tũc sic, nullum est in d. quæstione pactũ, nulla conventio, nisi legis commissoriæ, quæ valeat extinguere pignoratitiam actionem, ergò nihil est, cur tempore Codicis observari in pignore excandeamus. Patet antecedens, quia non potest casus fingi, quo creditor iure dominij possideat sine metu pignoratitiæ, ni legem commissoriam, quæ integrum pignoris pretium sorbit, libenter permissam demus: & non præcedente conventione, cur non actio in rem sed personalis prodest?

Mediusfidiùs pendulus cogitabam, interpretari posse Imperatores, post moram à debitore contractam, (& sic est.) Sed altius adhuc laterè aliquid, cùm suspicarer, citra pactionem legis commissoriæ, pacisci posse inveni de computando omnimodò insortem pretio pignoris, sive maius, sive minus, qualequale, inquam, ex addictione fiat. Hæc dicebatur sors hastalis, seu hastaria *l. penult. C. Theodosian. de præd.*

præd. navicular. cuius mentio *in l. à Divo Pio §. si pignora D. de re iudic.* & ex his pactionibus est, quæ licent. Notat Iurisconsultorum Princeps CVIACIVS, *in tit. de pact. pign. in fine.* (Sic eum vocat TVRNEB. *lib. 5 adversar. cap. 10.*) Dant ergò Imperatores debitori pignoratitiã pro residuo pretij, si aliter secundùm placiti fidem non conveniat, idest, si de hastali sorte non paciscantur. Animadvertere tamẽ restat *in d. l. fin.* distractionem pignoris post moram debitoris factam: itaque dubitarunt Impp. in casu cõtingente post moram, de pacto quod posset à principio celebrari, nec in rẽ, sed pignoratitia competit, quia creditor iure communi pignus vendidit.

Verùm ne discordiam alia iura dissimulent, & sub vmbrâ pacis materiam nostram implicare, & deprimere contingat, licitas ab illicitis separare pactiones abs re non est. 53
Sciendum igitur, textum in *l. pactum 4. C. de pign. actio.* non pervertere CONSTANTINI emendationem, nam de pacto distrahendi pignus, si pecunia non solvatur, intelligi oportet, ita tamẽ vt semper liberum debitori supersit, vel præstare sortem, vel pignus distrahi velle. Rursus salva etiam est ad residuum pignoratitia. De commissoriâ ergò pactione ibi nullus sermo. CVIAC. exponit, vt sequitur: vel ita cõvenit, vt debitorem post diem possit offerre pecuniam, nec cogitur pignus cedere, & agere pignoratitiâ; & huius pacti longè alia ratio est: vel ita conuenit, quòd si ad diem pecunia soluta non sit, emptionis iure, pignus creditor possideat, iusto pretio æstimandum; & hoc casu post diem non est integrum debitori offerre pecuniam, quia extitit conditio emptionis, cùm non solverit; & tunc offerendo nihil agit *l. si fundus §. vltim. D. de leg. commiss.* hoc vltimum exterminare pignore, non primum cupimus pactum.

L. 1. & l. 2. C. de pact. pignor. bellum indicere non possunt, quia in *d. l. 1.* pasciscitur creditor de distrahendo pignore, iure communi, quod quidem nõ est hypothecam dominio illius cedere. Deindè venditio solo consensu perficitur, cessio autem traditione, & hæc dum non intervenit, in- 54 55

 tegrum

tegrum est debitori offerre pecuniam, nec cogitur cedere. *In d.l.* I tandē de cessione est casus. *Lex* 2. de pactione iustâ ratiocinatur, quia evictionis nomine emptori datur, vt evitet evictionem venditor: legitima ergò causa movet, vt si prima res empta evincatur, pignus illius loco cedat.

55 Superest nunc interpretandus textus *in d.l.* I. D. *de pign. action.* vbi pignus & solâ conventione sinè traditione constitui posse habetur. Adverto pignus, quod pacto constituitur, dici propriè hypothecam, & quamvis civilis actio non nascatur ex pacto, excipitur quod iure civili, vel honorario confirmatum est *l. si tibi* §. I. D. *de pact.* sic intelligitur textus *in l. maior* 23. *C. de pignor.* in illis verbis *cum hoc solum pactū vel iurisdictio secundum ipsius voluntatem tueatur,* quasi diceret (authore CVIACIO. *in l.* I. *C. de pign. actio.*) pactum de pignore, non vi suâ, sed ex iurisdictione, idest, edicto Prætoris obligationem parit. Luce item donatur *l. pignoris* 18. *C. de pignor.* quæ pro pignore concedit persecutionem in rem, intelligo de pignore, & hypothecâ: & scitum est pro hypothecâ dari actionem pignoratitiam, quæ est in rem *l. pignoris* 17. D. *de pignor.* vndè pignus ab hypothecâ distinctum definitur à IACOB. CVIAC. *Contractus, quo quid creditori obligatur, translatâ possessione, vt in eâ causâ sit quoad debitum exolvatur.* Egit etiam de differentiâ inter vtrumq; ANT FAB. *de error. decad.* 9. *error.* 6. Pignus denique contractus est *l. contractus* 23. D. *de regul. iur.* hypotheca verò pactum, de quâ etiam sumendus textus *in l.* 2. *C. si vnus ex pluribus, & l. si fundus* 16. §. *si plures* D. *de pignor.* ex quo venit, pignus proprium depositum dici *in l. servus eiusdem* D. *de condict. in deb.* quod, inquam, re constituitur iuxtà IVLIVM PAVLVM *lib.* 2. *sent. tit.* 4. *de commodat. & pignore deposito,* & eodem modo textus *in l. præsenti* D. *de pignorat. actio.* vndè IVVENAL. *lancibus oppositis,* idest, pignori datis, & TVRNEB. *adversar. lib.* 24. *cap.* 14. *in pignoribus capiendis* idest, deponendis, *interdum supellex concidebatur, interdum diripiebatur.*

56 In tutis iam est INNOCENTI III. primus versiculus, qui

iusti-

iustitiæ oppidò simul, & æquitatis amator Imperatoris vestigijs inhærens antiquas etiam ipse creditorum captiosas pactiones relegare ad oblivionis pontum primò maluit, vt nulla esset in opere huius capitis difficultas: improbat commissoriam; & supradicta omnia in scrinio pectoris gestans dat legem iusti, & æqui vindicem; & sine metu affectionis, vt adversa pelleret in casu sibi proposito adhuc propria litigantium nomina silentio involvit, appositis pro distinctione literis *R.* & *G.* quod in iure canonico continuò alij observant Pontifices. (Omnis affectus calor est, inquit, TERTVLIAN. *de pall. lib. 1. cap. 4.* inutilis ad rectè iudicandum.) Huius consuetudinis ab aliquibus locis derivatæ meminit ANT. FAB. *in Papinia. tit. 1. de iust. & iur. confut. 5. illat. 7.* ibi: *Probarem potiùs quod quibusdam locis observari audio, vt ipsis etiam litigatorum nominibus circunscriptis, sic iudicanda lis iudici proponeretur, quasi esset inter A. & B. non inter Titium, & Sempronium, ne quicquam posset occurrere, quod iudicis animum ab alio, quàm rationis impetu in hanc, aut illam partem moveret.* Nec immeritò, nam aliquando amor, aut odium sine causâ, vel oculis, vel auribus obiicitur. Hinc MARTIAL. *ad Sabidum lib. 1. epigram. 31.* scripsit.

Non amo te, Sabidi, nec possum dicere quarè,
Hoc tantùm possum dicere, non amo te.

Et CATVLLVS:

Odi, & amo, quarè id faciam fortaßè requiris:
Nescio, sed fieri sentio, & excrutior.

Elegantèr BAP. MANT. *eglog. 8.*

Sunt quibus infensi sine causâ & crimine Dij sint.

Adhuc in iure diversa hæc sunt, *vòlo, nolo, non volo.* Differit MENOCH. *de arbitr. lib. 2. cent. 5. casu 496.* per totum. Fortè ob hanc causam nomina rerum dicuntur organa, in quibus secretiùs aliquid est.

Addit sequens versiculus calcaria spontè currenti, vt 57
dicebat PLIN *lib. 1. epist. ad Pompe. Satur.* & vt ipse *in epist. Sosio Senecioni*; iuvat me quòd vigent studia, proferunt se ingenia hominum, & ostentant. Ergò progrediamur. Sed ne

reprehensione dignum sit, materiam iuramenti sicco, *vt aiunt*, pede transire, antequàm ad computationem fructuū fiat transitus, examinemus selectiora, & vtiliora: prævaricatio enim est transire dicenda, & prævaricatio etiam, cursim & nimis breviter attingere, quæ sint inculcanda, infigenda, repetenda; idem PLINIVS *epist. ad Cornel. Tacit.*

VERSICVLVS II.

ibi... *PACTO TALI VEL IVRAMENTO NEQVAQVAM OBSTANTE.*

58 Esignat INNOCENTIVS III. his verbis sensū conclusionis sequētis, quæ latet in versiculo. *Non valet pactū legis cōmissoriæ pro mutuo in pignore etiam iuramento vallatū.* Pro nervis defendūt, & exornant ABBAS PANOR. *in d. c. significante, n. 4.* IOAN. ANDR *in addit ad specula. tit. de renunt.* 1. IOAN. FAB. *in l. vltim. C. de pact. pignor.* ALVERIC. *in rubric. eod. tit.* TIRAQVEL. *de retract. convent. ad finem tit. n.* 121. COVAR. *in relec. cap. quamvis pactum de pact. in 6. p. 2. §. 3. n.* 5. Sequitur BARTOL *in l si quis pro eo D. de fideiuss. n.* 10. GVTIER. *de iuram. confirm. 1. p. cap.* 33. MORLA *in empor. iur. p.* 1. *tit.* 9. *q.* 15. *n.* 7. LESSIVS *de iust. & iur. lib. 2. cap. 27. dubit* 1. ANT. FAB. *in suo Cod. lib. 8. tit. 22. defin* 1. *in fine*, RODRIG. *de annuis reddit. lib. 2. q. 2. n.* 34. GVID. PAP. *decis. 6.* IOAN. BAPT. LVP. *in tract. de vsur. in comm.* 2. *& præfat. n.* 14. ALEX. TRENTAC. *variar. resolut. lib. 3. resol.* 11 *n.* 6. GASP. HERMOS. *tom.* 2. *Gloss.* 1. 2 3. 4. 5. *l.* 41. *tit.* 5 *partit.* 5. *n* 19. *fol* 192. SVRD. *decis.* 248. *n.* 21. ANT. FAB. *de error. pragmat. decad.* 21. *error.* 8 *n* 1. Sed hæc sunt exploranda, vt pellucida Pontificis verba, & recta propriæ illius mentis delineamenta, dignè etsi breviter, tractentur.

59 Incipit scrutinium, & prima dubitandi ratio ab ipsius INNOCENTI. verbis non iniustè venatur. Ingruit iam, & non parsimonia difficultatis, dum à periurij notâ R. liberum cu-

rat Pontifex reddere debitorem, quia iuramenti vinculum satiùs quantum in se fuit, adimplevit. Sagitta, hinc contra nos demittitur, & sic elicitur argumentum. Periurum fore R, infertur, si staret per ipsũ quominus solveret, ergò irrito fundamine conclusionis, inevitabili fato valuisse etiam iuramentum colligitur, & consequentèr pactum legis commissoriæ in pignoribus adeò illicitum non inveniri, vt firmari iuramento nequeat. Vegetatur difficultas cùm à posteriori probetur iuramentum non valiturum, si omninò pactum non liceret, *c. Quintavalis c. quanto* 18, *c. ad nostrã* 21. *de iur. iur. c. si diligenti in fine de for. compet.* facit *c. dilecti* 12. *de maior & obedie c. non sine* 2. *de arbitr. c. constitutus* 4. *de transactio. c. olim* 26. *de accusation.* Iuramentum enim sequitur naturam actus, cui adhæret *l. si quis pro eo D. de fideiussor. l. si quis inquilinos* 112. *§ vltim D. de legat.* 1. *l. fin. C. de non numer. pecun.* & si pactum non liceat, iuramento accedente, nec iustitiam, nec veritatem habebit, nec iudicium, quæ qualitates tres illæ sunt, quas requirit IEREM. *cap.* 4. ibi: *Et iurabis, vivit Dominus in veritate, & in iudicio, & in iustitia, c. animadvertendum* 22. *q.* 2. iuncto D. THOM. 2. 2. *q.* 89. *arti.* 3. SOTO *lib.* 8. *de iust. & iur. q.* 1. *art.* 3. SVAREZ *lib.* 1 *de iuramento cap.* 3. FILLVCIO *tract.* 25. *cap.* 2. *q.* 3. *n.* 26. & SANCHEZ *lib.* 3. *moral. cap.* 4. & MACHADO novissimè *Perfect. confess. lib.* 2 *p.* 3 *tract.* 8. *docu.* 8. *n.* 3. qui plures laudat.

His etiam dant condimentum textus *in c.* 1. *& c. debitores de iur. iur.* notissima iura, quæ conventionem de præstandis vsuris, iuramento confirmari decernunt, & si vsura prohibita iure divino reperiatur *c. quia omnibus, c. super eo de vsuris c. si quis* 4 14. *q.* 4. *c.* 1. *cum sequenti* 14. *q.* 3. *& Lucæ* 6. *mutuum date nihil indè sperantes* Quod quidem præceptum esse fatetur communis Theologorum schola cum D THOM 2. 2. *q.* 78. *art* 1. *ad* 4. *& sub Leone X.* stabilitum in Concilio Lateranensi testatur AZPILCVETA *in tract. de vsur. notabil.* 5. *n.* 7. Facit etiam D. BERNARD. *lib. de Tobia, cap.* 15. ibi: *Generaliter hac sententia Dei omne sortis excludit augmentum.* Faciunt ea, quæ affert ALPHON. DE CASTR. *lib.* 60

14. *ad vers. hæreses verb. vsura.* Vndè cavendum est à Hermano Meirer. *tract. de pignor. & hypothec. lib. 1. tit. 7. n. 7. & 8.* quem reprehendit Carlebal. *de iudic. tom. 1. disp. 3. n. 12.* admittente vsuram aliquam in mutuo. Ergò idem de pactione legis commissoriæ in pignore licebit asserere; & iuvat, quòd ratio obligationem principaliter irritans eadem deberet irritare iuramentum, quia secundariò ex improbitate non quæritur actio *l. itaque fullo D. de furt. iunctâ l. pacta quæ contra C de pact.* Ergò vel pactum iuramento firmatur, vel neutrum tenet.

61 Vt hæc radicitùs percipiantur, & quæ in hâc secundâ periodo dixerimus, sine periculo contrarietatis prodeant, assertum sic bipartiri oportet. In hoc *cap. significante* valet iuramentum, at legis commissoriæ pactio non cõfirmatur: quam divisionem subticere iniustum esset, cùm non illussoria & vana, sed perillustris distinctio sit inter diversa: advertit Lessivs *de iust. & iur. lib. 2. cap. 17. dub. 7. n. 50.* & Basil. Legion *lib. 12 de matrim. cap. 8. n. 3.* contrarium existimantes acritèr reprehendit præmens vestigia Gabriel. Vazqvez. Eadem observo *in c 1. & c. debitores de iur. iur.*

62 Huius discriminis varias regulas, & rationes Doctores excogitant, vt bella, & difficultatum clades eorum iudicio cedant; & maghetis instar propriâ ingenij virtute vnusquisque ad se trahere alterius mentem & assensum cupit. Covar *in c. quamvis pactum. de pact in 6. §. 3.* statuit, contractu prohibito à lege in odium creditoris, iuramentum subsistere, contractum non confirmari, & hâc ratione vicariâ, infert iuramentum de præstandis vsuris valere, contractum tamen non convalescere, quià prava vsurarum perceptio resistitur à lege: iuramentum verò illicitum ex parte illius, cui præstatur, & non illius, qui emittit, contractus firmitatẽ non respicere, ideoque valere. Lessivs vbi nuper aliter incedit: nam vel iuramentum venit servandum ob honorem Divini Numinis: & creditori, inquit, non parit actionẽ, tunc tenet, sed non contractus, adhuc enim apud Ethnicos Ro-

manos primum militiæ, vinculum sacramenti religionem putarunt nunquàm contemnendã: observat AVL. GEL. *lib. 7. noct. attica.* nam vt TERTVL. reprehendens dixit *lib. de idol. quis per quos deierat non honorat?* in ipsâ etiam Deorum congregatione periurij pœnas invenit SATIVS

& styx periura Divum
arguit.

Imò in superstitione illâ veterum, iuramenti violatores corporis parte mutilari, debilitarique, adnimadvertit LEVIN. TORTENS ad illud HORATI *ode.* 8.

vlla si iuris tibi peierati
pœna, Barine nocuisset vnquàm
dente si nigro fieres, vel vno
turpior vngui
crederem.

A sententiâ dùm liberat meretrices iuxtà illud TIBVLLI

Periura ridet amantum
Iupiter & ventos irrita ferre iubet.

Supponit in alios iram. Vel non solũ, prosequitur LÆSSIVS, in se servari decet, sed alteri contrahentium ius tribuit, tunc iuramentum, & contractus amicantur. BARTOL. *in d. l. si quis pro eo* decem regulas constituit, quæ eò tendunt, vt distingui omninò debeat, & publica, & privata vtilitas, vt prima nullum, secunda validum actum reddat *c. si diligenti de for. comp.* LAIMAN. *in suo opere Theolog. mor. lib. 4. tract. 3. cap. 6. n. 7.* subdistinguit, & aliter item BASIL. LEGION. *lib. 12. de matrim. §. 4. n. 36.* vtitur illâ divisione in actũ an in personã verba legis ferantur: accuratè THOM. SANCHEZ disputat, *lib. 1. de matri disp. 32 d n. 8.* STEPH. FAGVND. *de iust. & iur. lib. 1. cap. 26.* per totum, nunquàm satis gravissimam hanc quæstionem exhauriri ait, & dùm ad trutinam veritatis iterũ, atque iterum adducere constituit, bono quidem ordine omnia antecedentium refert doctrinas, sed nihil novi addit. FERDINAND. DE CASTRO PALLAO præ omnibus, quos hucusque vidi materiam iuramenti suis distinctam quæstionibus explicuit, *in suo opere morali part. 3. tract. 14. disp. 1.*

2. per totam, & punct. 9. n. 2 id circa nostram dubitationē constituit, iuramentum ex suâ naturâ vim firmandi promissionem invalidam non habere, sed id solùm, iurantem obligare DEO, cuius nomen ad roborandam promissionem assumptum est, & hinc descendit ad alia scitu dignissima, & omni iuri consona.

63 Sed inops admodum vniuscuiusque Authoris distinctio videbitur, nec altera coram alterâ crescet, vel decrescet, si rationem primariam omittimus asignare, quæ iuramentum sustinet, quin det contractui fermentum, cùm non parùm glifcat dubitatio ex eo, quia executio ipsa conventionis, materia subiecta iuramenti necessariò iudicanda est. Sumimus in hâc varietate ingeniorum, indè resolutionem, quòd in re licitâ, & non turpi ex parte iurantis vinculū sacramenti DEVM OPTIMVM MAXIMVM directò intuetur, vtpotè solùm ipsum vltorem habens, hominem verò non tàm solutioni, quàm conditioni adiectum noviter existimo. Ergò DEVM ipsum iurans debitor, observantiæ, vel meliùs dic reverentiæ timet creditorem sub eâ tacitâ conditione, si homo cui iuratur voluerit, itaque quasi conditionale iuramentum est, cuius implementum creditori nō dat actionem & sic valet, & accedente conditione, qui iuravit adstringitur DEVM veracem reddere, quem testem adhibuit, & cuius veritas manet in æternum *Psalm. 116.* quis impunè sumet nomen DEI in vanum? *Exodi 20.* aut peierabit; pollues ve nomen illius? *Levitic. 19* reddendum ergò est Domino iuramentum *Matth. 5. c. debitores de iur. iur c. & fi Christus eod. tit.* quæ observantia perpetuò interpellat, ideò iuramenti vinculum obstat præscriptioni, vt notarunt MARSI. *singul.* 141. *n.* 1. ANT BABER. *in tract. de virtut. iuram. n.* 42. CAROLVS RVIN, *consl.* 11. *n.* 6. *volum.* 1. FELIN. *in c. vlt. n.* 7. *de præscript.* SVRD. *consl.* 225. *n.* 33. *vol.* 2. nec in minimo deficiat fas est semel iuramenti invocata religio, nam individui naturam præsefert sacramentum hoc firmitatis, vtpotè veritatis, iuxtà ea, quæ BALD. *in l. fin. n.* 18. *C. de edict. div. Adrian. Tollend.* latè FARIN. *q.* 67. *c.* 4 *n.* 112.

Con-

Conditio ergò indè speratur, si creditor petierit, vt ex 64
DIV THOM. 2. 2. q. 89. art. 7. ad 3. colligit præceptor quondam meus D.D. IOAN. DE BALBOA MOGROVEJO Primarius tunc Academiæ Salmanticensis Canonum moderator ad titul. de Iur. iur. ad cap. 1. n. 113. & 115. omninò videndus, iuncto SANCHEZ tom. 2. Moral. lib. 3. de Iuram. c. 11. n. 3. conditio verò non intrat substantiam iuramenti, sed excitat ad observantiam iurantem debitorem. In contractu solus reciprocus consensus debitoris, & creditoris attenditur, licitus ex parte vnius, turpis ex parte alterius: & cùm hæc divisibilia sint; vsuras momentaneâ solutione solvere sat est in iuramenti obedientiam, vt hoc modo DEO satisfaciat debitor, ad exemplum casus cap. commissum 16. de sponsal. quo vtitur IACOB. CVIAC. in Commen. d. cap. debitores, quia non vt sit vinculum iniquitatis inspicitur, cap. ad audientiam 4. de his quæ vi. iam nihil impedit, quominus iuramento adimpleto, nulla indè sequatur pacti confirmatio, nam, vt benè SANCH. lib. 1. de Matr. disp. 32. n. 4. quandò iuramentum obligat, non tam firmat contractum, quàm eum dimittit in suâ naturâ, etsi erat invalidus, adhuc remanet, quia iuramentum tunc temporis nullum vinculum addit contractui, sed solùm obligat in ordine ad DEVM, vt testis verissimus sit.

Triplex deindè respectus consideratur, alius ad DEVM, 65
alius ad creditorē, ad debitorem alius obligatū illud Domino reddere, quæ obligatio, & debitio cū iuramēto sic manitātur, vt separari, nec valeant, nec fas sit. Huc respexit textus in cap. si verò de Iur. iur. & in cap. verum eodem tit. periurium enim quem non deterret? S. CHRISOSTOM. Hom. 12. in actu Apost. Tempestivum, inquit, fuerit & hodie ex lege ostendere periurij gravitatem. Falx volans erat latâ cubitis decem, quod volat manifestat pœnæ celeberrimum adventum iuramentis affatura: quod autem cubitorum decem latitudine, ac longitudine, vehementiam, ac magnitudinem signat malorum, quod autem à Cœlo, signum est sententiam in Cœlo ferri indicio. Periurium vnam esse de causis propter quas

plectitur, & torquetur tot pœnis vniversus Orbis, suspicatur MAIOL. *Dier. canicul. fol.* 521. Ideò olim Romani per lapidem proiectum in terram periurium detestabantur his verbis, *Si sciens fallo, tum me Diespiter, salvâ vrbe, reiiciat, vt ego hunc lapidem abiicio*. NVMA POMPILIVS dextram manuum nominari voluit sacrosanctum membrum, quo ius iurandum, pietas, & fides confirmatur, ne vnquam periurio macularetur. ALEX. AB ALEX. *lib.* 5. *Dier. genial. cap.* 10. esse in Sardiniâ aquarum scaturigines scribit, in quibus periuros immersos cæcitate admissum facinus luere. Fides quippè sub iuramento promissa pupillam oculi tangit, ideò fortè olim per oculos iuratum est, TIBVL. *lib.* 1. *eleg.* 7.

Etsi perque suos fallax iuravit ocelos.

Sæculi etiam leges periuros infames pronuntiant *l. si quis maior C. de transact.* iuncto *cap. infames* 6 *q.* 1 bona amittũt *l.* 1 *tit.* 6 *lib.* 8 *ordinam.* COVAR. *de Pact.* 1. *p.* § 7. *n.* 4. *in fine.* Iure Canonico, pœna illius, qui falsus est, repulsa à testificando est *cap. quicunque* 6. *q.* 1. *cap. non potest* 2. *q.* 7. *cap. testimonium de testib.* tribus fit testis periurio obnoxius: DEO, Iudici, & parti *cap.* 1. *de crimine falsi*: & quod mirabilius est, periurus semel, quantumcunque pœniteat, à testimonio in omni causâ reppellitur *cap. testimonium* 54. *de testib. & attesta.* nec tali crimine infamatus purgat se vt in genuus *c.* 1. *de purgat. canon.* rectè *in omni causâ*, nunquam enim testem sine iuramento recipiet iudex: ideò olim appellati sunt iuratores: explicat LIPSIVS *lib.* 2. *Epistolar. epist.* 24. SENECAM dum emendat ex PLAVTI *Pœnulo*, ibi: *Vos iuratores estis, quæso operam date.* Cur igitur iuret sæpius, qui semel peierat, cùm non facilè cesset canis corium rodere, vbi incepit.

66 Consonat superiori doctrinæ DIV. THOM. 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *ad* 3. quâ iuvatur GVTIER. *de Iuram. confir.* 1. *p. cap.* 57. *n.* 20. in explicatione quæstionis *l. qui in carcerẽ* D. *de eo quod met. caus.* asserit Angelicus Doctor, ex iuramento exacto per metum, duplicem oriri obligationem, & respectu hominis, cui iuratur, quæ omninò tollitur in odium coactionis,

&

& respectu Dei; vt impleat quod iuravit vim patiens, dummodò habeat animum se obligandi, argumento *cap. significasti 16. de homic.* iuncto Felin. *in cap. si vero n. 8 de Iur. iurand.*

Vt solenniter iam dubitatio funeretur, observamus multum interesse, an contractus confirmetur, vel non, quia si ex iuramenti valore metiendus esset pacti, seu contractus valor, nulla contra Danistam creditorem possibilis repetitio vsurarum inveniretur, vt notat Covar. vbi supra *n. 4* argumento *Authent. sacramenta puberũ C. si advers. vendit. c. quamvis pactum de pact. in 6.* Fachin. *lib. 3. Controver. c. 11.* Thom. Sanch. *lib. 3. Moral. c. 12. n. 11.* Cald. Pereir. *in l. si curatorem habens C. de in integr. rest. l. 10. tit. 11. p. 3.* nos rationem eam esse suspicamur, quia tunc reciprocarentur consensus debitoris, & creditoris, nec posset dissolvi contractus, nisi mutuò ambo distraherent, sicuti nec potuit claudicare à principio celebratio conventionis; & valet argumentum de contractu ad distractum *l. Pomponius §. præterea D. de acquir. possess. cap. de illis el primero in principio de spons. impub. cap. vnico §. idem quoque eodem tit. in 6.* At in iuramento mediat Devs sub illâ conditione *si creditor petierit*, nec alij acquiritur actio nisi Deo: vt probat Basil. *lib. 12. de Matr. § 1. n. 5.* & Svar. *lib. 2. de Iura, cap. 29. n. 23.* Sanchez *lib. 3. cap. 12. n. 3.* & Cviac. *ad cap debitores de iur. iur.* & addit, non cogi ibi à creditore debitorem, sed à religione iurisiurandi, & à conscientiâ propriâ. 67

Hæc à recto tramite deviare aliquis dicet, & dubitationem denuò pericula fundere, cùm Adiecto remittere obligationẽ, aut petere nõ liceat: quamvis ei solvi possit *l. quod stipulatus 10. D. de solut. l. cum quis 55. D. de ver. oblig. l. si mihi 23. D. de fideiusso.* rursus adiectus quis dicitur, quãdo principalis creditor sibi, vel alijs stipulatur *l. qui ita §. qui sibi, aut filio D. de verb. oblig.* sed creditor vsurarius remittere, & cogere debitorem valet, imò cogendus est creditor ne petat; vt sic liberetur debitor *cap. 1. de Iur. iur.* ibi: *Ecclesiastica districtione rogaris*, in quo articulo videndi sunt 68

COVAR. 1. *variar. cap.* 4. *n.* 5. ABBAS *in cap.* 2. *n.* 3. *de Iur. iur.* FELIN *in d. cap.* 1. GREGOR LOPEZ *in l. fin. verbo que la fizo tit.* 11. *p.* 3. AFFLICT. *decis.* 236. *n.* 3. MOLIN. *tom.* 1. *de Iust. & iur. tract.* 2. *disp.* 149. SANCHEZ *lib.* 1. *de Matr. disp.* 32. *n.* 18. Ergò non tam adiectus solutioni, quàm principalis erit creditor, cui nascatur actio: & difficillimum videtur, illum ad relaxandum inducere invitum, mediâ districtione canonicâ & actionē illi denegare. Quo argumento victus CALD. PEREIR *in comment. ad typum de empt. & vendit. cap.* 29. *n.* 40. & 41. dat actionem creditori, & doctus alioqui interpres nihil subtilitatis egit. Omisso ergò & COVARRVBIA *vbi supra* statuente adiectum solutioni ad propriam vtilitatem posse debitum remittere, existimo creditorem non tam propriè solutioni, quàm conditioni adiectum dici debere (& si aliquantulùm largè loquamur) id est, iuramentum tendere in DEVM, adiecto homine creditore, vt faciat in sui commodum conditionem: vult enim DEVS *si creditor petierit*: non iure, sed de facto: quâ suppositione, exigua redditur difficultas, quæ magna putabatur, collata quippè est cōditio in potestatem hominis creditoris, & cùm enerva reddatur obligatio, fallente conditione, si homo non petit, DEVS hominem debitorem non cogit, vt reddat illi iuramentum.

69 Missum facimus de relaxatione tractatum, & quæ diffusè de iuramento disceptant DD. in *c. cum contingat*, & in *c.* 1. *de Iur. iur.* quia diutius immorari in præsenti, abs re esset, cùm nobis nunc in voto solùm sit, scire, pactum legis commissoriæ in hoc *c. significante* 7. seu legem commissoriam (sic enim dicendum mavult ANT. FAB. *de Error. prag. decad* 21. *error.* 1. *n.* 41.) non firmari iuramento, etsi iuramentum per se subsistere probaverimus. Non omnia in qualibet tractatione percurrere lemmata licet, sed genuina vnico depingere penicillo: omnia dicere in qualibet re necessaria illius rei, oportunum est, & vtile, sed omnia omniū rerum velle semper discutere, tenebras simulat, & similis commentatio solidum caliginis corpus assumit: brevis & con-

continua disputatio, aliarum, quæ cócinunt dioptra esse debet, non asservus. Tantũ id, & obviter advertere lubet, relaxationem creditoris non inducere propriæ relaxationis nomen; duntaxat remissio est hominis, qui dominus materiæ promissæ invenitur. Hinc est, non indigere creditorem iustâ causâ: aliter Pontifex, qui non tanquam dominus materiæ promissæ, sed vt œconomus, & Vicarius Dei relaxat. Plura disputat Fagundes *de Iust & iur. lib. 1 cap. 27. per totum & cap. 26.* Theologorum, & Canonistarum discursus cumulavit eleganter Castr. Pallao *in suo opere morali part. 3. tract. 14. disp. 3. punct. 2. 3. 4. 5. 6.*

Eget nunc explicatione textus *in c. tuas 13. de vsuris,* qui non de solvendis, sed de non repetendis acreditore vsuris sub iuramento debitoris continet casum: ergò iuramentum confirmat acquisitionẽ in favorem vsurarij, cùm necessariò, vel non repetere, vel censurâ ecclesiasticâ debeat illum debitor cogere ab vsurarum exactione desistere. Quid est? quod prava Danistæ actio, & ius retinendi, seu iniuria vinculo sacramenti iuvetur? *Cum fæneratorium sacramentum dicatur, vbi paratur periurium,* inquit Div. Bernard. *lib. de Tobiâ. c. 15.* Familiaria etiam sunt huic difficultati iura *in c. ad nostram 20. de Iur. iura. c. ad audientiam 4. de his quæ vi,* à contrario sensu. 70

Ponendum pro satisfactione est, vsurarum repetitionem habere se ex parte debitoris, cui propter bonum proprium, & vrgentem necessitatem id promittere licet, etsi alter, cui promittit homo egestate illius abutatur *c. movet 22. q. 1.* San. Thom. *2. 2 q. 98. art. 4. ad 4.* plura refert Sanchez *lib. 3. Summæ cap. 8. à n. 11.* circa necessitatem debitoris petentis mutuum sub vsuris, & facit textus *in c. petitio 31. de iur. iur.* adhuc enim vsurario nulla oritur obligatio iustitiæ, vt retineat: ita idem Sanch. *lib. 1. de Matr. disp. 32. n. 7.* Nec congrua aliqua distinctio excogitabitur inter iuramentum de solvendis, & de non repetendis vsuris, cùm vtrumque habeat se ex parte debitoris; non repetere, nil aliud est quam continuò dare: & quemadmodum ad roga- 71

repetendum retentio necessariò sequitur, ad solvendum receptio quærenda est: in alio tamen differunt, quòd solutis vsuris, remanet causa in terminis communibus, ac si debitor non iurasset, at in iuramento de non repetendis, necessaria est omninò relaxatio, notat GVTIER. *de Iur. conf.* 1. *p. cap.* 53. *n.* 7. 9. *&* 10. tunc ex officio potest Episcopus ad restitutionem cogere creditorem, ne iniustè vexetur. Videndi sunt SVAR. *lib.* 2. *de Iuram. cap.* 41. *n.* 6. *&* 7. ARAGON. 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *circa solutionem ad* 3. MOLINA *de Iust. & iur. tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 149, CAST. PALLAO *in suo opere moral. par.* 3, *tract.* 14. *disp.* 3. *punct.* 3. faciunt ad supradicta quæ scripsit FAGVND. *de Iust. & iur. lib.* 1. *cap.* 27. *à n.* 2. & præcipuè *n.* 6. vbi constituit iurantem posse petere relaxationē, quoties creditor pro foro conscientiæ, vel propter impedimentum legis, retinere rem iuratam, iure non potest. LÆSS. *de Iust. & iur. lib.* 2. *cap.* 26. *n.* 27. TOLET. *lib.* 5. *Summæ cap.* 27.

72 Non obstat celebris locus DIV. THOM. 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *ad* 3. ibi: *Potest autem repetere in iudicio quod solvit, vel Prælato denuntiare, non obstante quod contrarium iuraverit.* Nā particula illa *non obstante* ad posteriorem partem referenda est, vt sensus sit quamvis iuraverit non denuntiare, permittitur denuntiare: sequor SANCH. *lib.* 3. *Summæ cap.* 11. *n.* 11. & GVTIER. *de Iuram. confirm. lib.* 1. *cap.* 53. *n.* 10. qui iuramentum de non denuntiando, nullum dicit, vtpote contra doctrinam Evangelij, *c. si peccaverit* 2. *q.* 1. sicut & qui iurat non dicere testimonium *c. intimavit* 18. *c. constitutus* 45. in principio *de testib. & atestat.* cui annectitur & illud iuramētum, scilicet de non petendâ absolutione, vel relaxatione non subsistere, quoties melius est petere, FELIN. *in c. constitutum* 4. *de rescrip. & in c.* 2. *de sponsal, col.* 5. tutius id sanari poterit, in sententiâ COVAR. *in c. quamvis pactum, de pact. in* 6. *p.* 2. §. 3. *n.* 3. si ab hoc iuramento de absolutione nō petendâ, petatur absolutio. Plura sunt, in quibus iuramentum non admittitur, nec impedit. *c. dilecti* 13. *de Maior. & obedient. c. solicitæ de Restit. spoliat. c. de iis quæ fiu. à maior. part.*

Capit.

Capit. c. per tuas 5. de Donat. c. pervenit 4. de T estib. cog. c. venerabilis fin. eodem tit. c. ex diligenti 17. de Simon.

Antequam hinc abeamus, ne dum brevitati consulimus, oblivionis instimulemur, quasi in indice, legum, & capitum, quæ huc etiam spectant interpretationes magis receptas dare libet, vt possit versiculus hic de iuramento facilius ad sui intelligentiam contrariorum necessariam notitiam continere. Summa tãtum capita decutemus. Sequẽtia ergò certissima iudico. Iuramentum de re illicitâ ex se evanescere *c. constitutis 45. in princip. §. illo. de testib.* nam à principio, vt non se se iugulet illius promuntiatio, non turpis, sed quæ sinè peccato, & sinè salutis animæ dispẽdio adimpleri possit debet esse promissio, ars enim rectæ legis, & gubernatio est, quòd iuramentum non sit iniquitatis vinculum, sed tutum ex officinâ iustitiæ præsidium adversus iniuriam licita pacta non servantium *c. quanto c. si vero, c. cũ contingat de Iur. iur. c. non est obligatorium de Regul. iur. in 6.* & per totam 22. *q. 4.* Quæ movent communiter dubitationem afferuntur, & breviter diluuntur, vt iuvent & nova & vetusta. 73

Levitic. 5 habetur *Anima quæ iuraverit & protulerit labijs suis, vt vel malè quid fecerit, vel bènè, & id ipsum iuramento, & sermone adfirmaverit oblitaque postea intellexerit delictum suum agat pœnitentiam de peccato suo.* Id interpretatur SVAREZ *lib. 1. de Iuram. cap. 4.* de peccato in sacramento commisso, sive in formâ iurãdi, sive in defectu implementi peccatum sit, ac si diceret, cùm intellexerit delictum suum, vel quia rem illicitam iuris iurandi religione promissit, vel licitam vinculo iuramenti stipulatam non adimplevit, agat pœnitentiã de peccato suo: iustum enim sibi iudicium criminale meruit, qui vel rem non implebilem iurat, vel iure & iustitiâ possibilem negat. BASIL. LEGIONENS *lib. 12. de Matr. s. 2. n. 10.* intelligit non de malo culpæ, sed de malo pœnæ. V. C. dum quis affligere aliquem, licitè, vel se per castigationem corporis iuravit. Est etiam hæc solutio Abulensis, CYRILLI, & OLEASTRI, quos ommissa 74

inter-

interpretatione LYRÆ: sequitur FAGVNDEZ *in Præcept. decalog. tom. 1 lib. 2 cap. 14. n. 2.*

75 ESDRÆ *lib. 1. cap. 10.* illud de proiiciendis vxoribus alienigenis sub iuramento, quod violare naturalem legem de alendis liberis, & matrimonij indissolubilem consensum animorum videtur, licitum fuit, & iustum, quia ex iussione DEI. BASIL. *ubi supra n. 12.* & quod attinet ad filios, nihil ibi esse contra leges invenit, cùm dimissi fuerint sub curâ matrum, vndè argumentum desumit ad confirmandam iustitiam decreti illius PHILIPPI III. Regis nostri Catholici, & Christianissimi, cuius memoria semper in amore, & veneratione est, cùm maurorum colluviem perfidam vna cum filijs ex omni suâ ditione expulsit. Facit ad eandem ESDRÆ loci intelligentiam DIV. AVGVST. *lib. 1. de Adulterin. coniug.* ibi: *Quas duxerant, Domino prohibente, Domino iubente, dimisserunt.* Deindè pelliciebant vxores illæ alienigenæ maritos ad idololatriam, quo casu licitū est dimittere, vt docet PAVL. 2. *Corinth. 6. &* 1. *Corinth. 7.* & habetur *in c. gaudemus de Divort.*

76 Quod legitur *in c. innocens §. aliquando 22. q. 4.* ex DIV. AVGVST. ibi: *Quod quamvis illicitum sit, quia iustitia sibi probatur deesse, tamen authoritate Augustini servari præcipitur.* Intelligo de iuramento observando, post matrimonium contractum: votum ergò ibi simplex castitatis non cum iuramento directè dimicat, sed cum matrimonio cōtracto, quod potuit impedire, sed non valuit dirimere; deest igitur illi iustitia, quia non fuit sinè peccato contractū, sed contractum tenuit: videdus COVAR. *in c. quamvis pactū de pact. in 6. 1. p. §. 6. n. 19.* LEDESMA *in Summa 2. p. tract. 11. cap. 3.*

77 Textus *in c iuravit 22. q. 4.* facilè enodatur: nam ibi transgressio DAVIDIS damnatur, quia originem habuit à malo, non quia illicitum, & turpe fuerit, non observare iuramentum de occidendo. SVAR. *tom. 2. de Religion. cap. 19. n. 16.* nec novum, aliquando furorem gravi iuramenti amictu velari, & causâ cognitâ satius inveniri sacramenti implemen-

mentum de occidendo SVAR. *tom. 2. de Religion. cap. 16. n. 16.* nec novum aliquando furorem gravi iuramenti amictu velari, & causâ cognitâ satiùs inveniri sacramenti implemẽtum effugere, quàm indignam facti speciem promissam admittere, ergò transgressio iuramenti à malo tunc originem petit, id est à promissione improbâ.

Caput innocens 22. *q.* 4. specimen illiciti iuramenti non habet, nam fœdus cum Gabaonitis ad veram Religionem redeuntibus inire potuit dux IOSVE, cum præceptum DEI ad occisionem, & occasum illorum, qui in legem DEI transirent non extenderetur; & cùm se inobedientes non esse suâ oratione profiterentur, rectè iuravit IOSVE, & licet, deprehensâ fraude Gabaonitarum, re verâ non teneretur stare promissis, & fœderi, adhuc ne dum alienam perfidiam redargueret, fidem suam solvere videretur, servavit in dubio iuramenti vinculum: ita SVAREZ *de Religion. lib.* 3 *de Iuram. cap.* 16. BASIL. *lib.* 12. *de Matr.* §. 2. *n.* 16. quibus addere velle quidquam, esset supervacuis laborare impẽsis, sicut ille, qui solem certaret facibus illustrare, ex ANACLETO sumpsit textus in *c. si omnia* 6. *q.* 1. 78

Textus in *c. licet mulieres de Iur. iur. in* 6. respicit ad bonum privatum mulieris, & prohibitionem, cuius trangressione non inducitur culpa, & prorsus in tali casu dignum est observatione iuramentum, videndus GVTIER. *de Iuram. cõfirm.* 1. *p. cap.* 1. *n.* 110. tredecim recopilavit casus sub eadẽ interpretatione LAIMAN *in suo opere Theolog. moral. lib.* 4. *tract.* 3. *c.* 6. *n.* 7. simillitèr intelligo textum *in c. quamvis pactum de pact. in* 6. *cap. suis quæstionibus de testibus c. conquæstus de ferijs. c. cum contingat. de Iur. iur. Authent. sacramenta puberum C. si advers. vendit* cui annectẽdus CASTROPALAO *in opere moral.* 3. *p. tract.* 14. *disp.* 2. *punct.* 9. §. 2. secus si obstaret publica vtilitas, & executio talium actuum peccatum eluderet; quò spectat textus in *c. contingit* 36. *de sentent. excomm. c.* 16. *Consilij Trident. sess.* 25. *de Regular. c. Oduard. de solut. l. alia* §. *eleganter D. eod. tit. l. Patronus D. de re iudic. cap. significasti c. si diligenti. de for. comp.* nunquam enim proficua 79

O &

& vtilia haberi valent ea , in quibus à recto tramite noscitur actus hominis deviare.

80 *L. si ob turpem causam* 8. D. *de condict. ob turp. caus.* vbi quasi acutissimis aculeis huius materiæ vestimentum perforari videtur , cùm Iureconsultus det promissori exceptionem instar clypei , quæ necessariò supponit actionem instar sagittæ ab obligatione demissæ l. 2. D. *de except.* penè omnes veritatis civilis indagatores intelligunt de turpitudine, quæ non intrat contractus substantiam, qualis econtra est illa, de quâ textus in *l. generaliter* 26. D. *de verbor. obligat.* facit ad exemplum, si quis promittat homicidium absolutè, vel pecuniam exposcit, vt consummat maleficium: primo casu, læditur actus substantia, non verò secundo, quia turpitudo causæ extra est; nec adversatur textus in *l. iuris gentiũ* 7. § *si ob maleficium* D. *de pact.* quia de nullitate obligationis quoad effectũ scribit Consultus, cùm, exceptione oppositâ, vel actione deficiente, non tam simile, quàm idem sit, quod sequitur in favorem promissoris.

81 Textus in *c. de illis de Condit. appposit.* continet promissum ratione matrimonij, quatenus matrimonium contractus est ad onera ipsius supportanda *c. salubriter. de vsur.* non ergò de matrimonio vt sacramento promissio mentionem facit , ne illicitũ haberetur iuramentum : & iurans teneretur agere pœnitentiam *c. ad audientiam* 4. *de sponsf. & matrim.* Circa explicationem *Levit. cap. vltim.* iuncto *cap.* 20. item de iuramenti, quod tendit in peccatum veniale, cuius ea malitia non est, vt ad interitum ducat salutis æternæ, quia non dissolvit amicitiam cum Deo: videndus Fagvnd. *in Praecept. decalog. tom.* 1 *lib.* 2. *cap.* 14. qui verius esse asseverat, peccata etiam venialia vergere in interitũ salutis æternæ, quatenus disponunt ad mortale, vt sic absoluta sit ratio textus *in c. si vero, & c. cum contingat. de Iur. iur.*

82 Ex hucvsque recensitis fluit, iuramentum de re illicitâ nullâ egere relaxatione , nam nullum nihil operatur : nec nobiscum certat textus *in c. cum quidam* § *illi vero de Iur. iura.* ibi : *Absolvendi sunt ab illius observantiâ iuramenti*

omnes

omnes enim fatentur prædicta verba de declaratione nullitatis iuramenti sumenda esse,& relaxationem ibi pro absolutione declaratoriâ, quâ liber à iuramenti vinculo iurãs redditur. aliàs ex eodem fonte retundẽdum veniret argumentum,nam quid relaxabitur si illicitum & nullum ? nemo est,qui nõ videat redargutionem tenere. Similis intelligentiæ est textus in *c.audivimus* 24.*q*.1. sequitur SANCH. *lib*.3.*Summa cap*.7.*n*.11. SVAREZ *tom*.2.*deRelig.tit.de Iuram. promiss.cap*.16.*n*.8.& clausula *d.c.audivimus* manifestat, ibi: *Excommunicamus te*.& ibi:*Excommunicare nõ potuit ,sed te, tuosque absolvendo,&c.* Ni maluerimus de absolutione ad maiorem animi quietem interpretari *c. ex diligenti* 17. *de Simoniâ,c.dilecti* 13. *de maior. & obed.* Hinc etiam capiunt lucem textus in *c.venerabilem vers.idem de elect.& in c.pervenit el segundo de Iur.iur.*iuncto BASIL.LEGION.*vbi supra* & CASTRO PALLAO *in suo oper.moral. tom*.1.*disp*.3.*punct*. 12.FELINO,PANORMITANO, SYLVESTRO,& alijs,quos ipse laudat *n*.1.

Lubet insuper adnotare aliquando iuramentum irritari statim à principio , habet enim Pontifex ad id,ex iustâ causâ,potestatẽ, vt exornat,& probat FAGVND.*de Iust. & Iur.lib*.1.*cap*.26.*n*.5. in fine,& tunc non solùm contractus,verùm nec iuramentum exequitur: docet LÆSSIVS *de Iust.& Iur.tom*.1.*lib*.2.*cap*.27.*dub*.7.*n*.52. & probatur ex Concilio Trident.*sess*.25.*cap*.16.*de Regular.* quo loci concilium irritam reddit omnem renuntiationem,& dispositionem novitij,etiam iuramento valatam , si fiat sine licentiâ Episcopi, vel Vicarij intra duos menses.Secundo, ex textu in *c. significavit* 2. *de eo qui duxit in matr. quam poll. per adult.* vbi matrimonium non firmatur iureiurando respectu DEI,quia à principio irritum declaratur à Pontifice. 83

Præiactis his fundamentis , ad alia invisenda transeamus,cùm securè iam noster procedat versiculus,quem ea potissima designat,ostendit,& clamitat decidendi ratio, ne contractum vsura coinquinet,quæ dulcedinem habet *l.ait prætor* 5.*si quid vers.si vero D.quæ in fraud.cred.* sed voracem;vndè LVCAN *lib*.2. 84

Hinc usura vorax, avidumque in tempore fœnus

Et vt Pavl. *ad Chorint. 5. Ne modicum fermentum totam massam corrumpat*; aut putridus sanguis alium sanguinem inficiat, lex enim commissoria in pignore damnum innuit dissimulatum, pro mutuo habeat creditor rem maioris valoris, vel saltem lucrum proprietatis ipsius rei pignoratæ, quam premit affectio *l. et si æquo 66. D. de legat.* requis ignoratum æstimabilem esse respectu domini, & si res aliter, quam ex affectione illius, ex communi scilicet vtilitate, ex rquel pluris vel minus faciant *l. si servum 33. D. ad leg. Aquil.* ... creditor ... principalem tunc aliquid forte plus habere, ... pretio, dum tamen pro mutuo consequetur ... Azpilcueta *in Manual. cap. 17. n. 254.* Mol. *in Iust. & iur.* ... *tract. 2. tom. 2. disp. 324.* Salon. *tom. 2. de contract. pignor. n. 10.* Salas *tract. de usur. dub. 32. n. 1.* Azor. *3. p. Instit. moral. lib. 7. cap. 10.* Bonacin. *tom. 2. disp. 3. de contract. q. 3. punct. 8, n. 2.* Covar. *lib. 3. variar. c. 2. n. 7.* & cū simul hic ... principium in vnum incidant, ius divinum, naturale, humanū, & positivum, item publica vniversi utilitas rogat, qualis in observantia diuini iuris reluceat; & res ipsa sit so ... ex parte creditoris; vnde Avsonivs. *Edilio 15. de ambiguit. vitæ eligen.*

si turpia lucra

fœnoris, & velox inopes usura trucidat.

Recte Innocentivs III. dum gentibus dabat in hac publica decisione pabulum præcepti Dei, vt divinus ille sermo de prohibitione vsurarum post Lvca ... humana alia atque alia voce tonaret, nec iuramento confirmari in pignore pactum commissoriæ legis, seu vt proprius loquar, legem commissoriam, statuit in illis verbis: *Pacto tali vel iuramento nequaquam obstante.*

85 Obiicies textum in *l. pacisci D. de pact.* qui in ipso negotio, id est in continenti, pacto ius publicum spernit posse, resolvit, si quidem cōtra edictum Ædilium Curulium paciscinon inconvenit. Ergò cum lex commissoria de ... pactum

in continenti in contractu mutui, & pignoratitio, cur prohibebitur? placet mens CVIACI qui in explicatione *l. ius publicum D. de pact.* defendit *in d. l. pacisci*, contrahentes non de iuris publici, sed interesse sui privati renuntiatione cogitare; ea ergò est mens Ædilium, vt ob eum morbum sit actio redhibitoria, qui in gerendo negotio venditionis exceptus non sit: ius itaque publicum in eo sistit, vt redhibeatur servus ob vitium non exceptum; erit igitur renuntiatio huius vitij, proprij abnegatio commodi, non legis. Sed ideò in ipso negotio, vel postea monet Consultus fieri, ne si antea fieret, in absolutam Prætoris prohibitionem directò renuntiatio collimaret, & ius publicum læderet. At in nostro textu nihil est, quod nō obliget, nihil privatorum pactis, quod subiici valeat, cùm iure divino, in mutuo damnetur vsura *c. super eo de vsur.* Execrablis res est; probat quod de AGE Atheniensium Duce fertur, qui adeò fœnus exosum habuit, vt omnium fœneratorum tabulas, igne supposito, in foro concremarit, quo igne nullũ clarius lumen vidisse AEGESILAVS dixit. LYCVRGVS etiã è totâ sparta vsuras exterminavit: CATO fuit in fœnore coercendo asperior, & durior: dicebat enim fœnerare, esse hominem occidere. Laudat in hoc eum DIV. BERNARD *lib. de Tobiâ c.* 14. multa de lege sisachthiâ & chreocopiâ ALEX. AB ALEX, *Dier. genial lib.* 1. *cap.* 7. sisachtheam legit RODIGINIVS *Lection. antiquar. lib.* 12. *cap.* 20. fuit hæc lex SOLONIS apud Athenienses, significatque oneris levationem illius linguæ vocabulo, & vt ipse RODIGINIVS, sunt qui sisachtheam cribrum interpretentur, quo in frumẽtis vacantia secernũtur. Chreocopia: quasi debitorum abscissio: plura CORNEL. TACIT. *lib.* 5. DIODOR. SICVL. *lib.* 2 *cap.* 3. *Pleræque gentes* (inquit ALEX. AB ALEX. *vbi supra*) *odio fœnus inexpiabili prosequtæ adeò, vt cùm furem dupli, fœneratorem quadrupli damnarent.* Vltra omnes alias antiquorum leges, vidẽda est *l.* 4. *&* *l.* 5. *tit.* 6 *lib.* 8. *Recopil.* ibi: *Como quiera que por derecho divino y humano las vsuras estan defendidas so grandes penas, &c.* & ibi: *Que pierda todo lo que diere ò prestare, y que sea de aquel que recibiere*

al emprestido, y peche otro tanto, &c, contra vsuram alij scribit etiam LANCELLOT. CONRAD. *in Templ. omn. iud. lib. 1. cap. 1. §. 3. vers. vsuras debet tollere*: Dicitur denique morsus iuxtà illud Div. CHRISOST. *Homil. 12. in Matth. Similis est pecunia usuraria aspidis morsui, sicut enim qui ab aspide percutitur, quasi delectatus vadit in somnum, & sic per suavitatem soporis moritur; sic & qui accepit pro usuris pro tempore delectatur, quasi qui beneficium accipit, & sic per suavitatem beneficij non sentit, quo modo captivus efficitur, nam sicut venenum aspidis latenter per omnia membra discurrit, & corrumpit: sic usura per totas facultates eius discurrit, & convertit eas in debitum*. Habet ergò se instar morsus serpẽtis. Proh dolor! & quot mortiferi contractus sub vmbrâ & somno huius aspidis latent, quos vsus, seu abvsus divitũ excogitat, vt maleficium dissimulent. Res improba, & impenitens,

Quâ nulla mundo pestis est nocentior.

Quâ nulla mundo pestis est frequentior.

nam divitiarum appetitus infinitus est.

86 Obviter rogabis, cur tam variè lex commissoria in pignoribus exosa, in venditionibus admissa sit? cùm res magni valoris pro exiguo pretio spe luitionis, sicut & pignori, & emptionibus, venditionibusque subiiciatur non semel: cur ex vno aliud metiendum non erit, vt vel prorsus illibatâ lex commissoria in omnibus contrahatur, vel æquè pericula fundat? Respondeo, in venditionibus sæpius iusto pretio rem dari: econtra in pignoribus, rem maioris valoris obligationis iugo pro minimo debito offerri, quod maius & supervalens rei pretium vocatur, *Hyperocha, in l. quærebatur* 20. D. *qui potior. in pignor.* observat CVIAC. *lib. 3. observ. cap. 25.* & cùm legis cura non ad ea, quæ rarò accidunt, sed frequentiora respiciat *l. nam ad ea* D. *de legib.* diversimodè in venditionibus, ac in pignoribus disponit: videndus TIRAQ. *de Retract. convent. ad finem titul. n. 124.*

87 Iterum rogitabis cur INNOCENTIVS III. RODERICVM supponat solutioni principalis sortis adstrictum, si iuramentum

tum quantum in se fuit adimplevit,præcedente traditionē pecuniæ nuntio, quem putavit fidelem ? subaudierat Pontifex non discordiâ animi, sed extraneâ Imperatoris potētiâ detineri. Scelus fortunæ fuit contra RODERICVM infidelitas nuntij,nec periculo dantis amissio pecuniæ est,in dicto casu, iuxtà textum *in l.argentum* 20.D.*commodat & l. fin.* § *servorum* D. *naut. caupo. & stabul.* Respondeo sortem principaliter debitam nullam turpitudinis fæditatem , nec ex parte debitoris,nec ex parte creditoris includere, secùs vsurarum præstationem, & ideò, adimpleto iuramenti sacramento intuitu DEI,quem directò respicit,evanescit creditoris desiderium;nec iam aliquid est conditionale, quod premat debitorem , & vsurarum saltem celerem solutionem,seu momētaneam inducat, cuius petitionis actionem, vt conditionē faceret,habuit creditor,nō vt vtiliter exigeret:ast sortis principalis verè debitæ,naturalis & civilis obligatio durat, quia nondum respectu hominis creditoris liberatus est debitor.

Nec argutandi incitat lætitiam *d.l.argentum* 20.D.*commodat*,nam pacificat mentem,&quasi caduceum MERCVRI est differentia illa inter commodatum , cuius dominium semper penes commodantem,& mutuum, cuius proprietas & libera alienatio ad mutuatarium transit *l.*2. D.*de reb. credit.c.vnico de commod.* perijt ergò res domino *l.secundum naturam* D.*de reg.iur.c.qui sentit.eodem tit.in* 6. *l. fin.* §. *sed cum C.de furt.l.Iulianus* §. *ex vendito* D. *de action. empt.*& debitor speciei , peremptâ specie,liberatur *l. quod te mihi.* D.*de reb. credit.* quo fit, iustissimâ iuris ratione *in d. l.* 20. argentum per modum speciei commodatum periculo cedere domini,non debitoris commodatarij ; at in nostro textu RODERICVS quãtitatis mutuatæ dominus, extitit generis debitor , nocuit ergò illi perfidia , & infidelitas nuntij quoad sortem principalem, cùm genus non periisse fatendum sit,& adhuc,quantitate amissâ,verum sit RODERICVM illius debitorem esse. 88

Instabis R.non proprio servo pecuniam,sed nuntio, & 89

forte

fortè homini libero, vel extraneo servo, quem putavit fidelem dedisse perferendam; ergò debuit inquirere de moribus ipsius, iuxtà præceptū *l. fin. §. si servar.* D. *Nautæ caupo.* ibi: *Nauta enim alienus adhibet explorare eum oportet, cuius fidei, cuius innocentiæ sint: in suis nautis dignum est, si tales qualis ad instruendam navim adhibuerit.* Sed vbi hæc examinatio? imò prædam inconsultò prædoni obtulit, cur igitur quantum in se fuit paruisse iuramento affirmabimus? qui sensu damnorum [illegible] ita resupinus, vt nuntio, quasi cuilibet argentum tradiderit. Rursus vrget instantia, nam R. ex culpâ nuntij, quem elegit potius tenebatur *l. apud Labeonem. 20. §. fin.* D. *de præscrip. verbis. l. eum qui 10. §. fin.* D. *commodat.* nec aliâ hac sua distinctione gaudent, quàm vel inspicere, an nuntius missus sit ab ipso creditore, vel an casu, an culpâ illius res perierit, incauta enim electio gravat eligentem *l. si procurator.* [illegible] *§. si tutores.* D. *mandat. l. 2.* D. *si mens. fals. mod. dixerit.* ergò R. si infidelem elegit cur non teneatur? si non tam idoneum hominem, quàm inquirendo

88 invenit *l. 5.* D. *commodat.* imputandum est ei, qui minus credulus fuit *l. cum quis. §. si debitorem* D. *de solut. l. 1. §. 1.* D. *de* [illegible] *quod factum erit* expressè id etiam probat *l. si mei causa.* D. *commodat.*

90 Possent hæc difficultatem gignere, ni distinctione vteremur, & ordine, qui definitur à Div. Avgvst. *lib. 19. de Civit. Dei cap. 13.* *Parium, dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio.* Ergò regula constituenda est, quæ hostilia argumenta domet, ne eorum ingluvies insatiabilis sit voracitas. Sic divido. Res commodata, vel deposita periculo domini perit, vt suprà meminimus; sed si inspicienda res mittitur, veluti *in d. l. apud Labeonem §. ultim.* subdistinguo; vel causâ dantis mittitur, dum pretium exquirit, & sui periculi facit, dolum duntaxat illi præstabit inspector, vel inspectoris tantùm causa geritur, & dolum, & culpam quoque præstabit [illegible] *l. apud Labeonem,* & in *l. 10. §. 1.* D. *commodat.* 2. vel res commodata est sub eâ conditione, vt commodatarius ipse commodatarius perferret, & ratione ne

ad

adimpletæ conditionis, & gravaminis, si alij quantumvis fideli dedit, tenebitur ob casum *l.* 10. *§. vlt. cum leg. sequenti* D. *commod.* 3. vel res absolutè commodatur: & iterum sub divide, vel servo, vel extraneo datur; si servo eximit casus fortuitus commodatarium, non culpa vel dolus servi *l. pen. §. pen.* D. *his qui deiecer.* sume eodem modo *d. l. apud Labeonem §. vltim.* nisi ita fideli servo, quem omnes vno ore sic haberent, tradiderit, quia liberabitur *d. l. argentum* 20. D. *commodat.* vel non servo confidit proprio, sed alieno, seu homini libero, & si facta inquisitione, tradit, liberatur *d. l. fin. § servorum* D. *naut. caupo, & stabular.*

In hoc *cap. significante* inquisitione prævia traditam pecuniam quid obstat, vt coniectemur? vel dic, in iuramenti adimplemẽto mitius agi cum Deo: & ideò cùm R. bonâ fide, pecuniam tradiderit, cur non liberabitur exclusio creditore, cui nulla vtilis actio quæsita fuit? Voluit solvere, non stetit per ipsum, imò Deo solvit, quantum in se fuit R. fecit: id solum inspicitur *c. cùm inter. de renunt.* alius non sic desideria respicit. 91

Nemo nisi arcani qui pectoris intima lustrat.

Vndè illud *Psal.* 37 *Domine, ante te omne desiderium meum*, & quod dici solet *solus mentium Rex Deus est.*

Hæc licet pluribus notissima imo omnibus Iurisprudentiæ Doctoribus: Tyronibus latent, cùmque melius sit Doctos onerare iam notis, quàm rudes fraudare discendis, vt Div. Leo Papa prædicat *Serm.* 5. *in Nativit. Domin.* libuit adnotare. 92

(ʒ)



VERSICVLVS III.

ibi... MANDAMVS QVATENVS SI EST ITA PRAEDICTVM CREDITOREM VT SORTE CONTENTVS PENSIONIBVS PIGNORIS COMPVTATIS IN EAM R. PRAEFATO, OMNI DILATIONE POST POSITA, RESIGNET.



93 Militat hic versiculus sub signo, & præcepto textuum in *c.1.c.quoniam 2.c.conquæstus de vsur c.illo vos 4.c.cum contra 6.de Pignor. l.si dominium C.de Pignor.l.1.l.fin.C.de pignor.actio. l. cum & sortis 37.D.eodem tit. l. epistola 52. §. 1.D de Pact.l.1.C.de Distract.pignor.l.ex prædijs 11.C.de vsur l.2. C.de Part. pignor.* arrident fauitores, præter ordinarios repetẽtes *in c. 1.de vsuris*, NEGVS.*de Pignor.memb.5.part.5.* per totũ: ANT.FAB.*de Error.pragm.decad.9.error. 5.& 6. & 7.*COVAR.*lib.3.variar.cap.1.à n.3.* Theologi cum DIV. THOM, 2.2.*q.78.art.2.ad 6.*MOLIN.*de Iust. & iur. tract, 2.disp.320.*AZPILCVET.*lib.2.de Rest.cap.2.n.35.*BARBOS.*in l.diuortio §.ob donationes n.26.D. solut. matri.* CAVEDO *p. 1.decis.123.*ALOIS.RICCIVS *in Collectan.decis.p.4.collectan. 976.& collect. 1164.* BALBOA in explicatione *textus in c. ad nostram 7.de Iur.iur.*ALEX.TRENTACINQ. *variar.lib.3. de pignor.col.2.*CASTILLO *lib.3.quotidiannar.cap. 23.* cum sequent. & alij quos refert AVGVST. BARBOS.*in Collectan. ad c. cùm contra 6. de pignor.*& nouissimè NONIVS COSTA *de Priuileg.credit regul.3 limit.2.à n.17.*

94 Iurgiosa huic verissimæ doctrinæ obsidiantur argumẽta fertilibus onusta disputationibus: illis, velut antipophora vtamur, quam Rhetores subiectionem dicunt, id est, propositionem sententiæ reiiciendæ, vel respondendæ I. angit textus *in c.ad nostram 7.de Iur.iur.*vbi ALEX.III. dissertis verbis affirmat prohiberi debitorem, qui iure iurando præstito, promisit non molestare creditorem suum, donec naturaliter pecuniæ solutione non liberaretur, fructus pignoris

ris computare in ſortem,ni prius ipſam ſolvat: abludit ergò ALEXANDER à ſententiâ INNOCENTI.

II.INNOCENTIVS ipſe vmbraticum facit, dum in *c.* 1. *de feudis.* ſcribit gageriam pignoris cauſâ retineri iuſtè poſſe, quin ſequatur fructuum computatio Cohæret ALEXANDRO III.*in c.conquæſtus de vſur.* in fine,& iterum ratã habet ſupradictam impugnationem *in c ſalubriter.eodem tit* Nec deſtituta hæc ſunt iuris civilis authoritate, vt pro ingenio cenſores videantur, conducunt enim antiquorum exempla prudentum, cùm creditor poſſideat pignus *l. cum & ſortis* 35.§.*pignus l. ſi pignus* 37. D.*de pignor.act.l.per ſervum* 37.D.*de acquir. rer. domi. l.*1.§.*per ſervum* D.*de acquir.poſſeß.l.pignori rem* 13.D.*de vſucap.* & fructus ſequantur poſſeſſorem *l.bonæ fidei* 48.D.*de acquir.rer.domin.* Contrariam ergò principia iuris concluſionem exclamant,& ſi aliam INNOCENTI III.verba ſupradicta diſſimulent. 95

III.pactum antichreſis licet *l.ſi is qui* 11.§.1. D.*de pignorib.l.ſi pecuniam* 33.D.*de pignorat.actio. l.ſi eâ pactione C. de vſur.*cuius fit mentio *in l.*1.§.*pacto* D.*de pignor. l.* 9.§.*vltim.* D.*de ſupellect.legat.l.cùm debitor* 8.D.*in quib. cauſ.ius vel hypothe.*contra *l. ſi eâ lege C. de vſur.Novell.*32.34. *&* 130.ſed in prædicto pacto non reſervantur fructus pignoris debitori,quia creditoris lucro cedunt,ergò computatio,ſeu compenſatio fructuum cum ſorte principali iuri ſatis conſona non eſt. 96

Ad latiorem iam materiæ noſtræ campum ſenſim delapſi ſumus,in quo ſcitu digna principia occurrunt.Ergò tenendum eſt, rem pignori datã durare in dominio debitoris *l. pignus* 9.*C.de pignor.actio.l.cũ & ſortis* 35.§ *pignus* D.*eodem tit.*ibi:*Manente proprietate debitoris*; nam & ſi creditor ad totum pignus ius habeat reale, & indiviſum *l. pignoris* 17.D.*de pignor.l.*1.*l.*2.*C.de luit. pign.* cui addendus ANT.FAB.*lib.*7.*coniectur cap.*18.& DONEL. *lib.*16. *comment. cap.vltim.*OSVALD.*litera G. & H.* tamen non accepit, vt ex eo lucrum ſibi faciat, ſed vt in tuto videat creditum ſuum §.*fin.inſti.quib.mod. re contr.oblig. l. ſi pignore* 54.§.1. 97

D. *de furt.* Dein cùm res propria pignori haberi iura non sinant, necessariò elicitur pignus perdurare in dominio debitoris, quin obstet textus *in l. si pignore 20. D. de pignor. actio.* quæ viros magnos divexavit, quia creditori furtivam condictionem pro subreptitio pignore liberè concedit, iunctâ *l. & ideò 12. § fin. D. de condict. furtiv.* dummodo distinguamus inter condictionem certi, & incerti. Prima solius domini est, quia respicit ad formulam vindicationis: secunda verò illum, cuius interest: sequitur: ecquis dubitet interesse creditoris, rem pignoratam non surripi? nec ergò ei competere cōdictionem incerti abnegare fas erit. Dicitur condictio certi, id est, rei certæ, cuius proprietas penes dominum, etsi interversa possessio sit; condictionem incerti appellamus, id est, rei adeò incertæ, vt nec cerni, nec tangi possit, veluti possessionis, quæ inter corporalia numeratur: audiendus IACOB. CVIAC. *in comment. l. si debitor 79. D. de furt. lib. 6. quæst. Papin.* quamvis displiceat ANT. FAB. *de Errorib. pragmat. decad. 18. error. 3. & error. 5.* sine iustâ ratione (ni fallor.) Sic interpretatur etiam *l. ultim.* D. *vsufructuar. quemadmod. cave. & l. certi 9. § 1. D. de reb. credit.*

98 Ex quibus directò fluit, fructus pignoris esse debitoris, & rei ipsius periculum illum quærere *l. quæ fortuitis C. de pignor. act. l. secundum naturam D. de regul. iur. l. 1. C. de peric. & commod. rei vend. c. qui sentit. de regul. iur. in 6.* quia insequuntur dominum vtpote pars rei *l. fructus D. de rei vindic. l. in falcidiâ D. de leg. falcid.* quamvis creditor possideat pro securitate pignus: verùm non id ita accipias, ut animo domini, aut iure dominij, sed vt naturaliter iure, inquam; indemnitatis teneat *l. 3. § vlt. D. ad exhiben. l. per servum D. de acquir. rer. domin.* id enim agitur in contrahendo pignore (mens est CVIACI *in l. 1. § per servum D. de acquir. possess.*) inter debitorem, & creditorem, vt nihil ex pignore acquiratur creditori, sed tantùm, vt res pignorata sit apud eum pro contractus principalis fide; & restituendi crediti vinculo in securitatem creditoris *l. legata § ultim. D. de supellect.*

pellect. leg. a. §. vltim. quib. mod. re contrah. oblig. vndè hæc creditoris possessio non interrumpit iure cæptam à debitore vsucapionem *l. qui pignoris 36. D. acquir. possess. l. servi 16. D. de vsucapio.* ergò civilis possessio pignoris adest debitori, naturalis etsi detentio creditoris curæ sit, qui in sententiâ BALDVINI *tract. de Pignor. cap. 15.* non pro suo, sed pro alieno possidet, id est, ad sui securitatem, & debitoris vtilitatem. Iisdem verbis vtitur Consultus *in l. pignori 13. D. de vsucap.* ibi: *Quia pro alio possidemus.* Deducunt hinc vt observent Doctores publicianam actionem solius esse debitoris *l. qua 13. §. is qui D. de public.* & noxalem pro noxâ servi pignore mancipati contra debitorem intendi. *l. si servus 22. §. is qui D. de noxalib.* nam vt vnâ salivâ dicam, debitor iure possidet, creditor facto detinet. Sic interpretor li *Naturalia*, vt *in l. in causæ 16. §. idem Pomponius.* ibi: *Naturaliter licere cōtrahentibus se circumvenire. D. de minoribus:* id est, facto ipso. Huius distinctionis meminit absque dubio DIV. AVGVST: *in serm. de vitâ Cleric.* ibi: *Quod videtur possidere sicut Iurisperiti loquuntur, iure, non corpore.* Satiare animum qui velit, & selectissima, breviaque de possessione creditoris commentaria, quærat IACOB. CVIAC. *lib. 9. obser. cap. 33. & in l. servi. 16. D. de vsucapion.*

Quibus sic ruminatis, perquiro nunc rationem fructuū cum principali sorte computationis, quam pluribus exornat NEGVS, *de Pignor. 5. p. memb. 4. n. 2.* & invenio suo ipso molimine iustam; nam creditor, qui pignus naturaliter, & corpore tenet *l. debitor 40. §. soluta D. de pignor. act.* perceptione ipsâ fructuum debitor sui debitoris redditur: ne igitur, qui iam debet fructus, duret sortis principalis creditor; & immanis conveniat debitorem, qui debitoris rem, fructus inquam, consumpsit: & cessaret hæc quasi difficultatum symbola: debitum debito compensari, & fructus extenuare sortem sub regulâ rectæ rationis est, vt quanto minus creditor lucretur sic ex pignore, habeat à debitore suo, nam tum sortem integram, tum etiam fructus qui voluerit, aut *Anatocismum* (de quo scripsit ANT. FAB. *de Error.* 99

pragmat. decade 2. error 1.) vsuram sorti coniungens, vtrsque in sortem redigit, vt novas pariat vsuras, hominem lucifugam, & contra naturalis rationis institutum non improprie, nec iniustè dictitabo, nam avarus iam erit, & radicem omnium malorum acquiret, vt Apostol ait *1. Tim. 6. Quia nullum peccatum sine cupiditate committitur, & omnis appetitus illicitus, istius aviditatis est morbus. Amori pecunia vilis est omnis affectio, & anima lucri cupida, etiam pro exiguo perire non metuit, nullumque est in illo corde iustitiæ vestigium, in quo sibi avaritia fecit habitaculum.* S. Leo Papa *de passione Domin. serm. 9.* resolvit, dum impium Ivdam ministrum Diaboli reprehendit. Ex hac consideratione, quâ creditor dum fructus percipit, quasi debitoris efficitur debitor, manat praxis prohibens creditori obligato administrationis rationē reddere, exigere antequam reddat, quia à se exegisse præsumitur *l. debitor 13. l. divortio 35 D. de neg. gest. l. sed si damnum §. peculium* D. *de peculio l. quoties §. sicut autem* D. *de admin. tut.* & de herede qui ob id præsumitur sibi solvisse loquitur *l. debitori C. de pact. l. Stichū §. additio D. de solut. l. Vranius D. de fideiussor.* circa hanc præsumptionem in creditore administratore plura Afflict. *decis.* 13. *n.* 16. Svrd. *de Alime. tit.* 3. *q.* 7. *n.* 22. Camil. de Medicis *conf.* 123. *n. fin.* Gratian. *Disceptat. forens. tom.* 1. *c.* 129. *n.* 27. & *tom.* 2. *c.* 214. *n.* 5. Marescot. *lib.* 2. *varia. cap.* 121. *n.* 68. Gvtier. *de Tutel.* 2. *p. cap.* 9. *n.* 51. Paschalis. *de virib. patr. potest.* 3. *p. cap.* 10. *n.* 43. Cesar. Manent. *decis.* 76. *n.* 12. *c.* 113. Iacob. Cancer. *lib.* 1. *varia. c.* 7. *n.* 112 *in* 2. *edit.* Rota Genvens. 59. *n.* 2. 80. *n.* 3. 81. *n.* 2. Menoch. *de Arbitrar. cas.* 202. Cravet. *conf.* 129. *n.* 5. Fontanel. *de Pact. nupt. claus.* 4. *Gloss.* 18. *p.* 5. *n.* 43. Hinc etiam fit quod cū dominus directus administrat bona emphyteutæ, prædium emphyteuticum nō potest cadere in commissum ob defectum solutionis canonis, quia dominus debet sibi solvere, & præsumitur: ita Roman. *conf.* 187. *n.* 5. plenissimè hæc omnia cumulavit Svrd. *conf.* 290. *vol.* 2. *n.* 32. & sequentibus.

Per-

Perfunctoriè luci etiam ex supradictis redditur sepultus 100
sensus *l. si pignore* 22. D. *de pignor. actio.* vbi VLPIAN. fatetur, creditorem cogendũ debito imputare quadruplum, quod pœnæ nomine habuit à fure surrepti pignoris causâ; etiam si culpâ creditoris furtum contigerit, quia verè lucrum est ex pignore. Nec dissidium generat textus *in l fin.* §. *sed cum in secundum C, de furt*, qui in commodatario aliter resolvit: satisfacit enim ipsius natura pignoris, quæ lucrum *respicit: * respuit
sic ex sententiâ IACOB CVIAC. deducit D. MARTINVS DE LA REATIGVI quondam præceptor meus voluminis Cathedræ moderator in Salmanticensi Academiâ. *Selectar. iur disputat. lib.* 3. *cap.* 9. per totum. Sed excipe casum, si debitor suæ rei cupiditate victus pignoris furtum faciat, tunc enim odio ipsius, quæ vindictæ, pœnæque nomine acquirit creditor. & lucri sui est *l. id quod* 74. D. *de solut l. pœnæ* 42. D. *de condict. indebit.* Huc PAPINIAN. respexit in *d. l. si pignore* 22. §. 1. dum integrum quadruplum à creditore acquisitum propter metum à debitore illatum in pignoris restitutionem, & lucrum creditoris venire, illique cedere affirmat, quia sinè vllâ diminutione quadruplum per modum pœnæ irrogatur à iudice, in sensu ANT. FAB. *de Error. pragmatic. decad* 81. *error.* 2. in eadem rotâ volvitur textus *in l. Titia* 4. D. *de solut.* cùm similiter in prætorio pignore fructus sortem minuant *l. in venditione* §. 1. D. *de reb. auth. iudic. possi.*

Vt emolumenta computentur in sortẽ, fructus propriè 101
induant naturã necesse est, aliàs pignoris loco cedent creditori: exẽplũ offert *l.* 1. *C. de part. pignor.* obtinuit enim negativa sentẽtia BRVTI in vetere illâ quæstione, an partus ancillæ esset in fructu, cuius mentionẽ facit CICERO & refert opinionẽ P. SCÆVOL. & M. MANILI á quib⁹ dissentit BRVTVS. videndus ALEX. AB ALEX. *Dier. genial. lib.* 1. *c.* 10. quo spectat *l. vetus* D. *de vsufruct. & queadmod. cav.* Nec inimicus est, PAVLVS *lib.* 2. *receptar, tit.* 5, ibi: *Fœtus vel partus eius rei, quæ pignori data est, pignoris iure nõ tenetur, nisi hoc inter cõtrahentes convenerit*; nã vt scitè CVIAC. *ad titul. C. de pact. pign.*

ani-

animadvertit de partu edito ante pignoris obligationem PAVLVS loquitur, & obviter interpretatur, & componit *l. si convenerit §. si fundus D. de pignor. actio. & l. 1. in principio D. de Salvian.* alia possent expendi iura, sed in brevilo quâ disputatione notissimis omnino rebus, nec satiare animum, nec cruciare volo.

102 Iam luce clarior ratio computationis fructuum, & fermè nullo alio indigens auxilio redditur, gratuitò namque tenetur mutuare creditor, ne sit sibi met ipsi gravis, ferrea quippè sub pondere iacet: vltra sortem quicquam si lucretur ex bonis debitoris, cùm id sapiat vsuram, quæ sibi vindicat, vbi mel ibi fel: *ex l. conquæstus de usur.* Omnis peccans est ignorans; colligitur in præsenti cùm creditor fructus pignoris iniustè percipiens potius minuat, quàm augeat fænore patrimonium. Probat elegantissima DIV. LEONIS sententia *de ieiun. decim. mens. sermone 6.* ibi: *Vnde quilibet sequatur eventus; mala semper est ratio fænerantis, cui pecuniam, & minuisse & auxisse peccatum est: vt aut miser sit amittendo quod dedit, aut miserior accipiendo quod non dedit. Fugienda prorsus est iniquitas fænoris, & lucrum quod omni caret humanitate, vitandum est. Multiplicatur quidem facultas iniustis, & tristibus incrementis, sed mentis substantia contabescit: quoniam fænus pecuniæ, funus est animæ: quid enim de huiusmodi hominibus sentiat Deus, sanctissimus Propheta David manifestat. Qui cùm diceret: Domine, quis*

101 *habitabit in tabernacula tua, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Responso divinæ vocis instruitur, & eum ad æternam requiem pertinere cognoscit, qui inter alias piæ conversationis regulas, pecuniam suam non dedit ad vsuram, & tabernaculo Dei ostenditur alienus, & à sancto monte eius extraneus, qui dolosum quæstum de pecuniæ suæ captat vsuris: & dum per aliena cupit damna ditari, æterna dignus est egestate puniri.* Sed S. LEO diminutionem temporalem pecuniæ prorsus non explicuit: vidi acutissimum DIVI BERNARDI commentum illius Deuteronomij *ab alienigena vsuram exiges, in lib. de Tobia c. 15.* vbi mirificè & singulariter

ter temporale adhuc vsurarum periculum, quo extinguitur patrimonium, considerat: verba sunt elegantissima: lubet transcribere. *Sed forte dices* (inquit qui favos semper loquitur) *quia scriptũ est: alienigenæ fœnerabis: & non consideras quid Evangeliũ aicat, quod est plenius: sed hoc interim sequestremus: legis ipsius verba considera: fratri tuo, inquit, non fœnerabis ad vsuram. sed ab alienigenâ exiges: quis erat alienigena nisi Amalech, nisi Amorhæus, nisi hostes? ibi, inquit, vsurã exige cui meritò nocere desideras, cui iure inferuntur vsuræ: quẽ bello nõ potes facilè vincere de hoc citò potes centesimâ vindicare te. Ab hoc vsuram exige, quẽ non sit crimen occidere. Sine ferro dimicat, qui vsurã flagitat: sine gladio de hoste vlciscitur qui fuerit vsurarius, & exactor inimici. Ergò vbi ius belli; ibi etiam ius vsuræ.* Et *c*, 13. dixerat: *Vt vestes vsu, ita vsuris patrimonia scinduntur.* Solum ergò substantia cùm benè erogatur, augetur. Qui ergò pecunias amat & multiplicare opes; non hominum captet necessitates.

Fructus autem pignoris, debitorem vtpote dominum cùm sequantur, ad computationem pertinere sortis nemo ambigit; aliqua verò si vrgeat ratio legitima, quæ suspensionem huius compositionis suadeat, effugiet creditor vsuræ culpam, nec accusabitur: imo potiùs velut saltu quodam transiliet scrobem, nec in plano cæspitabit. Hoc solo notatu conclusionis dubia in principio scripta fatiscunt. Lubet excutere, vt progrediamur. 103

Intellectus *c. ad nostram* 7. *de iur. iur.* varius apud interpretes invenitur; plura vt explicet adducit suo more indiggesta PANORMIT. *in c.* 1. *de vsur.* & COVAR. *in c. quãvis pactũ* 1. *p.* §. 4. *à n.* 8 *de Pact. in* 6. GVTIER. *de Iura. confir.* 3. *p. cap.* 6. FACHIN. *lib.* 1. *controvers. cap.* 7 SVAREZ *de Religio. tom.* 2. *lib.* 2. *de Iuram. cap.* 37. Alijs placuit dicere *in d. c. ad nostram* intercedere iuramẽtum, & adimplendum in specificâ formâ, per textum *in c. querelam. Ne prælat. vic. suas*, vbi sacramentum præcisè ad factum adstringit: sed cõvincitur hoc diverticulum, quia appellatione solutionis, & compensatio continetur *l.* 4. §. *solvisse* D. *de re iudic. l. solutionis verbum* 54. 104

D. *de solut. l. solutionis* 176. D. *de verb. sign. l.* 4. D. *qui potior.* c. *ex parte* 13. *de Cleric. non resident.* deinde iuramentum, & res iudicata coincidunt in vnum *l.* 2. D. *de iur. iur. l. post rem iudicatam* D. *de re iudicat.* atqui ex causâ iudicati debitum patitur compensari textus in *l.* 2. *C. de compensat.* ergò & iurata promissio. Prætereà sæpiùs conditio dandi compensatione impletur *l. si peculium* §. *de illo* D. *de stat. liber.* consule MOLIN. *de Iust. & iur. tom.* 2. *disp.* 560. Aliter D. IOAN. BALBOA excogitat, scilicet in *d. c. ad nostram* fundum cum fructibus pignori datum fuisse, vt in *l.* 1. §. *cùm prædium* D. *de pignor.* cuius intelligentia petenda est à CVIAC. *lib.* 2. *Respons. Papinia.* & affirmat, non excludi compensationem fructuum, sed non venire in casum. Pace tanti viri non placet hæc decidendi ratio; quia, impleto iuramento, constitit creditorem teneri restituere debitori quæ deductis expensis, recepit: & iubet Pontifex: ergò fructus omnes, non adeò pignori dati sunt, quin eos creditor possit consumere, vt computet. Fundus ergò cum redditibus debet intelligi, id est, fundum vt pignori haberet creditor: fructus, vt perciperet iure creditoris.

105 IACOB. CVIAC. in brevi comment. *d. c. ad nostram* subtiliter voluit intercessisse inter debitorem, & creditorem legem pignoris, hoc est antichresim firmatam iuramenti vinculo, & cùm ius canonicum illam respuat, Archiepiscopum Rotomagensem creditori ad rogatum debitoris, vtpote vsurario, inflexisse excommunicationem; Pontificē verò revocasse, quia nondum creditor, deductis expensis, equivalentes sorti principali fructus messuerat. Alij quos refert THOM. SANCH *in Sum. lib.* 3. *cap.* 7. *n.* 15. fingunt, debitorem iure iurando abnegasse compensationem.

106 Mihi magis arridet dicere, nondum liquidò constitisse de fructibus in sortem computandis, pendebat enim expēsarum deductio, & defalcatio. Hinc iustè Pontifex Archiepiscopi sententiam repudiat, qui iuxtà antiquum morem potiùs debuit dicere *non liquet.* Sequor COVAR. & SANCH. *vbi supra,* quia ratione partis illiquidæ tota summa redditur

tur illiquida, & liquida nō exequitur. INTRIGLIOL. *lib.* 1. *singular.* 60. *n.* 6. MILALENSIS *decis* 1. *n.* 27. & 28. *lib.* 2. & CARLEVAL. *de Iudic. to.* 2. *lib* 1. *tit.* 2. *disp.* 15. *n.* 4. præterquā debitoris patrimoniū solum est, quod deductis expēsis superest l. quod privilegium 8. *vers. plane* D. *deposit.* ANT. FAB. *lib.* 8. *C. tit.* 8. *defin.* 7. AVENDAN. *de Exequend. mand.* 1. *p. cap.* 17. *n.* 11. BARTOL. *in l. quantitas* 72. *n.* 1. D. *ad leg. falcid.* PAVLVS *in l. sed si hoc* 61. §. *quidam non solidum n.* 1. 2. & 3. D. *de condit. & demonstr.* vndè provenit, expensas extenuare debitum l. 2. *vbi* BART. *n.* 2. *C. de part. pign.* & deducit vt æs alienum l. *argentarius in principio* D. *de edendo. l. scimus* §. *in computatione*, vbi BALD. *C. de iur. deliber. l. fundus* D. *famil. hercisc.* plura circa expensas vtilia ad praxim compilavit D. VALENÇVEL. VELAZQ. *tom.* 2. *cons.* 133. manet igitur *in d. c. ad nostram* legitimâ postulante causâ suspendi imputationem non negari.

Difficiliorem exitum minabantur textus in *c.* 1. *de feud.* & in *c. conquæstus de vsur.* in quibus dominus feudi mutuo vassalo pecunia data, feudique in pignus recepti fructus in sortem non imputat: declarat NAVAR. *in manual. cap.* 14. *n.* 228. & COVAR. *lib.* 3. *variar. cap.* 1. *à n.* 4. Communiter solet regula constitui, feudo dato in pignus Ecclesiæ, transfundi in Ecclesiam dominium vtile, & cum directo penetrari. Sed hæc solutio in principijs iuris impingit, datione enim pignoris, quis vnquam dominium amisit? quis receptione lucratur? *l.* 1. *l.* 2. *l. pignus C. de pignor. act.* verius autumo feudum propter servitium, & prædictâ ratione movente, feudatarium suos rei feudalis fecisse fructus. Videndi CVIAC. & OTHMAN *in tract. de feudis cap.* 24. ergò cum impotentia vassali vel alia, in causâ sit, vt servitium cesset, debuit simul cessare feudum. Hinc etiam cū, pignorato feudo, non præstetur servitium, subrogantur loco illius fructus: veriorem etiam hunc intellectum COVAR. existimat *lib.* 3. *var. cap.* 3. *n.* 4. CENEDO *collect.* 6. *n. fin.* MORLA *in empor. iur.* 1. *p. q.* 1. *tit.* 9. *n.* 35. BALBOA *ad d. c. ad nostram n.* 33. & sequentibus: & regulare est creditorem mitti in posses- 107

sionem rei sui debitoris quando non potest aliter sibi satisfieri à debitore, vt in *l. si finita* §. *si de vectigalibus* per BART. & ALEX. D. *de dam. infect.* & habetur *in capitulo primo* §. *quid ergò de invest. feud. de re alien. fact.* & quod plus est in feudo dignitatis, vt Comitali; aut Ducali, licet non fiat hæc immissio, tamen fructus percipiet creditor BALD. *singulariter in Authent. qui C. de bon. author. iudic. possid.*

108 Id nunquam mihi placere potuit, feudum pignori datum non subiici fructuum computationi, quia creditor ipse simul sit & dominus, quem insequantur fructus, vt in vsufructuario voluere plures, dum pignori fundum tradit quo vtitur, fruitur; ex his est MARTA *de Iurisd. 4. p. casu* 191. nam vt ex pugnem, sic argumentor. Fructus respiciunt dominum, cuius proprietas plena, & integra sit, & non proprietarium nudum, aliàs constitutione pignoris consolidaretur cum proprietate vsusfructus; quod nullâ valet iuris ratione probari: ergò omninò superiori solutioni standum est.

109 Infertur simul *in c. salubriter. de vsuris* rectè INNOCENTIVM III. à fructuum computatione immunem iudicare maritum quoties pro *enumerandâ dote* possessiones à socero pignorantur (nec legas *pro numeratâ dote*, vt in aliquibus codicibus errore legitur; advertunt HOSTIEN. & repetentes ibi) specialitatis enim ratio movet, vt æmulemur exceptionē: iusta causa in causâ est. Et nì fallimur Pōtificis verba aperto ingenio demonstrāt ibi. *Cùm frequenter, dotis fructus nō sufficiant ad onera matrimonij sustinēda*, dote enim non numeratâ, vxorē alere, mariti non est onus *l. fin. C. ad Velleian. c. per vestras in fine de donat. inter* ANT. GOM. *in l. 50. Tauri n. 51.* ALVAR. VALASC. *cons.* 8. COVAR. *in 4. 2. p. cap.* 8. in principio LARA *in l. si quis à liberis* §. *si quis ex his* D. *de liber. agnosc.* Parentes ergò filiam etsi mācipatam viro alunt, donec solverint; argumento textus *in l. si is cui 56.* §. 1. D. *de iur. dot.* Hinc nascitur specialitatis, quam indagamus principium: nam is qui dedit fundum pignori in securitatē numerandæ dotis, intervallo illo tem-

pori

poris alimentorum extitit debitor : ergò quasi compensationis iure fructus pignoris pro alimentis cedunt. Intelligenda tamen hæc sunt respectu probabilis interesse mariti, nam quod vltra non sit habiturus firmarunt pro constanti BALD.*in l.fin, §. præterea C.de Iur. dot.* ALEX. *cons.* 178.*n.*11.*lib.*7.DECIVS *cons.*119.*n.*12 SVRD. *cons.*269.*n.*8. qui voluerit id sub distinctione habere, consulat RODRIG. *de Annuis reddit lib.*3.*q.*7.*n.*48.& sequent.vbi ampliationibus,& limitationibus commento exponit textum in *d.c.salubriter*:similiter & FELICIAN.*de Censib.lib.*2.*cap,*5.*à n.*20. NAVAR,*in comment.de vsur.n.*71.BARBOS.*in l.*1.*in princ.n.*40.D.*solut.matr.* & meminimus, pro recuperandis his fructibus prælationem concedi marito *l. Lucius D.qui potior. in pignor.*nec quis miretur,tot in favorem matrimonij esse in corpore iuris privilegia : sunt vtique, vt eius onera maritus sustineat *l.pro oneribus* 20. *C. de iur.dot.* egit plura PET.GREGOR.*inSyntagmat.iur.vniver.lib.*9.*cap.*19 *&* 20. hoc etiam factum ne mulieres indotatæ sint ; quæ ratio adeò vrget, vt reddat invtilem, & prorsus nullitatis vitio tinctam obligationem dotis : videndi circà indotationem præ alijs ANT.FAB.*lib.*4.*Codic.tit.*21, *defin.* 26. NOGEROL. *tom.*1.*allegat.*30. & FONTANEL.*de Pact.nupt.tom.*2.*claus.*7. *Gloss.*3. *part.* 13.*num.*23.

Vltima dubitandi ratio de antichresi superest. Hoc 110
mirandæ vetustatis pactum dicebatur vsus contrarius, id est,conventio,quâ licuit creditori vti frui pignore subrogato in vsum mutuatitiæ pecuniæ:advertit BALDVIN.*de Pignor.cap.*16.Significatio hæc nullâ advocatione indiget;transeamus ad alia.IACOB.CVIAC.*lib.*8.*observat.cap.*17.in declaratione *l.cùm debitor D.in quib.caus.pign.vel hypothec.*distinguit antichresim : expressam affirmat non servare vsurarium modum, sed tunc absolutè creditorem omnes lucri facere vsuras,tacitam vero servare vsurarium modum, id est, creditorem non percipere vltrà legitimas vsuras tacitas interveniente antechresi, expressa verò, si contrahatur inter debitorem,& creditorem conventio,vt interger vsus

pigno-

pignoris creditori liceat, plenos fructus loco vsurarum habere, vt in *l. si pecuniam D. de pignor. actione l. si is qui 11. D. de pignor.* tacitè contrahitur antichresis si fundus fructifer pignori daretur. Meritò hæc distinctio damnatur ab ANT. FAB: *de Error. decad. 9. error. 9.* consensus enim partium perceptionem vsurarum lege dissonam nunquam efficit licitam, si aliàs illicita est: videndus RODRIG. *de Annuis reddit. lib. 2 q. 11.* per totam.

111 Enucleamus ideò alitèr pactum antichresis, & speciem illicitam pignoris, inspecto iure canonico, vt in plurimùm fatemur, & ipse concedit IACOB. CVIAC. *in d. c. ad nostram 7. de Iur. iur* fructus enim amaros habet, cùm pessima illorum sit vsura radix: an verò pro legitimo modo vsurarum servari possit, quæstio anceps est apud CALDAS *in l. si curatorem habens.* verbo *suâ facultate num. 103. C. de in integr. restit*; nunc à nostro instituto aberrat. Id solùm adnotamus, pactum antichresis necessariò habere contractum antecedentem inter debitorem, & creditorem: vndè oritur distinctio, quæ etsi non generaliter, vt in plurimùm facit admitti, seu reprobari pactum: nam si contractus talem præseferat naturam, vt creditori vsuras legitimè concedat V. C. lucro cessante, vel damno emergente, argumento *l. commissa D. rem. rat. habe.* observatis ad vnguẽ huius rei qualitatibus, de quibus videndi AFFLICT. *decis. 20.* MENOCH. *de Arbitra. lib. 2. cent. 2. casu 119.* GAMMA. *1. p. decis. 110.* BARBOS. *in l. de divisione n. 25. & 26. D. solut. matr.* SVRD. *cons. 368. á n. 5.* CASTILLO *lib. 2. controv. cap. 1. à n. 52.* PINEL. *in l. 2, C. de rescin. vend. 3 p. cap. 3. n. 28.* AZEVED. *in l. 10. tit. 17. lib. 4. Recopil. n. 115.* MASTRIL. *decis. 303. n. 29. p. 4.* licebit etiam antichresis: quia imputabuntur fructus in sortem, & vsuras debitas; sed si contractus ipse extermineť vsuræ lucrum, improbatur antichresis.

112 Obiicies, antichresim nihil differre à venditione sub redimendi pacto celebratâ; quæ cùm omni iure teneat, dat non facile argumentum in favorem illius. Respondeo inter se longè distare vtrumque contractũ, prædicta enim

ven-

venditio transfundit in emptorem dominiũ,& petit talem ex fontalibus suæ naturæ rationibus alienationem; antichresim verò mortalium ambitio,& avaritia quæritavit ad percipiendos rei alienæ,pignoratæ inquam, fructus; & ne inter canonici iuris legitimas sanctiones cresceret hoc quasi divitiarum flagitium,iussus est creditor re debitoris gaudens imputare fructus in sortem.Permitti solùm potest iureCodicis,dummodo vtilis sit debitori (veluti de sorte hastali scripsimus in primo versiculo)& iuxtà hanc limitationem non inconvenit interpretari leges tertiæ dubitandi rationis. Pulchrè notavit plura circà antichresim factã in favorem debitoris GAIL.*observ.lib.*2.*observ.*3.refert & sequiturANT. THESAVR·*decis.*78.OSASC.*decis.*143.RVIN.*cons.*25.*n.*3.*vol.*2: ANT.FAB.*lib.*7.*tit.*20.*Codi.de execut.rei iudic defin.*51.& allegat *l.cũ debitor* D.*in quib.caus.pign.vel hypo. tacit.contrah. l. vltim. C. de pignor. act.* GASPAR RODERI.*de Annu.reddit lib.* 2. *q.* 14.IACOB.CANCER.*variar.resolu. par.*3 *cap.*13. *n.* 369.tutius tamen erit,iure canonico inspecto , non vti anthichresi , sed liberè & merè gratuitò mutuare: quis sanæ mentis contradicet ? & præcipuè auditis illicò verbis *c. plerumque* 14·*q*.3. ibi : *Et quodcumque sorti accedat vsura est: quod velis ei nomen imponas,vsura est.*

Ad alia nunc transeamus his vicina fluenta,& ex communi ærario, etsi non novũ, vtilissimum tamẽ depromere textũ lubet in *c.navigãti de vsur.*vt salvus sit versiculus hic ab impetu verborũ difficiliũ. ibi: *Navigãti,vel eunti ad nũdinas certã mutuans pecuniæ quantitatem,eo quod suscepit in se periculum recepturus aliquid vltra sortem , etiam iusto interveniente periculo , veluti in mari, statuit:* Interpretantur hunc textum authores non infimæ notæ , non de periculo marino,seu simili,sed quando citra probabile dubium,periculum prætexitur:id reprobant COVAR.*lib.*3.*varia.cap.*2. *n.*5.& IOAN.BAPT.LVP.*de vsur.comm.*3.§.1.*n.*13. & meritò eis displicet, nam de maris periculo expressé Pontifex cogitat.ibi:*Naviganti,&c.*Præterea cur à propriã extrahere significatione verba fas erit? cùm in re dubiã melius sit 113

verbis

verbis edicti servire *l. 1. §. si is qui navim D. de exercit. actio.* NAVAR. *in Manual. cap. 17. n. 221.* VILLAGUTA *de usur. q. 26. n. 1. & 2.* & COVAR. *ubi supra* interpretantur hoc caput, quoties ratione mutui usura lucratur, etiam si accedat periculi causa, econtra verò, si directò ratione periculi id fiat, contractum licitum putant. Invehit contra hãc solutionem RODRIG. *de Annu. reddit. lib. 3. q. 5. n. 59.* & sequitur Gloss. *d. c. naviganti,* & prænotat Pontificem non absolutè creditorem in præsenti dicere usurarium, sed censendum esse usurarium, quia ultra sortem recipit, etsi suscipiat in se periculum; quæ quidem longâ ratione distant, nam primum proprietatem, secundum verò fictionem sonat, & præsumptionem generat: quasi Pontifex in illo casu possibile iudicet creditorem usurarium non esse quoad DEUM, at in iudicio & arbitrio Ecclesiæ, usurarium censendũ, nullâ excusatione admissâ. Crediderit se habuisse GREGORIUM (fingit RODRIG.) instar periti medici, qui ut putridum abstrahat, aliquid etiam ex sano concidit, ideòque in exteriori, & publico foro quemlibet mutuantem, si plus aliquid ultra sortem desiderat, censet usurarium, ne ex nimiâ permissione excresceret avaritia creditorum, usque ad iniustum, & ficto periculo fraus legi fieret, quasi ansam præbente lege ipsâ canonicâ.

114 LAIMAN *in opere Theolog. moral. lib. 3. tract. 4. cap. 16. n. 13.* in fine, suspicatur deficere *in d. c. naviganti* voculam *non*: & ex connexione sequentium colligit. ibi. *Ille quoque, qui dat decem solidos* cùm hæc non adversativa, imò collectiva sint. Ergò firmandum est (infert LAIMAN.) in primâ specie censendum non esse usurarium, qui suscepit in se periculum. Verum enim verò non abstinere à rigorosâ apud nostrates, & nunquam permissâ emendandi licentiâ nil aliud erit, quàm amputare sibi pollices, ut bellum vitetur, & pugnæ congressus: qui mos invaluit quondam, ut author est AMIANUS *lib. 15. extremo de Gallis loquens*, & Murci dicebantur apud Romanos: exornat pluribus eruditissimus Dominus D. LAURENT. RAMIREZ DE PRADO, cui maiorem

iorem debent antiquorum meliora fragmenta nitorem, & Iurisperitia nostra lucem *in notis ad Luitprandi Cronicon fol.* 305.

CENEDO *in collectan.* 47. cumulat plures repetentes & *d n.* 3. variè contrahit mentem ad varias quæstiones. Sed ni fallor, maiori diligentiâ, & acumine, dicti capitis intellectum quærit LVDOV. VELAZQVEZ DE AVENDAN. *in tract. de Censib. cap.* 21. *d n.* 12. qui, ommissis primis solutionibus quas refert, tandem concludit *n.* 14. *in d. c. naviganti*, æquè principaliter & mutuo, & periculi susceptioni accedere lucrum, quia sine assecuratione periculi, creditor nec daret mutuo pecuniam naviganti; & tunc vsurarium esse in sententiâ GREGORI. Arridet mihi hæc solutio, quia subtilis est interpretatio. Prius tamen dixisse lubet; regulariter verum esse, ob periculum aliquid recipere licere, vt probat LÆSSIVS *de Iust. & iur. lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 13. per totam, dummodo id considerate exerceamus: dupliciter enim propter periculum in mutuo lucrum in se suscipere contingit. I. sic datis mutuo numis, vt debitor alium cogatur inire contractum, quo adstringitur creditori, certam pecuniæ quantitatem vltra sortem solvere, vsurarum nomine propter assecurationem mercium, vel navis, & susceptionem illam periculi: fluitq; hinc debitorem obligari creditori non aliàs mutuaturo; quod genus conventionis sapit iniquitatem: & hanc speciem condemnat textus *in d. c. naviganti*, quia subit debitor onus pretio æstimabile, cùm posset aliter pignore, vel fideiussore, securam reddere mutuatitiam pecuniam creditori, absque dispendio quantitatis considerabilis; ideò creditor, qui vltra sortem patitur debitorem novum inire assecurationis cõtractum, vt ex mutuo lucretur, quod plus in contractum deducitur præstandum, vsurarius est censendus, & si periculum suscipiat in se, quia suscipit, vt lucretur, & incidenter, accessorieque ad vsuras se habet periculum, cùm principaliter cogitet propter mutuum, & interesse dare mutuo naviganti numos, & subire periculũ. Quem sensum indicant verba textus. ibi: *Eo quod in se peri-*

115

culum suscepit recepturus vltra sortem. II. mutuat quis sine respectu ad contractum assecurationis; tunc susceptio periculi mutuandi causa nō erit: sed incidet, & contemplabitur, non vt finis mutui, sed vt quid diversum: hic casus iam egreditur notissimos vsuræ damnabilis terminos; & permittitur. Ita ergò interpretor verba AVENDANI, & distinctionem illam in continenti, vel ex intervallo. Illud item placet: in primo casu contractū mutui corrumpi, contractu innominato assecurationis, initium enim sui, cum illicito fine confundit: at in secundo se habere, vt quid distinctum.

116 Rursus susceptionem periculi affectatam, esse causam finalem mutui, sponte autē datam & receptam non reddere contractum vsurarium. Hanc intelligentiam, desumit AVEND. ex SILVESTRO verbo *vsura, q.* 35. CAIETANO in verb. *vsura exterior.* vers. *duodecimus casus* MEDINA *de Rest. capitul de vsuris* in principio, DOMINICO SOTO *lib.* 7. *de Iust. & iur. q.* 7. *art.* 1. NAVAR. *in Manual. confess.* 3. *p. cap.* 17. *n.* 222. COVAR. *varia. cap.* 2 *n.* 5. & quod valeant separari, mutui datio, & susceptio periculi, & hæc possit incidere, probant *l. si quis nec causam* 4. D. *de reb. credit. l. qui exceptionem*, iuncto SALYCETO D. *de condic. indebit.* ex quo lucrum secundariò proveniens, etiam in contractu mutui non efficere eum vsurarium resolvunt CORN. *in l. si pascenda C. de pact.* NAVAR. *in c. si fæneraveris n.* 19. *q.* 3. facit Gloss. & INNOCENT. *in c. consuluit de vsur.* & textus *in c. si officio* 59. *disti. c. quid prodest* 61. *dist.* & Gloss. singularis *in c.* 1. *de Cleric. non resid. in* 6. facit etiam illud Psalmi: *Inclinavi cor meum ad custodiendas iustificationes tuas propter retributionem:* vbi postquam DEVS primariò & per se amatur, secundariò amare eum licet propter retributionem, cùm aliàs primariò & principaliter amare illum propter aliud, nunquā non damnabile sit: vt post DIV. THOM. 2. 2. *q.* 27. *art.* 1. assert NAVAR. *in c. cùm minister n.* 4. 24. *q.* 5. quo spectat Concilium Tridentinum *sess.* 6. *can.* 31. ibi: *Si quis dixerit iustificatum peccare dum intuitu æternæ mercedis benè operatur anathema sit.* Elicimus ergò, in primo casu necessariam esse com-

computationem vsurarum cum sorte principali, ne mutuās creditor pondere maleficij tetris summergatur vndis, in atro illo mari, vbi pœnæ, tortores, mali genij, & furiæ. At in secundo casu, aliud esse mutuum, aliam periculi susceptionem, & non dari computationem.

Nec solùm percepti fructus pignoris, sed & qui percipi potuerunt imputandi veniunt in sortem principalem *l. creditor. 3. C. de pign. act.* item damni ratio habebitur, pignore à creditore deteriore facto *d. l. 3. in fine*, item quæ ex operibus ancillæ, & pensionibus domus capiuntur *l. 2. C. eodem tit.* prædiorum enim vrbanorum pensiones in fructu sunt *l. prædiorum 36. D. de vsur. l. in venditione 8. §. 1. D. de reb. auth. iudic. possid.* 117

Maximè obstat his, tum quæ in primo, tum quæ in hoc versiculo dictitavimus, IVLIVS PAVL *sent. lib. 2. tit. commiss.* vbi dissertis verbis affirmat, quidquid creditor per fiduciarium servum quæsierit, minuere sortem debiti, & si servus fiduciâ interim pignori datus, sit in dominio debitoris; ergò fructus non sequuntur dominum, nec ad dominium. Nec erit genuina ratio decisionis nostræ, quâ statuimus fructus pignoris imputandos in sortem, quia pignus in dominio est debitoris. 118

Summè etiam difficilis redditur eadem conclusio ex textu in *l. ex prædijs 11. C. de pignor. act.* vbi post oblatam creditori à debitore pecuniam, quam non suscepit, vult imperator fructus extenuare sortem. Ergò iure percipi sine metu imputationis à creditore posse, cogimur concedere: aliàs vana, & frivola huiusmodi textus dubitatio, & decisio, superfluitatisque notâ, nulliusque commodi laborabit, eritque. Explicemus hæc breviter, quæ non adeò sunt vulgaria. 119

Locus IVLI PAVL hæret regulæ *l. lege fundo vendito 5. D. de leg. comm.* vbi fructus pariter, ac res ipsa, quæ datur fiduciâ, pignori habendi sunt, vt quemadmodum, accedente solutione pecuniæ debitæ, remancipatur debitori fiducia, sic & fructus. Huc PAVLVS dùm fatetur extenuari sortem, 120

& verba *d. legis* in idem coincidunt. ibi: *De fructibus quos interim emptor percepisset: hoc agi intelligendum est, vt emptor interim eos sibi suo quoque iure perciperet:* quasi diceret, re in emptâ, illicò fructus venditori restitui oportere. Deindè animadversione dignum est, solutâ pecuniâ debitâ creditori, quasi resoluto contractu adventu conditionis, nec momento emptionem illam pignoris sustineri; imò retro fingi non tam redditum, quàm non amissum debitoris dominium: vndè oblatione pecuniæ, vtique fructuum ratio habenda iam est necessariò, vt extenuent sortem, vel præstentur debitori: videat cui tempus vacat CONNANUM *lib. 7. comm. cap. 9. n. 4.* IACOB. CUIAC. *in l. 4. C. de pignor. actio. & in l. 1. C. de pact. inter empt. & vendit.* CALD. PEREIR. *in l. curatorem habens* verbo *suâ facilitate.* FELICIAN. *de Censib. lib. 1. cap. 6. á n. 3.* Manet itaque firmo nixus fundamine casus resolutus, quia legis conditione existente, iam non creditor ius percipiendi fructus, nisi vt imputet in sortem, habuisse dicetur; oblatioque debitorem in propria redintegravit iura.

121 Textus in *l. prædijs*, de pacto antichresis interpretandus est, secundum mentem CUIACI in *l. 1. C. de pignor. actio.* & quasi pessulis quibusdam sibimet innexis coniungitur illi *l. cùm debitor* D. *quib. caus. pign. vel hypoth.* ergò ponit Imperator *in d. l. ex prædijs* sub pignore prædium pacto antichresis traditum creditori: & ideò distinguendum non sine ratione curavit: vel enim pecunia debita nondum à debitore oblata est; tunc ex vi pacti antichresis per vsum contrarium eo tempore permissum non impeditur suos fructus facere: vel pecuniam dum offert, iam debitor cessat: ecce pactum antichresis; nec creditoris titulus subauditur; & cùm in morâ recipendi, quasi constitutus sit creditor, in sortem imputat quidquid ex inde percipit.

122 Nec ratio iuris patitur, certæ quantitatis creditorem vltra voluntatem legis, & hominis percipere fructus, & lucrari, qui iam in dominio sunt debitoris. Hinc interpretor reconditiorem textum *in l. cum pater 77. §. Titio D. de legat. 2* ibi:

2. ibi: *Cum ex fructibus medio tempore perceptis fideicommissi debitam quantitatem Titius percepisset, æris alieni loco non esse. deducendum fideicommissum respondi, quoniam ratione compensationis percepisse debitum videbatur.*

Sed in hâc fructuum computatione, sumptus & expensæ in conservationem pignoris consumptæ, subducendæ prius veniunt *l. in summa 6. l. si dominium 9. C. de pignor. & hypot. l. epistola §. pactum* D. *de pact.* & id absque necessitate conventionis, naturâ ipsâ rei cogente, *l. quæsitum §. vltim.* D. *de distr. pignor.* & non obstat aliquando expensas in pactum deduci, quia non raro supervacua pacta fiunt: vt notat CVIAC. in *d. l. in summa.* Res item mancipata pignori vt recuperetur, integra debitionis solutio sequatur necesse est, aliàs etiam pro numo sextertio pignus durat *l. reum* D. *de evictzion.* ea vtique est natura individui, vt qui tangit in puncto, totum tangere videatur *l si vulgaris* 21. D. *de furt. l.* 4. D. *si ex noxal. cau. agat.* pignus autem individuum est *d. l. reum* D. *de evictio.* 123

Odiosa prorsus & illicita vsurarum perceptio, & lucrū vltra sortem: odibilis quisque vsurarius est, vt FVFIDIVS quondam ille, cuius meminit HORAT. *satir.* 2. ibi: 124

Fufidius vappæ famam timet.

Et MACEDO ille improbus fænerator, cuius ratione Senatus consultum Macedonianum factum olim, de quo integer titulus in Digestis. Et ideò vt notat GARCIA TOLETANVS in lucernâ Rubricarum, titulus *C. de fiscalib. vsur. lib.* 10. (quas percipiebat fiscus, non vt fiscus, sed vt heres, vel successor personæ privatæ *l. cū quidam §. ex locato ¶. fiscus* D. *de vsur. l. in facto §. 1* D. *de cond. & demōstr.*) in desuetudinem abijt. Pro coronide hic audiamus. DIV. BERNARD. *lib. de Tobiâ cap* 15. affert illud. *Ezechielis* 18. *Qui autem pignus non reddidit, & in simulacra apposuit oculos suos iniquitatem cum vsurâ dedit & superabundantiam accepit, &c.* & addit. *Vide quo modo fænaratorem cum idololatriâ copulauit, quasi crimen æquaret.* Refert etiam IOAN. VITAL. verbo *avaritia* odium in vsurarios. ibi: *Solebant antiquitus fæneratores infames esse*

&

& abominabiles Christianis, & pueri quando videbant vsurarium, signabant se, & dicebant; videte Diabolum, & fugiebant signando se, nec in domo eorum sumebant cibum, nec osculum pacis eis dabatur.

125 Sed ne antiquas Iurisconsultorum leges prorsus iniquas iudicemus, vsuras non absolutè licuisse, sed cum moderamine, prænotamus. Explicandus hîc venit difficilis textus in *l. si non sortem* D. *de condict. indeb.* quæ pertinet ad regulam *l. indebitas C. de vsur.* inquit ergò VLPIANVS: *Si non sortem quis: sed vsuras indebitas solvit, repetere non poterit, si sortis debitæ solvit, sed si supra legitimum modum solvit, Divus Severus rescripsit (quo iure vtimur) repeti quidem non posse, sed sorti imputandum: & si postea sortem solvit, sortem quasi indebitam repeti posse.* Hæc vt firmiter capiamus, sciendum est: pactum de præstandis vsuris antiquitus haud vllius fuisse roboris: meminit huius principij Imperator *in l. 3. C. de vsur.* & Consultus *in l. Titius* 24. D. *de præscript. verb.* ibi: *Pecuniæ quidem creditæ vsuras, nisi in stipulationem deductas non deberi*, quia ex pacto, iure civili non nascitur actio *l. si tibi C. de locato*; vsuras deinde supra centesimas solutas sortem minuere, & consumpta si sors sit, repeti posse, habebatur ergò ratio sortis principalis, vt quandiu soluta non esset, vsuræ imputarentur, iuxtà textum in *l. si non sortem* §. 1. Et denique vsuras, quæ excederent centesimas per errorem solutas repeti, vt IVLIVS PAVLVS docet *recept. sent lib. 2. tit. de vsur.* & CVIAC. ibidem. Erant vsuræ centesimæ, quæ centesimo mense æquabant sortem, & assis loco fuere: vndè processerunt semisses vsuræ, quincunces, trientes, &c. huc HORAT. *satir.* 2.

Quinas hic capite mercedes exsecat.

Dicebantur hæ vsuræ nauticæ, traiectitiæ pecuniæ; & marinæ; item & drachmales, quia drachma minima pars centesimæ erat & alia vsura vnciaria appellata, cum scilicet centenarius singulos paret numos *l. Titium* D. *de admin. tutor.* præter naturam tamen est, vt pecunia per se sterilis pecuniam pariat. De his etiam vsuris centesimis, quæ minimæ dicebantur

bantur, aliqua scripsit CELIVS RODIG. *Lectio. antiq. lib. 28. cap.* 33. decentesimâ, quæ rerum venalium fuit ab AVGVSTO ærarij implendi causâ introducta: meminit LIPSIVS *de Magnitud. Rom. lib. 2. cap.* 4. plura etiam BVLENGER. *de Imperio. Rom. lib. 7. cap.* 18. Nunc luce clarior apparet casus *d. l. si non sortem* in principio: *si vsuras indebitas solvit*, quia non erant per stipulationem promissæ, & ideò indebitæ, iuris civilis respectu; atamen solutæ repeti non poterant: tanta est vis obligationis naturalis, vt licet exactionem non habeat, retentione fruatur *l. fideiussor* 16. §. *naturales*. D. *de fideiuss. l. naturales* 10. D. *de oblig. & act.* verùm vt serviret Cõsultus antiquis Iurisprudentiæ regulis, rectè inquit *si sortis debitæ solvit*: nam vt supra tetigimus, sorte adhuc debitâ, non repetuntur vsuræ, quia licet iure civili indebitæ sint, iure naturali retinentur, & ad summum, imputantur. Rursus cùm vsuræ supra legitimum modum non deberentur, & necessariò in sortem imputari necessum esset, progreditur VLPIANVS, *si supra legitimum modum solvit*: á lege statutum (cuius mẽtio fit *in l. eos C. de vsur.*) *repeti quidem non posse, sed sorti imputandum*: si verò iam sorte solutâ & evacuatâ, vsuræ supra legitimum modum, vel intra solvuntur, quasi omninò indebitæ repetuntur. Quibus manet breviter explicitus textus in *d. l. si non sortem* in principio, & vt notat MONARCIVS *ad titul.* D. *de condict. indebit.* vbi de rescindendo contractu vsurario agitur, debitor non agit ad repetendum, quod vsurario more solvit, vt sorti imputetur: videndus etiam TIRAQVEL. *de retract. convent. ad fin. titul. n.* 152. Nec obstat textus in *l. quamvis* 3. *C. de vsur.* vbi habetur vsuras citra vinculum stipulationis debitas, si solvantur, neque vt indebitas repeti, neque in sortem imputari: nam respondetur de legitimis vsuris prædictum textum accipi oportere, inter legitimas enim, & illegitimas vsuras illa erit differentia; vt legitimæ pacto promissæ peti non possent, solutæ non repeterentur; & ideò nec imputari valent in sortem; illegitimæ, quia nec civiliter debitæ, nec naturaliter, & si solutæ non repeterentur; imputari tamen. Hæc

magis

magis placēt, quàm in *d. l. si non sortem* D. *de condict. indebit.* vsuras in vicē remunerationis debitas supponere, vt ANT. FAB existimat *in Rationali ad d. l. si non sortem*: potius remuneratoriam vsuram dicerem velut vsurariam illam libertatem, quâ gaudebant quondam servi in diebus saturnalium, quam explicat LIPSIVS *Saturnal. serm. lib. 1. c. 2.* ego interpretor li *vsurarium*, quia domini honorantes servos lucrati sunt fidelitatem, & maiorem obedientiam in remunerationem. Sed nulla iam admittenda est lex civilis, quæ minimam adhuc vsuram pro mutuo permittat, omnes enim abrogavit Decretum Concilij Vienensis, quod refertur *in clement. vnic.* in princip. *de vsur.*

126 Vt ad principium nostra feratur oratio, ad locum enim vndè exeunt flumina revertuntur, pro coronide aliqua elicimus, scilicet nec consuetudine pactum legis commissoriæ in pignoribus observari, aut confirmari posse BALD. *in l. 2. n. 4. C. quæ sit long. consuet.* non enim legibus Dei inimica consuetudo valet *c. non satis 8. de simon. c. Clerici 8. de iudicijs. c. masana 56. de electio. c. quoniam fin. de præscript. c. cæterum 3. de donat.* NEGVSANT. *de pignor. 4. p. princ. n. 5.* SVRD. *decis. 248. n. 17.* & si factum sit ad instantiā debitoris SVRD. *ibidem n. 17. & 18.* plura resolvit GASPAR HERMOSILL. *ad l 41. tit. 5. p. 5. gloss. 1. 2 3. 4. tom. 5. fol. 191.* item pactum hoc legis commissoriæ in pignoribus appositū incidere in prohibitionem illam generalem, quâ damnantur conventiones, quæ revocabilitatem auferunt dispositionib⁹ ex suâ naturâ revocabilibus, qualis est pignoris vinculum, quod solutione dissolubile est. Videndus BARTOL. *in l. 3. §. si quis ita* D. *de eo quod cert. loco.* quis enim patiatur in arbitrium creditoris conferre semper effectum solutionis, cùm debitor possit ante diem solvere, vtpote cui libera est facultas solvendi. *l. stipulatio ista 38. §. item incertam l. continuus 137. §. cum ita vers. nam & quod* D. *de verbor. obligation. l. quod quis 50.* D. *de solut. l. quod certa 70.* D. *eodem titul.* & ad probandam facultatem debitoris à iure concessam *l. si sic legatum 75. §. proinde* D. *de legat. 1.* ibi: *Secundum quod erit in ar-*

bitrio

arbitrio debitoris, an sit legatarius is, cui Stichus legatus est. l. fideicommissa, 11. § si rem D. de legat. 3. ibi: *Sed debitor vltra pecuniam obtulerat, quam, offerente ipso, non potuit sic accipere,* videndi sunt, quos laudat MORLA *in Empor. iur. titul. de reb. credit. q. 21. n. 1. 2. & 8.* & casus, quem erudite disputat D. IOAN. BAPT. DE LA REA *tom. 1. decis. Granat. disp. 16.* per totam non est contra, nam ibi conventio in favorem debitoris, & creditoris fuerat, pluresque habuit circunstantias, vt senatus in favorem creditoris statueret; præterquam doctissimus vir excipit legis commissoriæ in pignore conventionem, ne admittatur: & reddit rationem *n. 34. quia sæpius in exiguioris mutui vadimonium maximum pignus obligatur.* Differentiam item illam, quam supra impugnavimus in pignore, legis commissoriæ interposito pacto incontinenti, vel ex intervallo, vtilem dicimus in contractu emptionis & venditionis; nam in continenti inesse videtur venditioni: tradiderunt plura COVAR. *lib. 1. variar. cap.* 14. FACHINE. *lib. 2. controv. cap. 3.* SARMIENT. *lib. 3. select. cap. 8. n. 3.* MATIENZ. *in l. 2. gloss. 1. n. 17. tit. 3. lib 5 Recopil.* Sed ex intervallo appositum distat à lege commissoriâ cùm accedat consumatæ iam, & perfectæ venditioni, & aliter operatur, non tamen invtile est. Videndus ANT. FAB. *decad. 22. error. 1. & 7. & decad. 21. error. 1. & 3. 4. 5. 6. 7. &* 8. Pignoris etiam liberandi conditio, quam salvam hucusque voluimus existere debitori, non debet esse in præiudicium creditoris; & ideò securitas sortis principalis omninò attenditur. Vndè elegans nascitur decidendi ratio ad *l. voluntate* 10. D. *quib. mod. pign. vel hypoth. solvitur* cui annectendus D. FRANC. HIERON. LEO *in decis. sacræ Regiæ audientiæ Valentiæ lib. 1. decis.* 77. per totam, & præcipuè *nu.* 5. & hinc est, compensatione factâ, pignus evanescere, vtpote soluto debito *l. sicut § creditor* D. *quib. mod. pign. vel hypoth. l. in omnibus* 43. D. *de solut.* cùm iam nihil habet creditor, quod securitate pignoris indigeat; vndè quia pignus ad indemnitatem creditoris constituitur, compelli potest creditor, vnum pro alio accipere si debitor offerat æquè idoneum: ita

Carrotius *decis.4.n.4.* Pinel. *in l.2.C. de rescin. vend. 2. p. cap. 1.n.25.* quemadmodum cogitur creditor liberare fideiussorem, si alius æquè idoneus offeratur *l. illud 10. vers. vlt.* D. *quod met. caus. l. habeo 25 §. fin* D. *de recept. arbitr. l. qui autem §. sed si quis* D. *de constit. pecun.* securitatem enim & indemnitatem cùm habeat creditor, vnâ vel aliâ re pignori traditâ æquè idoneâ; cur queratur? imò tenetur etiam recipere, quam voluerit debitor pignori mancipare, ex regulâ textus *in l.2. §. locum* D. *de relig. & sumpt. funer. l.2. §. item varus* D *de aqu. pluv. arce.* Sed hæc doctrina plures patitur intellectus, quos expendit sapientissimus Dom. D. Ioan. Baptist. de la Rea *in suis decis. Granat. tom. 1. disp. 22. à n. 16.* & hæc de primâ dissertatiunculâ sufficiant.

(✠)



DIS-

AD IVLIVM PAVLVM IVRISCONSVLTVM PATAVINVM IN L. SI EGO XXVI. D. DE ACQVIRENDA, VEL AMIT. HERED. LIB. II. AD SABINVM EXTEMPORALIS, QVAM LEGE CERTAMINIS IN EADEM REGALI ACADEMIA, PRO PRIMA LEGVM CATHEDRA, ET AGONISMATE

DIGESSI, RECENSVI, PVBLICAVI.

PAVLVM Iurisconsultum ævi sui miraculum, cuius nunc ossa legimus, & cineres excitamus, en vobis redivivum sisto, in *l. si ego 26. D. de acquir. vel amitt. hered.* opus more solenne, & necessarium, auspice DEO, aggredior. Ergò symbolas, quibus mira civilis sapientiæ pars occluditur reseremus, vt concidamus minutius. 127

Inter filium, & servum, respectu patris, & domini dat 128

fere

ferè similem in acquirendâ hereditate rationem Consultus noster, vt inferat, patrem & filium, dominum & servum heredes institutos, adeunte filio, adeunte servo iussu patris, iussu domini, statim in proprijs institutionib⁹ heredes quoque fieri. Nec sine ratione de filio simul, & servo sermonẽ Patavinus texuit, nam in pluribus similes iam diu LACTAN. FIRM. considerat *Divinar. instit. lib. 4. cap. 3. Dominum verò* (inquit) *eundem esse qui sit pater, etiam iuris civilis ratio demonstrat. Quis enim filios poterit educare, nisi habeat in eos dominij potestatem? nec immeritò paterfamilias dicitur, licet tantum filios habeat: videlicet nomen patris complectitur etiã servos, quia familiam sequitur: & nomen familiae complectitur etiam filios, quia pater antecedit: vndè apparet eundem ipsum & patrem esse servorum, & dominum filiorum. Denique & filius manumittur tanquam servus, & servus liberatus patroni nomen accipit, tanquã filius* & ARISTOT. 3. *Ethic.* de filijs Persarũ scribit, adeò pro servis habitos fuisse, vt patria potestas tyranica fuerit. BRISON. *de Regno Pers. lib. 2. pag.* 198 verius DIV. PAVLVS *ad Gallat. 4. Quanto tempore heres parvulus est, nihil differt à servo, cùm sit dominus omnium.* Vmbraticum iam I. PAVLVS circumsuggerit his verbis.

SI EGO, ET SERVVS MEVS, VEL FILIVS HERES INSTITVTVS SIT, SI IVSSERO FILIO, VEL SERVO ADIRE, STATIM ET EX MEA INSTITVTIONE ME HEREDEM ESSE, POMPONIVS SCRIBIT, IDEM ET MARCELLVS PROBAT, ET IVLIANVS.

129 Duplex in vestibulo legis circumvelata brevis apparet erotesis: tertia tandem ex corpore deducitur. Primam repeto, patrem scilicet, & filium vnicam reputari personam, quæ fictè ex duplici coalescit Romano cive. Filius enim etiam civis Romanus est *l. nam civium* 4. D. *de ijs qui sunt sui vel alien. iur.* indè regula textus *in l. tam ex contractibus* 57. D. *de iudicijs, & in l. filiusfamilias* 39. D. *de oblig. & actio.*

ctio. l. potestati l. 215. D. *de verb. sign. l. sed si unius* 17. §. *ait prætor* D. *de iniur. l. si libertus* 12. D. *de in ius vocan. l. filios* 5. *C. de decurion. lib.* 10. hoc solo sensu integra habetur illius persona sine adiumento patris: id est, non imminuta, non capite læsa; nec inter se dimicant, filiumfamilias sui iuris non esse, & integram personam esse. In hâc prælocutione vtor mente acutissimi & oculatissimi interpretis ANTONI FABRI *in Iurispru. Papinia. tit.* 8. *de patr. potest. princ.* 6.

Vnicam etiam inter dominum, & servum invehiri personalitatem civilem, ita tamen, vt sola reluceat persona domini, quia servus, & civili, & prætorio iure nullus est, non stat in vrbe Romanâ: sed qui statum habeat, qui caput nō habet? *l.* 3. §. *vltim. l.* 4. in principio D. *de cap. minu. l.* 1. §. 1. D. *de iur. deliber. l. quod attinet* 32. D. *de regul. iur. l. qui testamento* 20. §. *servus* D. *qui testam. facer. l. servus* 6. *C. de iudic.* §. *servus instit. de capitis diminut.* ideò pro servis nunquam fuit olim capitatio soluta; immò pecudes & servi adæquātur in iure civili *l. si servus* §. *tertio autem capite* D. *ad legem Aquil.* vndè CVIAC. *in Comment. l.* 2. D. *eodem tit. Vt igitur adparet, servis nostris exæquat quadrupedes, quæ pecudum numero sunt, & gregatim habentur, velut capræ, boves, equi, muli, asini.* Acquisitionis ergò effectus in filio identitas personarum induxit, in servo nullitas, & indigentia propriæ personalitatis efflagitavit: ex corpore vtique servi, & personalitate domini, quasi vnus homo renascitur. HOTMAN. *lib.* 3. *observ. c.* 19. plura cumulavit & CARRANZA *de Legitim. part.* §. 1. *inlat.* 13. *sect.* 1. *n.* 208. & adeò id in iure obtinuit, vt abierit in proverbium *Servus personatur à domino l. non minus* 31. D. *de hered. instit. l. si mihi* 12. §. *regula* D. *de legat.* 1. *l. debitor.* 82. §. *vlt.* D. *de legat.* 2. iuncto BENED. PINEL. *lib.* 1. *select. cap.* 11. *n.* 3. *ad commentum* §. *cum etiam insti. de hered. institu. l. eius servum* 64. D. *eodem titulo.* & illius instrumentum, teste Philosopho *lib.* 1 *politic. cap.* 3. *l. quæsitum* 12. §. *Alphenus vers. constat* D. *de fund. instr.* forsitam hoc in causâ fuit, vt Gallorum servi vna cum dominis defunctis viventes cremarentur, & quasi cadavera eadem pyrâ interirent: re-

fert CÆSAR *lib.6.de Bell.Gallic* & adstipulatur POMPON.MELA *lib.3.cap.2.* nec mirum videatur, cùm iam diu CICERO *lib.1.Officior.* mortem servituti semper anteponendam dixerit, & textus *in Authent.de nupt.§ si vero decretum coll.4.* servitutem non procul à morte constituerit *l.intercidit 59. in fine* D.*de condit.& demonstr.l.cùm hic status 32. §. si donator* D *de donat.inter vir.l.servitutem* 209. D. *de reg.iur.* & ideò Eruditus quidam dicebat, servum manumissum à morte in vitam restitui.

131 Secunda decisionis verissima pars, sive conclusio illud præsefert; iussum patris, & domini gestionis pro herede loco cedere, vt in suis quoque institutionibus adiisse intelligantur, argumēto *l.pro herede* 20. §.*Papinianus l.gerit* 80.*in fine.l.si quis mihi bona* 25.§.*sed quid si mandavit* D. *de acquir.hered.* iuncto ACVRSIO *in d.l.pro herede verb.quid vers. melius ergò* ANT.PICHARD. *in §.item extraneus instit.de hered.qualit.& differ.à n.16.*

132 Tertio denique id præcipuum PAVLO: hereditatem, vtpote individuum corpus, nec scindi posse repudiatione vnius, & acquisitione alterius portionis, etiam dum heredes pater & filius, dominus & servus instituti sunt. Quæ inseparabilis huius individui corporis proprietas communi Iurisconsultorū manu fulcitur *l.1. l. sed & si quis l.si exasse l.heredi 31.l.cùm heres 53.§.vltim.l.cum hereditate 55.*D. *de acquir.vel amitt. here.l.heredes 63.l.si ita quis 66.*D.*de hered. instit.l.si separatim 30.*D.*de condit.& demonstr.* ex dignissimo sapientum choro habeo favitores BALD.*in l.1.C.de indict.viduit.tolle.* BARTOL.*in l 1.*D.*de acquir.vel amitt. hered.* DVAREN.*lib.1.de iur. acresc.cap.4.* IACOB.CVIAC.*lib.12. qq. Papini.in l.si libertus 41.*D.*de bon.libert.* ANT.FAB.*de Error. pragmat decad.49.errore 1.* his nunc contentus ero.

133 Hæc tria erotemata eleganti verborum compendio implicita examini offert PAVLVS; sed doctis tantum, & laboriosis. Non exoticam dubitandi expendo rationem, ipsa enim res est, ni fallor; præbete faciles aures. Filius & pater naturâ ipsâ duæ personæ realiter distinctæ, non tam

vna

vna persona absolutè sunt, sed penè intelliguntur *l. vltim. C. de impub. & alijs*, ibi: *Cùm & naturâ pater, & filius eadem esse persona penè intelligantur.* Quæ verba præcisam rei veritatem denotant: & quamvis supereminet persona patris in representatione vnitatis, quæ fingitur ex illo reciproco, vehementique affectu patris ergà filium *l. isti quidem D. quod met. caus.* iuncto patriæ potestatis nexu, quem prorsus agnovere SOCRATES apud XENOPH. *lib. 4. Memorabil.* ARIST. *lib. 4. Ethicor.* DIONIS. ALICARNAS *lib. 2. Antiquit.* CICERO. *de Invention. lib.* 2. IVLI. CÆSAR. *lib. 6. comment. de Bell. Galli.* & scribunt FOMANVS *in Synopsi iuris disp. 3. thesi.* 2. CONNAN. *lib. 2. commentar. c. 13. n. 2.* PETR. GREGOR. *lib. 11. Syntagmat. c. 5. n. 3.* adhuc filius distinctus homo est, cui velle, cui nolle suũ *l. Papinianus* 8. in princip. D. *de inoffic. testam. l. vltim. §. sin autem in secunda C. de bon. quæ liber.* & ideò non insolens in iure huius aliquando æstimationem haberi *l. quod dicitur* 130. D. *de ver. obligat. l. frater à fratre* D. *de cõdict. indebit. l. apud Iulianum vers. per quãiniquũ l. si filiofamilias* 11. D. *si quis omiss. caus. testam.* vt pater & filius sint duo cives, quorum distinctæ sunt morientium hereditates *l. si ita scriptum* 8. *§. vltim.* D. *de bonor. possess. secund. tabul. l. 2. §. illud* D. *de hered. vel act. vend. l. si filius* 12. D. *de vulgar. l. Iulianus* 42. D. *de acquir. vel amit. heredit.* & si vnum sit vtriusque testamentum *l. patris & filij* 20. D. *de vulgar.* illo excepto casu, quo posset obstare lex Iulia caducaria, vt notat PINEL. *lib. 2. select. cap. 18. n. 21.* & patris anima filius, vt ex EVRIPIDE proditum testatur RODIGIN. *Lection. antiqua. lib. 11. cap. 17.*

Servorum etiam non rarò, naturalis persona inspicitur in vetusti sæculi legibus *l. planè § si coniunctim* D. *de lega. 1. l. qui heredi* 44. D. *de condit. & demonstr. l. manumissiones* 4. D. *de iust. & iur. l. peregre* 44. *§. quæsitum* D. *de acquir. possess.* voluntas ergò illius non exquiretur? quid ni? cum lex iubeat, vt servus vellit, & possit nolle, etiam si excorietur *l. cum proponas* 3. *C. de hered. instit.* iunctâ Glossâ parvâ *l. 1. §. prætermittere, & §. quid ergò* D. *si quis omiss. caus. te-* 134

stam. sibi imputet dominus, si tam protervum, aut cervicosum servum habuerit. Rursus quid illud est, quod dici solet, aditionem non esse in operâ servili? *l. aditio* 45. D. *de acquir. heredit. l. fructuario* 47. D. *de acquir. rer. domin.* & si cōtrarium penè voluerit VARVS *in l. liber homo* 19. D. *de acquir. rer. domi.* de quâ re plenè scribit BENE. PINEL. *lib.* I. *selectar. cap.* 12. *à n.* 3. sic fortè dum contra se ipsum pugnat PAVLVS, in vno duplex efficitur gladiator arenâ: dat generaliter rationem CASSIODOR. *lib.* 3. *variar.* quia scilicet iustitia non putatur quidquid non discutitur.

135 Ast cùm omnimodam quoad iuris acquisitionem fateretur Consultus identitatem, & subiectionem, potestatemque patris ergà filium, & domini in servum (superiori praevio discrimine) *l. placet* 74. D. *de acquir. here. l. acquiruntur* 10. in princip. D. *de acquir. rer. domin. l. stipulatio ista* 38. §. *alteri* D. *de verb. oblig.* vndè sumpsit exordium decisio textus *in l. lis nulla* D. *de iud. l. nec cum filio* D. *de furt. l. adoptivum* 8. D. *de in ius vocal.* 1. in princip. D. *si à pare. quis fuer. manumiss. l. servus vetante* 62. D. *de verb. oblig.* rectè iuris strictioribus deserviens principijs iussum patris & domini requirit omninò, & decisivè statuit, interveniente simili iussu, in proprijs etiam institutionibus heredes fieri, nec scindi posse hereditatem, quae solum intellectum corporis habet *l. hereditatem* D. *de petit. hered.* ad individuitatem illius praecipiti lapsu currens: quae determinatio ostendit clariùs praedictā rationem dubitandi, nam vt observat PINEL. *lib.* I. *selectar. cap.* 10. *n.* 25. contrarium eius, quod deciditur, est ratio dubitandi, si terminos aptas.

136 Lubet nunc speciem PAVLI examinare, vt à partibus ad totum, & à toto ad singulas partes considerandas recte procedamus, quasi synthesi, & analysi: nec enim nostri in praesentiarum instituti est, circa materiam generalem legis, & tituli disceptare diu, ommissa casus contingentiâ. Plura scitu digna praestolantur: mox statim paraphrasi ingrediamur, nam vix verbum sine difficultate.

FRAG-

FRAGMEN I.

ibi... SI EGO ET SERVVS MEVS, VEL FILIVS HERES INSTITVTVS SIT.



INcipit PAVLVS, & non sine mentis acumine. 137
Servus, inquit, *vel filius*, quasi diversa distribuens; aliàs superfluitate notaretur in exemplo; etsi enim vterque alteri acquirat, patri filius, domino servus *d. l. placet* 74. *l. etiam invitis* 32. D. *de acquir. rer. domin.* Doctores communiter *in l. qui in alienã* 6. D. *de acquir. heredit.* non eodẽ modo servus, non filius, non ex eodem fonte id nascitur; vt iam supra labijs attigimus, & infra discutiemus. Prius de servo instituto herede inspiciamus.

Vt extemplò dubitemus (quod sapientiæ morbum 138
PLINIVS vocat) non à longè insibilat textus difficilis *in l. si ex suâ* 36. D. *de acquir. vel amitt. here.* quâ POMPONIVS propriam suæ mentis sobolem continuò devorat; affirmans necessarium esse iussum, vt adeat servus coheres domino, si ex propriâ parte dominus primò adierit. RAPHAEL CVMAN. & IASS. *in d. l. si ego* compositionem à diversitate casuum mutuantur: nam domino inchoante à propriâ institutione, adhuc factum servi exigitur: nec verum erit dicere *servus adijt*: at cum dominus ab institutione servi exorditur, præcedente iussu, & servum adiisse, & dominum pro herede gessisse, nemo inficiabitur: quippè iussus domini, factũ ipsius est: probat reconditũ Iurisconsulti respõsum *in l. si cùm filius* 2. D. *de donat.* & voluntas non solùm verbis, sed facto etiam fit manifesta *l. Paulus respondit* D. *rem rat. haber.* immò tunc efficatior est *l. si tamen* §. *ei qui servum* D. *de ædilit. edict.*

Gravatur, verùm his potius, quàm iuvatur legis nostræ 139
doctrina, si quidem non imbellis, sed robusta difficultas obiicitur ex *l.* 1. D. *de acquir. vel amitt. hered.* cùm idem PAVLVS, qui totam hereditatem acquirere potest pro parte eam sciendo adire non posse clamitet. Incideret hicse in

absurdum GAI in *l. nam absurdum* 7. D *de bon. libert.* iudicium defuncti partim evertens. Ergò cùm delata sit tota hereditas servo simul & domino in vtriusque legis specie, nihil iuvabit principium aditionis domini, nec praecedens iussus vt arte servus adeat, diversificabit vtiliter praedictarum legum quaestiones.

140 Ab his erumnis, vt Consultum liberemus, petenda est superioris doctrinae veritas, ex diversitate rationum dubitanti PAVLI in *d. l.* 1, *&* *l. si ego* D. *de acquir. hered.* & POMPONII in *d. l.* 2 D. *eod. tit.* Flare, & sorvere, se impediunt: praenoscemus ergò (vt aliquantulum liberè respiremus.) individuitatem hereditatis illaesam conservari ab vtroque Iurisconsulto, cùm saltem per ius accrescēdi portio portionem trahat *l. si duobus* 40. *l. si mihi pure* 59 D. *de legat.* 2. Huc respexit PAVLVS in *d. l.* 1. quasi diceret, tota hereditas delata nunquam scindi valebit: sive enim per ius accrescendi, sive per acquisitionem institutionis iure, vtpote individuum corpus, integra servabitur. POMPONIVS in *d. l. si ex sua*, & idem PAVLVS in *d. l. si ego* de institutionis iure loquuti, & de acquisitione per aditionem, variè sed verè statuunt: dominum à propria institutione auspicantem nondum iure institutionis acquisiisse portionem servi, immò praerequiri iussum, qui si praecedat, & praeparet aditionem servi *l. si quis mihi bona* §. *iussum* D. *de acquir. vel amitt. heredit.* tum iure institutionis propriam etiam dominum quaesisse vnciam PAVLVS docet, POMPONIVS non negat. Sublato ergò iure nocendi, & sopitis dubijs, verumque esse compertissimi iuris in theoria principium, haud invita Minerva, existimabitis.

141 Adamantina alia nunc difficultate percussus sic insurgo, & expendo celebrem textum in *l. si quis heres* 35 in principio D. *de acquir. heredit.* in qua VLPIANVS superioribus nō ancillatur regulis, immò sibi cōstituit sequentia. Servus fuit heres institutus, & iussu domini adijt hereditatis semissem, V. C. mox manumissus, si ex causa substitutionis adeat, ex hac quoque parte dominum heredem effici scribit DO-

MITIVS; ac si idem esset & heres institutus, & coheredi substitutus. En iussus non præcessit, nec potuit, servo iam manumisso substitutionis tempore, & tamen dominus in vtroque semisse indistinctè fit heres: igitur ex mente VLPIANI corruit PAVLI, & POMPONI superior doctrina.

Nec mediocri auctario difficultatem locupletat idem VLPIANVS in principio *d. l. si quis heres* 35. eam suæ decisioni rationem annectens. *quoniam invito quoque ei accrescit portio.* Ergò ad hanc in vtroque eventu eundum est, vt sive dominus ordiatur à propriâ institutione, sive non, iussus novus non desideretur neq; præceptū, vt vtriusq; portionis existat heres. Deinde quid est? quòd dominus substitutione servi vtatur invitus; nisi quòd semel heres, non potuit desinere esse heres *l. ei qui solvendo.* D. *de hered. instituen.* 142

IACOB. CVIAC. à quo nunquàm non discimus, nunquā dicedimus sine aliquo doctrinæ spico *lib.* 12. *Observat. cap.* 14 *in d l. si quis heres* 35. substitutionem factam appendicem vocat præcedentis institutionis, aluvionem, accretionemque, cùm fuerit reciproca, cuius inventum ad tollendas leges caducarias, vt in *l. si ego.* §. *si ego* D. *de iniust. rupt. l. si is qui* 6. D. *de vulgari, & pupill. subst. l.* 1 §. *id quod ex substitutione* D. *si cui plus quam per leg. falcid l. vt heredibus* 50. D. *de legat.* 2. refert BALDVIN. *ad Iustinian. pag.* 456. Et hoc in causâ fuit, vt substitutio mutua & reciproca in multis iuris accrescēdi naturam æmularetur *l. testamento* 6. *C. de impuber & alijs.* explicuit affatim eximius ille vir Salmanticensis Academiæ nostræ decus, theoricæ iurisprudentiæ culmen & columen Dom. D. ILDEPHONSVS GVILLEN DE LA CARRERA supremi tandem Regij Concilij Castellæ Senator in commento *l. vnicæ C. de caduc. tolle. à n.* 50. Ex quibus fluit dominum in *d l. si quis heres* 35. potius iure accrescendi, etsi velato nomine, fieri heredem in portione servi, nec novo indigere iussu, & hoc antiquo iuris arcano VLPIANI dubitationi præcidimus filum. 143

Conturbat quasi vindex idem VLPIANVS hanc sententiam in *l. Papinia. nus* 43. D. *ad Trebel'ia.* vbi acutissimi vi- 144

it ingenio cavetur accrescentem portionem nō egredi in-
stitutum heredem, & si rem non habeat: obviter, subti-
liter. Enim vero edisserit, fiduciarum heredem pro parte in-
stitutum cogi ieterum : oportere, post restitutionem fidei-
commissario coactè semel factam, vt denuò repudiatione
coheredis accrescentem portionē restituat: ergò ius accre-
scendi personam, non portionem insequitur. Igitur in *d.l.
si quis liberos*, vt si substitutio illa reciproca iuris accrescen-
di naturam induat, adhuc servum manumissum, vtpote in-
stitutum heredem persequi debuit, qui in dubio non con-
templatione domini, sed sui ipsius dicitur institutus *l. debi-
tor* 82. *§. servo* D. *de legat.* 2 *l. vltim. C. de vsufruct.* nisi in insti-
tutione, domini mentio fiat, iuxtà elegantem textum in *l.
cum aliquis* 21. *C. de iur. deliber.* vbi notant omnes.

145 Vt progrediamur, citò me expediam, servum tempo-
re institutionis, & substitutionis personam à domino reco-
gitans. Potius itaq; inspicienda persona domini fuit, & por-
tio semel illi acquisita: vt substitutio appēdix, seu ius accre-
scendi primæ institutioni accederet: at in *l. Papinianus* ne-
mo est, qui nesciat, & si prima tantū iuris elemēta libaverit,
actiones directas ossibus fiduciarij heredis radicari, & co-
mitari illū, vt vmbra corpus, & visus oculū: quin Pegasianū,
vel Trebellianum Senatusconsultum quicquam efficiant,
quominus qui semel fuit heres, iam non sit. Plenius repetit
Ant. Fab. *lib.* 15. *Coniec. cap.* 13. Sic non pungit Vlpianus.

146 A diverticulo ad viam redeo, vt Ivlivm Pavlvm ex
plicem in famigeratâ *l. si solus* 80. *§. item si servus.* D. *de ac-
quir. vel amitt. hered.* quâ maximè præmimur (quis vnquam
est medijs trāquillus in vndis?) Proponitur servus ex parte
purè, sub conditione ex parte institutus heres, qui iussu do-
mini puram agnovit: tandem ante adventum conditionis
manumissus conditionalem adijt: dissertis verbis Patavinus
decernit, primam portionem domino acquiri, secundam
verò servum manumissum comitari, vtpote novum
iam hominem *l. si servus legatus* 27. *§.* 1. D. *de adim. legat.*
Inquiro nunc, præcedenti institutioni secunda conditionalis

cur

cur non adhæret ? & portio ſubſequens portioni non accreſcit? cur vnica aditio vtrique parti non deſerviat?non appendix ? non ſequela inſtitutio conditionalis eſt ? Fertur efficaci ſpiritu IACOB.CVIAC. in hanc legem,non panuceâ indutus, ſed perpolitâ veſte ſermonis, & ingenio ſuo ſydera lambit : advertit enim , ſpeciem PAVLI in *d.* §. *item ſi ſervus*,dato coherede, proponi (ex ore CVIACI ſecundò tranſit in textum) quæ datio coheredis magni momenti eſt,vt ſtet per ſe conditionalis ſecunda inſtitutio,& appendix prioris minimè dici valeat,cùm impediat deficientem portionē integram domino accreſcere;vndè evenit ſervū, adveniente conditionis die manumiſſum , iure portionem ſecundam comitari.

Nec fœliciter raucus iam ANT.FAB.*lib.* 15. *Coniectur. cap.* 20. CVIACIVM reprehendit,eâ ratione motus , quòd 147
non hanc ſententiæ ſuæ cauſam PAVLVS reddat, ſed longè aliam,& ſuo videri planè diverſam : ſcilicet quòd omnia paria permanere debeant in id tempus, quo alterius portionis conditio extet, vt acquiratur ei,cui prior portio acquiſita eſt; quarè delenda eſſe illa verba *dato ſcilicet coherede* ingenuè ſentit· Ego tamen etſi non vectarer abſtinendi ab emendationibus noſtratum ſuperſtitioſâ potius , quàm prudenti religione , adhuc antiquum *d. l. ſi ſolus* §. *item ſi ſervus*,ſuſtinerem ædificium , nam vt ſubtiliter præceptor meus Dom.D MELCHIOR DE VALENTIA(quem honoris cauſâ nomino,& non pœnitet, nec pœnitebit vnquam) *in titulo de acquir.hered cap.5.n.4.* cogitavit, ratio à Conſulto propoſita ibi:*Dato ſcilicet coherede* , murus deciſionis eſt, & in cauſâ vt pars conditionalis appendix non fuerit prioris inſtitutionis,effecit enim, paria omnia permanere, deficiēte conditione , cùm inter dominum , & coheredem ſervi portio tūc dividatur. Quibus prævijs,accedit iam difficultatis interitus,& pleno calle diſtare,non iniuſtè affirmabimus, ſpeciem PAVLI *in d.*§. *item ſi ſervus*, ab VLPIANI caſu *in d.l.ſi quis heres* 35.D.*de acquir.heredit.*

Luce donatur etiam TERENTIVSCLEMENS *in l.ſi ſervus* 148

tius

tius D.*eodem titulo*, servum eius domini, qui capere non potuit; heredem institutum, tempore aditionis manumissum sibi acquirere hereditatem; sine vllo periculo defendens; quia nulla alia institutio præcessit, cui accederet, vt appendix, sequela, seu alluvio; servus ergò insolidum fuit institutus heres. Sed non sine sale hæc degustanda sunt, ni citra fraudem legis manumittatur, ne fraus totam masam corrumpat; id est citra fraudem legis Iuliæ & Papiæ, de cœlibe seu cælite interpretor, nam vt olim QVINT. SEPTIM. FLORENS TERTVL. *Leges hæ* (quæ novæ dicebantur) *parentes præmijs honorarunt, pœnis cœlibes notavere*; amissione videlicet hereditatis, vel legati, vt ipse tradit *lib. de Monogam.* vt de patre orbo & solitario scriptum est, & colligitur ex *l. cū ei* 42. *l. Titio* 55. §. 1. D. *de legat.* 2. *l. fidei* 28. D. *de legat.* 3. *l si is qui* 6. D. *vulga.* referunt PICHARD. *principio instit. de heredit. quæ ab intest. deferu.* & CALDEIRA *lib.* 4. *variar. lectio. cap.* 3. *n.* 17. *l.* 3. *C. de infirman. pœn. cœlib.* VLPIANVS *in fragment. tit.* 22.

149 Dices, si dominus heres institui nec posset in *d. l. si servus eius*; servo, quamvis citra fraudem legis manumisso aditionis tempore, portio vlla non acquiretur? cum vtroq; & institutionis, & aditionis extremo capacitas instituti heredis inspiciatur. *l si alienū* 41. §. 1. D. *de hered. instit.* Omissis aliorum desiderijs, iuris arcanum resero; & ad id suppono; cretionis formulam, cuius meminit VLPIANVS *in fragmēt. tit.* 22. §. *cretio*, & apparet *ex l.* 1. *&* *l.* 2. D. *de iur. deliber. l. cretionum* 17. *C. eodem titul.* VARRO *lib.* 5. *&* 6. *de Ling. latin.* PLIN. *epist.* 10. ISIDOR. *lib.* 5. *Ethimolog.* CICER. *ad Atticum epist.* 46. *&* 1. *de orat.* & in decreto GRATIAN. *in c. ius quiritum* 1. *dist.* ALCIAT. *lib.* 1. *dispunct. cap.* 3. quo verbo intelligitur plenè textus *in l. pupillus.* ibi: *Neq; decernere talis ætas potest*. D. *de acquir. hered.* CVIAC *lib.* 7. *Observ. c.* 18. plures excitit circa idem antiquitatum subtilitates GOVEAN. *lib.* 1. *variar. cap.* 25. ANT. PICHA. *in* §. *item extraneis n.* 28 *inst. de hered qualit & different.* eo inductam, vt intra centum dies, aliquando vtiles, continuos aliquando, institutus

tus heres cerneret, adiretque hereditatem *l. is qui heres* 13. §. *substitutus* D. *de acquir. heredit.* excepto suo herede, qui cretione institui nunquam permittebatur, vt communiter Doctores *in l.* 1. D. *de success. edict.* orbus ergò, seu solitarius pater, & cœlibes, à principio poterant heredes institui, vt LVCIANVS salibus & dicacitate scribit *in dialogo inter Cremonem, & Damnipum*, sed quasi centum dierum dabantur moratoriæ, quibus si cœlebs vxorem duceret, orbus procrearet, vt vitarent pœnas legũ: servus ergò institutus *in d. l. servus eius* personatur à domino capaci tunc institutionis tempore, quo retrò denotatur extremitas: argumento. *l. Gallus* in principio D. *de liber. & posth.* (monstruosa lex in quâ Gallus loquitur) *l. si is legatum* 4. D *de condit. & demonstra.* vt postea manumissus dignus fuerit hereditatis.

Vt mentem PAVLI maior difficultatũ moles nobilitet, 150
rursus despiciamus, quid si in nostrâ *l si ego* servus cõmunis institueretur. PRISC. IABOLEN. etsi dubiæ sanitatis Consultus, id mirificè explicuit *in l. servus duorum* 64. D. *de acquir. vel amitt. here.* & refert servum communem heredem institutum, si vnius iussu domini adierit, post manumissum alteram sibi hereditatis partem quærere; quin valeat vnitas illa, & personarum subiectio considerari, vt in *d. l. si ego*, quia partiarius dominus in potestate socij non est, & servus hic communis duorum gerit servorum vices *l. si fundum* 61. §. *si servo* D. *de legat.* 1. *l. qui heredi* 44. §. *si duorum* D. *de condit. & demonstr. l.* 1. §. *communis* D. *de stipulat. servor. l. cogi.* 16. §. *si servo* D. *ad Trebellian.*

Subscribit & IABOLENO PAVLVS *in l. & si substitutum* 151
65. D *de acquir. vel amitt. hered.* & constituit in supradictâ specie *d. l. servus duorum*, servum, etsi habuisset substitutũ, sub eâ conditione *si heres non erit* manumissum admitti, excluso substituto, & ne dissentiat SCOEVOLA *in l. servum communem* 48. D. *de vulgar. & pupilla.* ibi: *Et verius est substituto locum esse*: præsciendum est, multum interesse, an servus cõmunis, cui substitutus datus fuit, manumittatur, an iussu alterius domini repudiet, vt notat ACVRS. *in d. l. servũ*

com-

communem, primo casu excluditur substitutus conditione defectus, ea enim fuit substitutionis conditio, si vel dominum, vel se ipsum non fecerit servus heredem: manumissus autem se ipsum fecit heredem. Hæc species IABOLENI. Repudiatâ verò hereditate iussu domini partiarij; neque dominum, neque se ipsum fecit heredem servus: admittitur ergò indubiè substitutus. Hæc decisio SCÆVOLÆ *in d.l. servum communem*.

152 Quid si duo vnius domini servi instituuntur heredes? singulos adire iubeat, vt per singulos acquirat, in filijs enim idem obtinuit *d.l. si quis heres* 35. § *sed si ex duobus*. ibi: *Debebit & alium filium iubere adire*. Sic, demptâ supercillio nube, apparet rectè PAVLVM principijs deservire iuris, dum inquit *si ego & servus meus*.

FRAGMEN II.

ibi... VEL FILIVS.



153 PRosequitur PYTHAGORÆ præceptum sequutus paucis plura complectens; hic ergò, etsi alteri, id est, patri acquirat, & subiiciatur, nō vt servus *l. potestatis* 215. D. *de verb. signific.* adeò repræsentat filius patrem absque diminutione propriæ personæ, vt pater caput sit, cætera membra filius, & adeò reciprocantur obligationes, vt filius non sine iustitiâ obtemperet patri, pater autem non sine iusto pondere feratur in filium: amor enim pondus, dicebat AVGVSTI. & filius à *filos* derivatur, latinè *amor l. liberorum* 220. §. *prætor* D. *de verb. signific.* ideò STATIVS, *Prolis*, inquit, *amor crudelis vincit pectora*, & patri non creditur, qui filium obtulit supplicio *in l. milites, agrum.* § *dessertorem* D. *de re militar.* & qui tangit filium, dicitur tangere pupillam oculorum patris, vt notat LVCAS DE PEN. *in l. vnica q.* 20. *prope finem C. de public. lætit. lib.* 12. Sic vehemens dicitur amor patris, vt nec amor ipsius filij ergà se ipsum illi possit æquari, imitâta,

quæ

quæ scripsit subtilis COSTA *in c. si. pater de testam. in 6. 1. p.* verbo *si absque liberis n. 6.* Nec filij integritas, & subsistentia in vrbe Romanâ periclitantur, eò quia nec momento retineat quæ acquirit, imò recipit incrementum: & fortè præ oculis habuit PAVLVS ad exemplum. Dicam pleniùs, & non invenustè.

Filius nec momento retinet quæ acquirit, ne turbetur vnitas repræsentationis, aut cedat caput membris *l. quod per manus* 10. D. *de iur. codicill.* etsi enim filius relativum quid sit ad patrẽ, vt per DECIVM *in l. eius qui in provincia n. 9. D. si cert. petat.* tradit IOAN. THOM. FRIGIVS *de Logic. Iuriscon. cap. 14. de relatis* æquum est, vt domus à seniore regatur, ARIST. 1. *Politi.* à patre, quod nomen dignitatis est, & olim decebat Imperatorem, qui pater Romanus dictus, vt de AVGVSTO fertur: sic AVSONIVS *ad Theodosium* scribens. 154

Tu modo te iussisse, pater Romane, memento.

Et MARO 9. *Æneid.*

Dum domus Æneæ Capitolij immobile saxum
Accolet, imperiumque pater Romanus habebit.

Iuncto ADRIANO TVRNEB. *adversarior. lib. 22. cap. 15.* quid moror dicere, aut erubesco? iam profero. Dum patri filius acquirit, sibimet acquirit, & in personâ patris, quasi in scrinio dominium bonorum asservat, vt continuet *l. in suis* 11. D. *de liber. & posthu.* probat etiam eleganter VLPIAN. *in l. qui in alienâ 6. §. si is qui putabat* D. *de acquir. hered.* casu quo filius iussu patris hereditatem adit, eo mortuo, videlicet quia scire debet, decedente patre, sibi acquirere *l. iusto §. vltim. in fine* D. *de vsucap.* PINEL. *Select. lib. 1. cap. 12. n. 12.* Non triviè ALEXAND. GALVAN. *in comment. l. Gallus cap. 2. n. 68.* ineptam vocat locutionem illam, *filius meus est mihi meus heres*, & eam esse verissimam prædicat, *filius meus est mihi suus heres*, quasi sui ipsius. Placuit idem ANT. FAB. *in Iurispr. Papin. tit. 2. de iur. natu. gent. & civil. princ. 5. illat. 3.* quia penè ad propria bona venit *l. 1. §. Largius* D. *de success. edict.*

155 Ecce, vivente patre, & veluti pro tunc suspensa administratione, & libertate voluntatis filij, continuatur dominiũ eius in domo patris, & mortuo patre, quasi nascente tunc administratione, & libertate voluntatis filij, vertitur in ore eius lingua patris, vt Poeta cecinit:

Vivit enim in nobis facundi lingua parentis:
Et res heredem reperit illa suum.

Et VIRGIL. 8. *Æneid.*

vt te, fortissime, Teucrũm
Accipio, agnoscoque libens: vt verba parentis
Vt vocem Anchisæ magni, vultumque recordor.

Vna vtriusque vox est. *§. si vero instit. de inutil. stipulatio.* quasi divisa nunquam nisi per mortem: rectè Modernus quidam Poëta:

Gnatus abijt, nostri pars maxima fulsit in urnam:
Me nigra sors cogit vivere dimidio.

156 Ex quibus paulatim colligitur, mutuam & reciprocam inter patrem & filium rationem iuris prodesse potius, quã obesse integritati personæ filij: si enim illius in patrem propensio, vt probatur ex illo SILI *lib. 4. de Scipione Iuvene.* in servando patre studio

Hinc puer, vt patrio defixum corpore telum
Conspexit, maduere genæ, subitoque trementem
Corripuit pallor, gemitumque ad sydera rupit.

Patris ergà illum naturalis charitas *l. nam etsi parentibus 15. D. de inoffic. testam* ibi: *Naturalem erga filios charitatem:* semper patris vota pro filio. Bellissimè CLAVDIAN. *lib. 3. Cons. Honor.*

Rex ô stellantis olympi,
Talis pro domito redeat mihi filius hoste
Hyrcanas populatus opes, aut cæde superbus
Assyria: sic ense rubens, sic flamine crebro
Turbidus, & grato respersus pulvere belli,
Armaque gaviso referat captiva parenti.

Et SILIVS Italicus *lib. 3.* de ANNIBALE duce eleganter scripsit

O spes, ô Carthaginis altæ
Nata, neque Æneadum levior metus amplius oro
Sis patrio decori, & fastis tibi nomina condas,
Qui superes bellator avum: iamque ægra timoris
Roma tuos numeret lachrymandos matribus annos.

Si horrenda patri præmatura mors filij; luctuosa filio mors
patris, quam adhuc exheredatus lugere tenetur *l. vltim. D.*
de his qui not. infam. nam institutus quid mirum? cùm ab
extraneo herede luctum desideremus in amictu atro, &
olim dum erat testatoris corpus supra terram novem die-
bus, quod tempus dictum fuit novendiale, iuxtà illud
HORAT. *Epodon. vers.* 47.

Nec in sepulcris pauperum prudens anus
Novendialeis dissipare pulveres. 157

Aliàs notabatur infamiâ, vtpotè ingratus & impius *l.*
2. *C. de dignitat. lib.* 12. Hinc heres non lugens contrahere
dicebatur porcam præcidaneam, vt ex CICERONE, FESTO,
VARRONE & GELLIO sumpsit IACOB. CVIAC. *ad Papinia.*
in l. vlti. D. de his qui not. infam. id est vt quotannis TELLV-
RI, & CERERI immolaret porcã ante fruges novas, quæ di-
cta est præcidanea, quòd mactetur, antequam heres possit
capere fruges novas, & arva metere, vt explicat LEVIN.
TORREN. *ad Horat. ode.* 28. *lib.* 1. *vers.* 36. indicat HORAT.

immolet ecquis porcum laribus.

Et PIERIVS apud HOMERVM legisse testatur, AGAMEMNO-
NEM per porcum iurasse: vide plura *lib.* 9. *Hyeroglif.* & spe-
cialiter de CERERE, cui mactabatur: OVID.

prima putatur
Hostia sus meruisse mori, quia semina rostro
Eruerit pando, spemque interceperit anni:

luget ergò filius, eluget vxor *l.* 1. *D. de his qui not. infam. l.* 139
15. *C. ex quib. caus. infam. irrog.* ideò reprehendo SILIVM, qui
lib. 2. lugendi verbo in vxore vtitur ibi:

Lugebat thalamos Murro spoliata marito.

Aliqua de more lugẽdi antiquo refert eruditissimus Dom.
Regius Castellæ Senator D. LAVRENT. RAM. DE PRAD. in

Pentecontarcho cap.20. si filius acquirit patri l. placet 74. D. de acquir. hered. pater filio ex voto parat l. penult. D. de bon. libert. l. scripto 7. D. vndè liberi, id est, ex officio: BALD. in l.2. n.13. C. de his qui accusar. non poss. si filio veneráda persona patris l. penult. in fine D. de obseq. parent. & patron. Exodi cap.20. vers.12. honora patrem tuum. Proverb. cap.19. 20. & 28. DIV. PAVL. ad Colossens. cap. 2. fuit etiam pater nomen religionis: sic VIRGIL. 12. Æneid.

Vertice se attollens pater Apenninus ad auras.

Authoramenti potestatem semper habuit, idem Poëta 11. Æneid.

Ipse pater famulam voveo.

Iuncto SERVIO: ibi: *Benè ipse pater, quia authoramẽti potestatem, nisi patres, non habent*, vndè & iudex fuit, iuxtà illud Genes. 37. *Accusavit fratres suos apud patrem crimine pessimo.* patri dulcis persona filij l. liberorum §. fin. D. de verb. sig. & IVVENAL. satyr. 6.

Sed placet Vrsidio lex Iulia, tollere dulcem
Cogitat heredem cariturus turture magno.

158 Et CASSIOD. variar. lib.2. cap.22. ibi: *Et quoniam in his personis mutua sunt officia pietatis, iniquum est filium genitori gratuitò non impendere, quod patrem magnis talentis cõstitit effecisse*: arctius est vinculum patris & filij, quàm viri & vxoris l. non vt à patre D. de captiv. & postl. rev. arctior obligatio filij in patrem: vndè SVRD. de alim. q.33. n.33. vxorem magis teneri subvenire patri, quàm marito in alimẽtis, edocet. Fuit olim in scholis dictitatum,

Diu vives, senectam si parentum nutrias.

Ergo pater non tam sibi acquirit per filium, quàm dum filium procreat, generat heredem: melius dominum appellem, seu quasi dominum, tum quia in idem coincidit l. his verbis D. de heredib. instit. tum quia magis decet: vel minorem dominum, vt observat CVIAC. lib.25. Observ. cap. 14. quis enim sine rubore viventis heredem laudet? l.2. §. illud D. de hered. vel act. vendit. l. moribus 2. §. interdum D. de vulgar. & pupillar. Dicam igitur filium sui ipsius heredem.

bonorum autem patris, quasi dominum, & non impropriè manum illius, cùm sæpius per manus acquiramus, iuxtà illud DIV. PAVL. *Act. Apost. cap. 20. Quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ*: & apud Romanos invaluit consuetudo, vt filij morientium parentum comprimerent oculos, quasi abstergentes pulverem. Huc forsan OVID. *epist. Penelop. ad Vlyss.*

Cui precor hæc iubeant, vt euntibus ordine fatis,
Ille meos oculos comprimat, illa tuos.

Fortiori ergò iure per filium pater acquirit, quàm per servum dominus, cùm filius sit particeps patris, teste TERENT. *in Adelph.* vel res patris, per textum *in l. verbis legis* D. *de verb. signi.* vbi facultas datur patri constituendi tutorem rei suæ, id est, filio: observat ALCIAT. argumento *l. in suis* D. *de lib. & posth.* COSTA *in c. si pater* 1. *p.* verbo *moreretur n.* 6. *de testam. in* 6. *Cum quo bona nostra partimur*, ait CICERO, cui pater dat esse, originem, sedem, honorem, non alius *l. cum legitimè* D. *de stat. homin. l.* 1. *l. assumptio*. D. *ad municipal. l. filiam. l. liberos* D. *de Senator. l. eos l. nullus C. de decurionib. lib.* 10. *l.* 1. *in princip.* D *ad municipal. l. filios C. de municipib. lib.* 10. *l. exemplo* 36. *C. de decurion. lib.* 10. Plura PINEL. *lib.* 2. *selectar. cap.* 17. *à n.* 19. ideò IACOB. CVIAC. *in l.* 17 D. *ad municipal.* repræhendit Poëtam dicentem. 159

Natum matre Sabellâ
Duceret in partem patriæ.

Ni voluisset impudicam demonstrare matrem illius, qui non patris, sed matris sequitur conditionem, vt de HERCVLE OVID. *lib.* 12. *Metamorph.* susurrat leniter. ibi:

Namque te iactas Alcmenâ matre creatum,
Iuppiter, aut falsus pater est, aut crimine verus.

Pater solus verè caput filij, honori, & commodo illius qui prospicit, cũ quo vna caro *l. cum scimus* § *fin. C. de agricol. & censit. lib.* 10 *l. fin. C. de impub. & alijs*, reputatur item filius parentis pars ARIST. 5. *Ethicor. cap.* 6. nam mater sola lacrumans in dolore sistit: hinc MANIL. Poët.

Prostratæ iacent miserorum in limine matres.

Et

Et VIRGIL. 7. *Æneid.*

Et trepidæ matres pressere ad pectora natos.

Vel vt SENECA *Palliatæ matres tenuere natos.* & SATIVS *lib.* 11.

Respirant Thebæ, templisque iacentia surgunt
Agmina, iam finis votis, finisque supremis
Planctibus, & natos ausa deponere matres.

De matre item elegans quidam Modernus.

Parce parens gemitu, nec longo incumbe dolori;
Ne vi oculos vrat tristior aura tuos.

Nõtissima etiam in iure illa subtilis differentia, quæ identitatem patris & filij, ab vnione servi & domini longè discriminat; nam licet inter servum, & dominum nulla sit hereditas iacens, quia protinus fit heres *l. ex parte* 58. D *de acquir. hered.* & in filio idem observetur *l.* 2. *§. vlt.* D. *pro herede l.* 1. *§.* 1. D. *pro donat.* CARROZ. *Miscellan. lib.* 3. *cap.* 16. *n.* 6. FORCATVL. *Dialog.* 36. *n.* 2 adhuc in servo vnum est instans delatæ, & acquisitæ hereditatis, ne suspicaremur continuationem dominij omnimodam : at in filio nullum est instans delatæ, & acquisitæ hereditatis paternæ, quia, vivo eo, verè est dominus: particula enim *quasi*, *in l. in suis* D. *de liber. & posth.* defectũ administrationis connotat: docet ALEX. GALBAN. *in d. l. Gallus. cap.* 2. *n.* 74. cùm & naturalem possessionem habeat *l.* 2. *§. filium.* D. *pro herede.*

160 Omnia hæc introspiciens PAVLVS, vt strictius procederet; postquam dominum, & servum institutos heredes finxit, annectit *vel filius*: altius repetens circa duorum hominum civilem identitatem, & repræsentationem.

161 Contra hanc stabilitam sententiam denuò insurgit VLPIAN. *in l. si quis heres* 35. *§. si exclusus* D. *de acquir. hered.* & vt daret nobis copiosam dubitationum vindemiam; proponit, patrem sub conditione heredem partialiter institutum, dato sibi coherede filio purè; & adhuc à sua portione exclusum remanere per conditionem sibi datam, etsi filiũ adire iubeat; quin possit dici quæsiisse suam portionem, ergò aditio filij iussu patris facta ad propriam patris institutionem

tutionem nō trahitur; imò iuris accrescendi naturæ nocet, si vertimur ad regulam textus in *l. qui ex duabus 53. §. fin. l. servus communis 67.* D. *de acquir. vel amitt. hered. l. hæc scriptura 26. §. 1.* D. *de cōdit. & demōstra. l. si Titio 33. §. 1.* D. *de vsufruct. l. vnic. §. his ita C. de caduc. tollen.* gliscit difficultas, cùm conditionis eventus *in d. §. si exclusus* nullius momēti videatur, & ideò nec expectādus *l. si quis ita 33.* D. *de hered. inst.*

Scriptores in explicandâ hâc lege, proprijs se suis pungunt ingenijs. ACVRS. ibidē *verb. dicendum erit*, tutius distinguit inter ius accrescendi, & institutionis; vt exclusus dicatur pater conditione defectus, iure institutionis inspecto, admissus verò, iure accrescendi. ANT. FAB. *lib. 15. coniectur. cap. 20.* abundare vult negationem, & legit *quæsisse suam portionem*, sed cùm non soleant propitijs auribus legum emendationes audiri, fugiendus potiùs, quàm sequendus erit nimiùm hic audax intellectus contra fidem vetustissimorum, & recentiorum codicum. 162 1

Placuit Præceptoribus meis dicere, conditionem *in d. §. si exclusus*, nec extitisse, nec defecisse, & fuisse potestativam: indicant illa verba *per conditionem sibi datam*, potestativa equidē conditio datur *l. inter 217. §. 1.* D. *de verb. signi.* casualis adscribitur *l. 3. §. conditio* D. *de adime. legat.* & in extraneis heredibus, cùm præcedere necessum sit adimplementum conditionis ipsam aditionem *l. 1. §. si parendi* D. *de condict. caus. dat. l. ei qui 13. l. si pupillus 26.* D. *de condit. institut.* spectandus fuit conditionis eventus, seu adimplemētum, & interim exclusum patrem non sine iustitiâ docemur. Et interest in d. specie an existat conditio, an deficiat: primo casu absolutè pater legatis adstringeretur, secundo verò liber esset, ante Imperatoris SEVERI rescriptum *in l. licet Imperator 71.* D. *de legat. 1. l. cum patronus 28. l. si Titio 61.* D. *de legat. 2.* DONEL. *lib. 8. Comment. cap. 29.* CVIAC. *lib. 18 Observ. cap. 12.* ALCIAT. *de Præsumpt. regul. 2. præsumpt. 35.* FACHIN. *lib. 5. Controvers. cap. 39.* Deindè si omisit pater adimplere conditionem potestativam spe lucri iuris ac- 163

accrescendi incideret in edictum *si quis omiss. caus. testam. l. cui servus* 25. D. *eodem tit.* rectè ergò interim exclusus pater est per conditionem sibi datam potestativam, aliter si esset casualis *l. 1. §. id quod ex substitutione* D *si cui plus quàm per leg. falcid. l. si quis ita* 33. D. *de hered. instit.* & iuvamur exemplo *l suus quoque.* D. *de hered. instit.* CVIACIVS resolvit filiũ institutum sub conditione potestativâ si ob culpam suam non impleret, etiam abintestato fore summovendũ; quod in casuali conditione quis diceret cùm non valeat tunc institutio? *d. l. suus quoque* 4.

164 Ni vehementer fallor, alia est mens Consulti: dubitaverat enim in principio: an qui ex parte heres institutus, mox substitutus adit quasi institutus, videretur ex causâ quoque substitutionis adiisse? & affirmat: illâ motus ratione: *Quoniã invito accrescit portio*, & statim quærit, an filius familiâs, vel servus instituti simul, & substituti adeuntes iussu patris, & domini ex causâ institutionis, viderentur eodem modo adiisse si post emancipationem, & manumissionem ex substitutione adierint? affirmat etiam, & reddit rationem. ibi: *Sunt enim appendices præcedentis institutionis.* Tandem subtilius inquirit: an si pater pro parte conditionaliter institutus, dato ei filio coherede pro parte purè, defectus conditione iusserit filiũ adire, videatur ex suâ quoque portione adiisse? & respondit, non quæsiisse patrem prædictum suam portionem, quia videlicet, acquirit portionem filij, cui annexa iam est portio deficiens: ac si diceret, iam non pater hic acquirit portionem vt suam, quia ex se exclusus invenitur defectu conditionis, nec iure accrescendi, nam non manet heres ex se, sed acquirit portionem deficientem, vt portionem filij, non vt suam, cùm, medio iure accrescendi, tota hereditas facta sit portio filij, cuius institutio dicitur aliena patri *l. Iulianus* 26. *in fine principij.* ibi: *Alienam substitutionem maluit.* D. *si quis omiss. caus. testam.* huc fortè respexit GOTHOPHRED. dum *in d. §. si exclusus:* affirmat, patrẽ intelligi exclusum, vt non acquirat iudicio testatoris, non verò, vt nec patrio iure acquirat, id est per mediam perso

nam

nam filij, non vt heres defuncti, sed vt pater heredis instituti coheredis: tota ergò subtilitas consistit, & relucet, ibi: *Non quæsiisse suam portionem*, cùm nec vt heres institutus, nec iure accrescendi percipiat, sed vt pater, & iure patriæ potestatis, adeò, vt si filius non esset institutus, omninò excluderetur ab vtrâque portione. Quibus annexis luce, soleque nitidiora iam VLPIANI verba resonant *in d. l. si quis heres* 35. quæ ACHILLES est totius nostræ materiæ.

Sed en PAPINIANVS *in l. Iulianus* 26. in principio D. *si quis omiss. caus. testam.* identitatem patris & filij omninò evertit, & vt clariùs appareat, sic argumētor. Quoties vnus, idemque instituitur, & substituitur homo, etiam si ex institutione omittat, vt habeat ex substitutione, non incidet in edictū *l.* 1. §. *si proponatur* D. *si quis omiss. caus. testam.* id autem ex duplici causâ: vel quia iustè noluit ex institutione adire *l. quia autem* §. *non simpliciter* D. *eodem titul.* vel quia testator hanc ei concedere facultatem videtur; quâ ratione forsam motus, expressè idem PAPINIANVS statuit in filio, cui pater substituitur *d. l. Iulianus* 26. §. *denique*: atqui si pater substituitur, & filius ei substitutus sit incidit in edictū pater omittēs institutionem, ergo perpetua non est in iure hæc personarum identitas. 165

Varijs omissis declarationibus, distinguendæ sunt species, nam vel pater substituitur institutæ filiæ, & tunc habet se ac si institutus & substitutus sit, testator enim dedit arbitrium eligendi, vt refert PAPIANVS in d. §. *denique*: vel pater instituitur, & ei filius substituitur: hoc casu si omisso proprio honore, ex substitutione habere maluit, incidit in edictum, quia filius solùm substituitur in casu. Affirmamus igitur, à testatore distinctas considerari personas patrem, & filium *in d. l. Iulianus* quod quidem non mutat iuris identitatem quoad acquisitionem. Plura scitu digna & selecta egomet iam diu lubentia relegi circa *d. l. Iulianus*. 166

Denique in hâc parte difficilis redditur textus *in l. si pupillus* 21. §. *si ego* D. *ad leg. falcid.* nam PAVLVS ipse noster seruum & dominum, patrem & filium heredes institutos 167

aliter considerat circa falcidiam, & integram portionem filij, vel servi proficere legatarijs decernit, etiam si patris, vel domini pars exhausta fuerit. Econtra verò integram portionem patris, vel domini non proficere, si filij, vel servi institutio legatis oneretur: ergò turbatur vnitatis, subiectionis, & repræsentationis ordo supra dictus. Confirmatur *l. in singulis* 77. D. *ad lege. falcid.* & nimis vrgent textus *in l. in testatoris* 34. *l. planè* 35 *l. sed si non servus* 36. §. *si solus* D. *eodem titul. l. sed duobus* 5 *in fine* D. *de legat.* 2. *l. si fundus* 23. *l. in quantitate* 73. §. *vltim.* D. *ad leg. falcidiam.* BARTOL. *in l. qui fundum* 5. *coheres* D. *eodem titul.* DONEL. *lib.* 8. *comment. cap.* 23. IACOB. CVIAC. *lib.* 4. *Observ. cap.* 35. Ex quibus infertur, in institutione patris & filij, servi, & domini componendam falcidiæ rationem, ac si duo essent distincti heredes instituti. Crescit dubium argumento PAVLI *in d. l. si pupillus* §. *si ego*, si eidem personæ, inquit, centum legata essent, & simul servus relictus, integra falcidia ex legato centum deducenda erit *d. l. sed si non servus* 36. §. *si solus* cum supra citatis. At si patri & filio, domino & servo diversa legẽtur, ex omnibus sua falcidia deducitur, ergo distant inter se adeò pater & filius, dominus & servus, vt nec subiectionis, repræsentationis ve nexu possint, vnius heredis instar haberi.

168 Rem hanc lubricam sic vereor, vt concedere cogar, patrem, & dominum per mediam personam filij, & servi dum sibi quærunt, non perinde semper haberi, ac si ipsi per se acquirerent: quis enim dubitet, patre insolidum instituto herede & adevnte, vnicam esse integram, & principalem portionem acquisitam, at si accedat portio filij coheredis, accessoriam indubiè esse respectu portionis patris idem in domino observo. Vndè evenit portionem patris, vel domini, vtpotè principalem, augeri per accessoriam posse, econtra non vtique. Indicat mihi GAIVS *in l. quod si alterutro* 78. D. *ad leg. falcid.* Sed vt iam in hoc æquore securiùs vitam credamus ventis, & astris, suspicor PAVLVM *in d. l. si pupillus* 5. *si ego* identitatem potius personarum

comprobare: si enim singuli independentes omninò essent heredes, nec augeretur portio patris per portionem filij, partem ve domini per servi partem, vt legatarijs proficeret, vel noceret: imò ad separationẽ observaretur, sine vllo discrimine decisio *l.in singulis* 77. D.*ad leg. falcid.* Proficit ergo, vel nocet, exhaustam, esse vel integrã portionem filij, vel servi, quia patris, &domini lucro cedit hereditas vtriusque subiecti; igitur vnitas illa ficta personarum, identitas, & subordinatio relucent in specie PAVLI *in d. l.si pupillus* §. *si ego.* meliùs & clarius quàm probetur distinctio. Elegantissimum pro hâc re facit PAPINIANI responsum *in l. cum filio* 11.D.*de legat.* 1.ibi: *Cum ipsis. per quos commodum hereditatis, vel legati, patri, domino ve quæritur*, iuncto principio. ibi: *Ac tunc demum ex personâ ipsorum fideicommissum vires capit.* Exemplum verò PAVLI de legato relicto, domino & servo ad deductionem falcidiæ variatur, vt videre est *in l.cum quo* 56.§.*Stichum* D.*ad leg.falcid.* in quâ re luberet, si liceret diutiùs pervagari, sed temporis angustijs oppresso, neque licet, neque lubet: vnus ille, cui palma defertur GOVEANVS videndus *ad titul.* D.*ad leg.falcid.in d.l.si pupillus* §.*si ego.* Quæ omnia, cùm sint veritatis fulcita muro, & superior difficultas evanescit veluti crepundia venti; & manet dignè altâ mente respostum iudicium PAVLI *in d. l.si ego.* ibi: *Si ego & servus, vel filius heres institutus sit.*

FRAGMEN III.

ibi... SI IVSSERO FILIO, VEL SERVO ADIRE.



PAVLVS iterum: id tamen antecedenter oportet fieri: docet VLPIANVS *in l. si quis mihi bona* 25.§.*iußum.* ibi: *Sed præcedere debet.* D. *de acquir.vel amitt. hered.* ne invitum patrem filiº, dominum servus obligent æri alieno *l. qui in alienâ* 6.in principio.D.*eodem titul.* & iussus hic, non pœnitentiâ extinctus, non morte, non furore *l. qui servum* 47.*l.si* 169

quis alicui 48. *l. si per epistolam* 50. *D. eodem tit.* DONEL. *lib.* 7. *Comment. cap.* 6. MOZIVS *de Contract. titul. de mandat.* CVIAC. *ad African. tract.* 4. *ad l.* 47. DVAREN. *de Acquir. hered. cap.* 4. ANT. PICHAR. *ibidem n.* 6. *cap.* 19.

170 Adversus hæc conspirat VLPIANVS hucusque nobis discordiæ author *in d. l. qui in aliena* 6. §. 1. & ratihabitionem patris, vel domini sufficere, scribit, quæ tamen non antecedit, sed subsequitur. In bonorum possessione do libenter: PAVLVS verò de aditione loquitur: verum esto, sed quid discriminis causam, inquiramus: hic saltus, hic Rodus. Varias refert ALCIAT. *lib.* 4. *Parerg. cap.* 3. DONEL. *lib.* 7. *Commentar. cap.* 6. IACOB. CVIAC. *ad titul. de bonor. possess. in l.* 3. §. *acquirere.* PINEL. *in l.* 1. *C. de bon. matern.* 1. *p. cap.* 3. DVAREN. *ubi supra n.* 6. *cap.* 4. LORIOTVS *tract. de adit. heredit. axiomat.* 17. & tandem DECIVS *in l.* 1. *C. qui admitti* ad miserorum confugit asylum *l. non omnium* 20. *D. de legib.*

171 Vt hi, & alij componantur Authores, ponendum est aditionem hereditatis, sive olim per solennem cretionem, sive per gestionem fieret, aut geritionem, vt loquitur CVIAC. *in Fragm. Ulpian. tit.* 22. statim adeuntem heredem directò dominium *ex leg.* 12. *tabularum* constituere. PETRVS GREGOR. *lib.* 46. *Syntagm. cap.* 4. PETR. FAB. *lib.* 2. *Semestr. cap.* 22. dummodo sit ex his, qui heredes instituì potuissent. nec enim omnes homines statim heredes fieri testamento poterant, imò nec omnes Dij, iuxtà VLPIAN. *in Fragm. ad tit. qui hered. instit. poss.* ibi: *Deos heredes instituere non possumus, præter eos, quos Senatusconsulto, constitutionibus Principum instituere concessum est: sicuti Iovem Tarpeium, Apollinem Didymæum, sicuti Martem in Gallia, Minervam Meliensem, Herculem Gaditanum, Dianam Ephesiam, matrem Deorum Cybelem: eam quæ Symirna colitur: & Cœlestum Salinensem Carthaginis.* De hoc Dæmone SALVIAN. scribit *lib.* 8. *de Provid. Dei,* & AMBROS. *in epist. ad Valent. Imperat.* Ex quo provenit taliter heredem induere personam testatoris per repræsentationem, vt eam amplius exuere non possit *l. hereditas* 34. *D. de heredib. instit. l. ex facto* 1993. *ultim.*

D.*de vulgar.l.ait prætor 7.§.sed quod Papinianus.*D.*de minorib.l.hereditas ex die.l.ei qui solvendo* 88.D *de hered.instit.* ergo si iussus patris, vel domini non præcedit, nunquam admittetur, cùm post aditionem sera repudiatio sit; & post repudiationem aditio, hereditate iam delatâ: aliàs nec obstat renuntiatio, nec admittitur petitio. *l.is qui heres* 13. D. *acquir.hered.* quod mirificè probat VLPIAN. *in Fragment. tit.*22.*qui hered.inst.poss.§.cum cretione.* ibi: *Ideoque etiam si constituerit nolle se heredem esse, tamen si superstint dies cretionis, pœnitentia actus cernendo heres fieri potest.* Quia deferebatur hereditas per centum dies, iuxtà formulam illam. *Titius heres esto, cernitoque in diebus centum proximis, quibus scieris, poterisque, nisi ita creveris, exheres esto.* Ast in bonorum possessione (vt progrediamur) cùm prætor directò dominum non cõstituat, nec heredem, imò nec possit, vt colligitur ex definitione bonorum possessionis *l.* 3. §. *bonorum* D.*de bonor.possess.* quæ non dicitur successio in vniversum ius, vt hereditas. *l.nihil aliud* D.*de verb.signific.* sed ius retinendi, prosequendiq; patrimonij *d.l.*3. iussus non prærequiritur, & ratihabitio sufficit, & est locus pœnitentiæ. Ergo PAVLVS, qui non de bonorum possessione prætoriâ, sed de aditione civili sermonem instituit, iussum in filio, & servo antecedenter desiderat.

Generalem hanc decisionem ex PAVLI mente, & ver- 172
bis desumptam, & ex *l.qui in alienâ* 6. quam popularem cantilenam, & non omninò veram dicit ANT.PICHAR.*ad titul.de acquir.hered.cap.*17.*n.*1. impugnat difficillimus, etsi familiaris textus in *d.l.qui in alienâ* 6.§. *interdum*, vbi filius sine aditione hereditatem lucratur patri, ergo sine iussu. Memorandum & celebrem hunc paragraphũ vocat MENCHAC.*de Success.creation.lib.*1.§.10.*n.*441.*& lib.*3. §.21. *n.* 220. novissimè illum extollit ANT.FAB.*lib.*9.*Coniectur.cap.* 20. quare multi non infimæ notæ, & veteres Gymnasiarchæ exceptionem regulæ hîc subiici voluere, & insinuari dictione illâ *interdum* iunctâ *l.interdum* 29.D.*de condict. indebit.l. interdum* 21.D.*de acquir.possess.* §.*interdum instit. de rer. di-*

vis.

vij. Plausibilior illorum sententia est, qui existimant, nepotẽ suum extitisse heredem avo *in d. §. interdum l. qui in aliena 6.* ideoque abfuisse iussum patris, & hunc etiam invitũ hereditariis avitæ successionis oneribus implicari, expressẽ eleritur ex eo, quia si nepos avo non esset suus necessarius heres, nec patrem faceret necessarium *l. nemo plus 55. D. de regul. iur.* contra clarissima verba *d. §. interdum.* ibi: *Et quidẽ necessarium.* Tempus sine intermissione labitur, nec sinit, vt quaramus scaturigines, & quasi fontes, vnde contingeret, doctrinam fortè sumere meliorem: ideoque sufficit brevi penicillo depingere ancipitem illam quæstionem, à qua paragraphi huius sensus continuò fluit. Verum scilicet filius in sacris paternis constitutus si hereditatem sine iussu adierit, nulliter adeat? an sibi quærat? & Digestorum tempore capax bonorum fuerit? in quâ subtili disputatione, nõ vna, sed plurium legum copia nos facit inopes, tot enim sunt. Quot coryli in Atho, quot apes pascuntur in hibla.

173 Vt probare possimus affirmativã sententiã: difficiliores eligo Consultorũ species, militũ phalangibus similes videlicet *in l. Prætor ait 4. §. sed & filius D. de iudiciis;* vbi Iv-LIAN. mavult filium aliquando quæstum referre patri. *l. §. si quid minori vers. sed etsi ei* D. *de minor.* in quâ VLPIAN. cohærere posse legatũ personæ filij, apperto ore profert. *l. Æmilius 58. §. quod vivit ne D. eodem titul.* ibi: *Cùm patri acquirere possunt l. Pomponium Philadelphũ D. de leg. prælegat.* In hoc difficultatum agmine possem, quam vellet quispiã defensare partem: dixisse nunc sufficiat, faciam, si placuerit impugnanti, & impugnet primam, vel secundam opiniõe qui volet, non repugno, & interim cõtentus ero titulo quæstionis, quam collatis signis examinãt ANT. PICH. in *titul. de acquir. hered. cap. 15.* per totum, & Præceptor meus D. MELCHIOR DE VALEN. *in Comment. d. l. qui in aliena* semper magis arridet Præceptoris, vtporè doctissimi mens, & quia maiori & fortiori ratione iuvatur, cùm voluntas patris efficere nõ valeat, ne filius illi acquirat, sicut nec scindere vnitatem, & repræsentationem filij pàtrisq; vinculum patriæ pote-

te-

testatis per emancipationē solverit *l.cum quidam* 26. D. *de iur. fisci*, nec destituta est secunda hæc, & verior opinio legum fulcro, & authoritate, cùm adstipulentur illi *l. mulier* 22.in princip.D.*ad Trebell.l.si ita esset* 15. D.*quando dies legat.cedat.l. vbi purè* 19.D.*ad Trebell.l.fideicommissa* 11.§.*si filio* D.*de legat.*3.*l si quis filium* 15.in princip.D.*de collat. bonor l.si pater filiū* 6.D.*vnde liber.l.si quis pro eo* 56.D.*de fideiusso. l.donationes* 31.§.*pater* D.*de donat.l.*2.§. *vltim.*D.*pro hered.* quas omnes fusè expendit prædictus Præceptor noster *à n* 8. ergo iuri consona est PAVLI decisio.ibi: *Si iussero filio vel servo adire*: cùm semper illæsa conservari debeat ratio illa, quâ docemur, invitum patrem, vel dominum æri alieno obligari, iniustum esse.

FRAGMEN VLTIMVM.

ibi... ET STATIM EX MEA INSTITVTIONE ME HEREDEM ESSE, POMPONIVS SCRIBIT, IDEM ET MARCELLVS PROBAT, ET IVLIANVS.



AD titulum, sub quo iacet reversus est PAVLVS vt subsignet excursum, nos etiam qui sumus iam in cacumine montis receptui canamus:& vt fœliciter id fiat, duo sunt in memoriæ observanda templo. Primum, ad individuitatem hereditatis respexisse PAVLVM in præsenti. Secundum individui corporis illud esse proprium, vt qui tangit in puncto, totū tangere videatur *l.vulgaris* 21.D.*de furt.* ibi: *Qui auriculam hominis tangit, totum hominem, &c.* individua autem hereditas est, quia successio, & repræsentatio vnius individui *l.hereditas* D.*de acquir.rer.domi.l.heres & hereditas* D.*de vsucapion.l.*1.D. *de relig. & sumpt. funer.l.mortuo* 22. D.*de fideiussor.l.nihil aliud* 24.D.*de verb.signifi.l.si Titio* 55. §.1. D *de legat.*2.*l.cum hereditas* 9. C. *deposit.* & cùm heres quandoque adeundo, evacuata iam hereditatis iacentis fictâ personâ, à morte testatoris illum repræsentare intelligatur *l.heres quandoque* D. *de acquir.vel amitt.heredit.* in quo 174

solum

solum munere, & officio dicitur hereditas repræsentare heredem, hoc est, in repræsentando *l. novatio 24. D. de novation.* quasi intret illius locum, sicut substitutus instituti: quò respexit HORAT. *Satyr. 5. lib. 2.*

leniter in spem
Arrepere officiosus, ut & scribare secundus
Heres.

Rectè habemus, scindere hereditatem non posse, *alias* scinderet, & iudicium & repræsentationem, quod non licet *l. nã absurdum 7. D. de bon. libert.* & periclitaretur exsecutio, cùm solatium fati sit integra voluntas ultra fatum. Et existimo secundam fictionem *d. l. heres quandoque,* eò inductam, ne vel quoad minimum temporis divisam fuisse repræsentationem cogitaremus: & præcipuè id necessum fuit respectu servorum, cùm iacens hereditas non sit capax iubendi, ut notat VIGLIUS *in §. servus alienus instit. de heredib. instit.* ne, inquam, servus sine domino consideretur, si tempora discontinua sint. Nec novum in iure aliquando retrò fingi fictionem ipsam, ut videre est *in l. qui in utero D. de stat. homin.* Ergo benè PAULUS uno contextu scribit: *Si ego & servus meus vel filius, heres institutus sit, si iussero filio, vel servo adire, statim & ex meâ institutione me heredem esse Pomponius scribit, idem Marcellus probat, & Iulianus.*

Hic iam decursi pulveris monente vitro,
ferventius adhuc atque effusius dicenti
silentium solito tintinabunali pulsu
magnus mihi Gymnasiarcha
præscripsit.

C. PLINIUS *Epistolar. lib. 3. epist. ad Romanum.*

Invenire præclarè, enuntiare magnificè interdum etiam Barbari solent: disponere aptè, figurare variè, nisi eruditis, negatum est.

SANCTA

CATHERINA

VIRGO SAPIENTISSIMA,

ET

MARTYR:

TIBI,

IN SIGNVM GRATITVDINIS,

DISSERTATIVNCVLAM

EXTEMPORANEAM

CAP. SI QVIS II. DE REGVLAR.

LIB. III. DECRETAL.

QVOD PRAEMIVM, ET

HONORIFICI MIHI LABORIS

CORONAM

OBTINVIT:

OFFERO, DICO, SACRO.



ATHERINA post MARIAM primiceria Virgo: ſpecialis ſponſa æterni, & ſummi Regis CHRISTI: inter victrices lauros, Regius cui promeri-

tam dedit palmam victoriæ sanguis, ferreis vt continuò catenis succederent gloriosi, qui tua cingunt tempora rami: cui MAXIMINI superva potẽtia cessit, cùm, poëtarum spretis sententijs, falsum IOVEM, & ALCMENÆ filium adulterinum, cæterosque mentitæ Divinitatis fictos Deos, seu Dœmones eliminasti: Philosophorum proceres vividæ rationis ictib⁹, & eorum pectora feriens, quo interno veritatis impulsu, statim Omnipotentis DEI veri & vivi* corde & ore canunt: statuas negantes frigidas mortuorum simillimas, quas milvi, & mures, & araneæ intelligunt, vt dicebat TERTVLIANVS; quæ vacua iacent

Simulacraque mæsta Deorum
Arte carent, cæsisq; extant informia truncis.

Et si MAXIMINVS (vt vsurpem verba PRV-

* magnalia

PRVDENTI)

His persecutor saucius
Pallet, erubescit, æstuat
Insana torquens lumina
Spumasque frendens egerit.

Quia &tu, non nuda, non inermis, siquidem velo tecta pudoris, & scuto fulcita Fidei, ignibus parata crudeliũ contemnis pericula gentium, animusque tuus tormentorum heluo

Haud timet mortem, cupit ire in ipsos
Obvius enses:

Et Sapientes illi, verè iam Sophiæ Philosophi tuo sub patrocinio clamantes insonant,

Vre meum potius flamma caput, & pete ferro
Corpus, & intorto verbere terga seca.

Vt sic coronentur illæsi (martyrium enim soli MAXIMINO tormẽta peperit) Gaudij segetem sic latura vulnera

metis, & in castissimi corporis tui venas, dum fervens exercet Tyrannus iras; angustiæ, & labor liquentis tibi sunt, quasi elementi mella. Obediunt tuis novacula verbis. Cur Cœlestibus terrena non cedant? Cur non terreni homines Virgini? Mors ipsa fatiscit, tu dominaris, quæ fortior corpora suis stantia pedibus Philosophorum Martyrum inter lumina sistis: nova iam, & Cœlestia, non temporali adusta calore, sed ignita divino: namque

Ut Phœnix moriens primos revivissit ad annos
In medijs flammis post plurima lustra renascens,
Atque novum vetere surgit de corpore corpus
Haud secus egregiâ redduntur morte perennes
Dum pia divinis adcrescunt pectora flammis.

Aveq; Phœniciâ volatu maior nomē in sæcula perennasti, cùm gladio

fœli-

fœlicissima tua anima à trũco Regio divisa corpore, Martyribus, ceu perfectissimis Gladiatoribus socijs, vel Athletis, in quorum agone Agonothetes DEVS vivus est, Xystarches SPIRITVS SANCTVS, corona æternitatis bravium:

Alituum stipata choro volat illa per altum:

Gemmisque ornata virtutum specie suâ, & pulchritudine, Cœli civium in se provocat aspectum. Avis divina (omnis enim spiritus ales)

Salve,

Et semper roganti

Tu mihi Diva, fave.

Rogans rependo humiliter grates, quia te favitrice, à pelagi fervore, a turbulentis id est ingeniorum in palæstrâ procellis, incedo liber

Post varios casus.

Te

Te ductrice, dedi carbasa ventis, & omine fausto inveni portum; vix

Animumque in vota, precesque

Flexi,

Cùm victorem me vrna clamat. Ah! quàm difficile: quippe

Et multis certare datum: sed vincere paucis,

Atque coronari, & celebres vectare triumphos.

Sed verbis adeò exiguis tuas perdicere laudes non audeo, cùm sat tentare magnum, tacere vtilius, nam

Est & fideli tuta silentio

Merces.

Tuo semper devinctus nomini servus.

DOCTOR D. DIDACVS LEO PINELVS.

DISSERTATIVNCVLA III.

ET RECENSIO PVBLICA, SIVE LVSTRATIO SOLENNIS, ET EXTEMPORANEA: AD MOGVNTINVM CONCILIVM IN CAP. SI QVIS. II. DE REGVL. LIB. III. DECRETALIVM.

PRO

DOCENDI IVRIS PONTIFICII CVRA HONORIFICA PRIMARIA.



AM Phœbus breviori viâ contraxerat ortum
Lucis: & obscuri crescebant tempora somni: 175

Cùm ad Iuris Pontificij volumina ex præcepto feror, veluti ad Sybilinos libros, & quasi ad sortis Oraculum. Subsecuto iactu, subitarius apparuit textus in *c si quis* 2. *de Regular.* quem dedit sortilis manus pueri. In hâc extemporaneâ differ-

dissertatiunculâ expendere promitto, non moror; ecce iam resero, & difficile Concilij Moguntini fragmentum adhuc in præsentiarum indictum ore alio, vt Romanæ fidicen liræ cecinit, auspice DEO, interpretor, pro examine solenni ad primariam Pontificij iuris docendi curam honorificam.

176 Concilium ergo celebratum tempore IVLI. III. *sub* Archicancellario, & Principe electore SEBASTIANO Archiepiscopo Moguntino, vel Moguntiacum LEONE III. *Papa* & CAROLO MAGNO Imperatore; vel sub GREGORIO III. & LVDOVICO Rege, præsidente RABANO Moguntinæ sedis Archiepiscopo (quolibet ex his potest coronari titulo caput hoc secundum; quia in Concilijs non invenitur expressum, vt notavit ANTON. AVGVST.) imbutum disciplinâ Sãctorum Patrum duo nobis & brevi, & difficili verborum involucro dedit observanda decreta. Primum, & celebrius ibi:

SI QVIS ANTE ANNOS LEGITIMOS TONSVRATVS EST SINE CONSENSV PARENTVM SVORVM, SI PARENTES INTRA ANNVM NON RECLAMAVERINT AD PRINCIPEM, VEL PROPRIVM EPISCOPVM, AVT MISSVM DOMINICVM IN CLERICATV PERMANEAT.

Secundum ibi:

SI VERO POST LEGITIMOS ANNOS PER VIM CLERICVS FACTVS EST, ET NEC PARENTES EORVM INTRA ANNVM AD MEMORATAS PERSONAS RECLAMAVERINT, IN CLERICATV PERMANEAT, SICVT IS, DE QVO SVPRA DICTVM EST.

His verbis, quasi sub ænigmate servantur infra dicenda, quæ vt possint luce donari, consentaneum erit, velocissimi syderis more, ingenium cursitare per singula. Do vela ventis, & ingredior paraphrasim.

§. I.

ibi... SI QVIS ANTE ANNOS LEGITIMOS TONSVRATVS EST SINE CONSENSV PARENTVM SVORVM.



E ætate Concilium dum ſcribit, certam non 177
præſcribit: dicam ergo, etſi parcâ purâ ſupellectili, non enim ſolùm Grais dedit ore rotũdo muſa loqui. Sed cùm diverſa ſit vnicuiq; hominum capacitas, & non vno ſemper cuilibet tempore naſcatur rationis vſus, imò vt dicebat PERS. *ſatyr.* 4.

Sunt quibus ingenium, & rerũm prudentia velox
Ante pilos venit.

Quod VIRGILIVS laudat in ASCANIO:

Ante annos, animumque gerens,
Curamque verilem.

Quò reſpexit GALEN. *Com. Aph.* 3. *&* 27. *extra ordin claſs.* dum proximos pubertati dixit illos, qui duodecimum, decimum tertium, aut quartum ſupra decimum annum agunt, quia non eſt vnus omnium certiſſimus pubertatis terminus. Latè diſſerit PAVLVS ZACHIAZ *in ſuis quæſtion. medicolegalib. tit.* 1. *q.* 5. *à n.* 16. & alia cumulat CELIVS RODIGIN. *lection. antiq. lib.* 19. *cap.* 22. non vno Luna rubens nitet vultu, inconſtans porro ſydus eſt: & non ſemel anni præocupati malitia,

Labitur occultè, fallitque volubilis ætas.

Nec Authores in diſcrimine ætatum conſtant: generaliter [illegible]tæ deſignant, vt VIRGIL. ibi:

Ora puer prima ſignans intonſa iuventa.

Et HORAT. *de Art. poëtic.*

Imberbis iuvenis,

Et *lib. Epiſtolar.*

Nigros anguſtâ fronte capillos:

Sic iuvenilem indicavit ætatem. Aſignare ergo idoneam 178
ad ſuſceptionem habitus Monachalis, & tonſurationem

quæ talis requiritur *c. nullus* 1. *de regular.* cùm vsus rationis exigatur *c. sicut tenor* 15. *eodem titul.* facilis res non est, sed necessaria; quia de matrimonio carnali ad spirituale cùm valeat argumentum *c. inter corporalia de translat. Episc.* & sponsalia contracta cum minori septennio, nec impedimẽtum publicæ honestatis inducant; nam MODESTINVS *in l. in sponsalibus* 14. D. *de sponsalib.* licet in spõsalibus cõtrahendis ætatem definitam non esse, dixerit, statim vertit, *id est, si non sint minores, quàm septem annis*, in primordio ætatis effici posse: & evidens sit matrimonij sacramentum capacitatem exposcere *c.* 1. *de sponsat. impube c.* 1. *de sponsal. in 6.* annos in præsenti expedit numerare: quid enim oblatio, seu devotio patris nisi sponsalia? quid professio nisi matrimonium repræsentat? vt voluit ABB. PANORM. *n.* 9. *ad nostrum caput.* Nec infrequens in iure annorum ad beneficia etiam *c. cum in cunctis § inferiora. de electio.* & inter Religiosos ætatis religiosæ disquisitio *c. cum in magistrum c. officij eodem titu.* quin impediat textus *in c. ex ratione* 2. *de ætat. & quali. ordinan.* (vt securi incedamus) vbi pueris Ecclesia conceditur, nam de simplicibus beneficijs intelligo *c. in singulis* 67. *disti.* & in titulum *c.* 1. 70. *dist.* aut invalescente cõsuetudine, ne pungat textus in *c. super inordinata* 35. *de Præbend.* & non propter servitutem, vt vtar phrasi Glossæ *d. cap. super inordinata:* videndus MARCHIN. *de Sacram ordin. par.* 5. *c.* 2. *d. n.* 18. *Authent. nisi rogati C ad Trebell.* vbi notatur. Fuit etiam non modica varietas pro definiendâ ætate ordinandorum, vt constat Iure civili *Auth. presbyterum C. de Episc. & Cler.* SOSIMVS Papa ad ordinem Acolycatus, & Subdiaconatus decimum quartum annum [illegible]cere, statuit *c. in singulis dist.* 77. Aliter SIRICIVS *in c. quicunque. eadem dis.* aliter in Concilio Carthag. *c. placuit, c. in veteri d. dist.* 77. diversimodè ZACHARIAS Pontifex, cum Synodo Neocæsariensi in *c. præsbyter. c. si triginta dist.* 78. aliter in Concil. Vienens. *clement. generale. de ætat. & qualit. ordin.* & tandem quid observandum, decrevit Trident. *sess.* 23. *de reform. c.* 12. Ergo ad diiudicationem voti, & susceptio-

ptionem habitus certam præscribere ætatem oportet, sicut ad matrimonij nexum, susceptionem ordinis, & beneficia conveniens fuit, vt indè qui sint illegitimi anni doceamur. Vetustatis iniuriâ obscura facta est ad præsens institutum computatio temporis; & quasi

Rebus nox abstulit atra colorem.

Nam I. ALEXAND. III. in *c. significatum* II. *de Regularib.* minorem quatuordecim annis à patre oblatum Religioni, si post, ratam haberet professionem, egredi non posse, constituit; ergo in sententiâ illius decimus quartus annus ad susceptionem habitus requiritur: & exprimit. ibi: *Seu decimum quartum annum compleverit, cùm Religioni intravit.* 179

CELESTINVS III. in *c. cùm simus* 14. *eodem tit.* ad annos discretionis currit, hoc est, ad pubertatem, quæ dicitur ætas amica *in Epigram.* ALCIATI, *lib.* I. *Epigram. Græcor.* 180

Hei mihi pubertatis, mortiferæque senectæ,
Hæc quia amica fugit, hæc inimica venit.

Seu florida vt TERENTIVS; *anni sexdecim ætatis flos ipse:* sive gratissima, vt HOMER. *Odyss. lib.* 10. *& lib. vltim.*

Iuveni viro similis
Primum pubescentis, cuius gratissima est ætas.

Aut formosa; vt OVID. *lib.* I. *de Ponto eleg. vltim.*

Nectar & ambrosiam, latices, epulasque Deorum
Det mihi formosa Gnava iuventa manu.

Iuventatem Latini, Græci *Heben* pubertatis finxere Deam: meminit LEVIN. TORRENS. *in Comment. Horatiani illius carminis Ode.* 30.

& parum comis sine te iuventas.

Sed GREGOR. IX. in *c. quia in insulis eodem titul.* prohibet, ante decimum octavum annum pueros in Monasterijs suscipi, *Quia dura est*, inquit, *congregatio Monachorum*, & vt explicat HVGO *Psalm.* 34. Religiosi dicuntur ossa, quia non debent flecti à regulâ suâ, sicut nec ossa à corpore suo, & vt ossa sunt abscondita in carne, ita Religiosi in claustro; vbi 181

Cura virum torret, mortis imago senem:

plangentis quia Monachus habet officium *c. Monachus* 16. *quæst.* I.

182 Pallea autem in *c. sicut* 20. *q.* 1. filios à parentibus oblatos Religioni decimo quinto anno à Prælatis monitos verbis inquiri, iubet; vtrùm in ipso habitu permanere cupiant. Nec huius canonis oppositionem effugiet, qui dixerit, coronari verbo *Pallea* vtpotè signo, quo significantur res inanes (ò Musæ, quò non penetrat criticum acumen! vt similiter LIPSIVS irridens modestè TVRNEBVM super verbo *Mirmillones saturnal. sermon. lib. 2. cap. 10.*) quia non deceret gravissimum compilatorem GRATIANVM inter Cōciliorum decreta, Pontificum constitutiones, & Sanctorum Patrum scripta vti rebus innanib⁹, & sinè vtilitate: cui enim tam acris obtutus erit, vt inutilem scientiam ab ignorantiâ discernat? Præterea incongruum sentire est cùm IOAN. ANDR. *in addition. ad speculat. tit. de disp. & alleg.* propè finem sibi persuadeat, fuisse quemdam Cardinalem PROTHOPALLEAM Authorem dicti capitis, & similium; alij discipulum fuisse GRATIANI testentur, ita ALCIAT. *lib.* 12. *parerg. cap.* 3. & plausibilior sit CVIACI sententia in *c.* 1. *de sponsat. impub.* putantis *Pallea* nomen præponi antiquiorib⁹ canonibus, & decretis, & cum diphtongo scribi; observavit in Basilicis, & esse nomen Græcum etymi argumento probat, vtpotè fortissimo, nam vt TERTVLIANVS *fides vocabuli salus est proprietatis*, & sæpe ita nominari antiquum interpretem affirmat. Recrudescit ergo argumentum *d. c. sicut*: recrudescunt & vulnera.

183 Iterum ALEXAND. III. in *c. ad nostram* 8. *de Regularib.* firmiter asseverat susceptionem habitus professorum post quatuor decimum annum cum perseverantiâ tridui astringere. Cur tam variè?

184 Domesticâ ingenij discordiâ vacillat animus, dum in amœnissimo Iurisprudentiæ canonicæ campo Pontifices dissertantes invenit; recurrat ergo necesse est ad prima huiusce rei elementa, nam Cœlo tegitur, qui non habet vrnam. Varia hæc sic expendo decreta. Aut de iure antiquo loquimur, aut de noviori: si de antiquo; subdistinguo inter annū probationis, & professionis; annus probationis incepit

à de-

à decimo quarto, quo respexit ALEX. III. Professionis verò decimus quintus erat, ideò hunc quisquis ille *Pallea* sit, requirit. GREGORIVS tamen propter certæ Religionis asperitatem, *decimum octavum* desiderat. Sed noviori iure Concilij Tridentini *sess. 25. de Regular. cap. 15.* ante decimum sextum annum irrita professio est, sed non susceptio habitus: tradit NAVAR. *cons. 23. de Regular.* SANCH. *de Matrim. lib. 2. disp. 24. n. 12. & in præcept. Decalog tom. 2. lib. 5 cap. 4.* à principio: quin malitia ad ætatis supplementum deserviat: nam vt eruditionis quidam Author dicebat, *sicut musto tempus damus, vt despumet, sic animæ vt iuventutis, & opinionum fæces eiiciat.* Resolvit EMANOEL RODRIG. *qq. regul. tom. 3. q. 15. art. 3.* plures laudat AVGVST. BARBOS. *in Collect. ad Concil. Trident. d. sess. 25. c. 15.* (ecquis oculatissimũ hunc in iure virum de omnibus scientiarum professoribus benemeritũ non miretur?) præ cæteris accuratiùs disputat TAMBVRIN. *de iur. Abbat. tom. 3 disp. 6. q. 3. & n. 5.* notat, de iure antiquo masculos post decimum quartum annum expletum professionem potuisse emittere, modò ad eorum ingressum parentum suorum assensus accessisset, seu devotio: ergo CELESTIN. III. & Concilium Moguntinum referendo singula singulis temporibus aptè interpretantur, vt ante legitimos annos tonsurari dicantur pueri, si in ætate præmaturâ, & adhuc non idoneâ ad professionem: cuius rei vt subsignemus excursum, laudamus TAMBVR. *vbi supra disp. 6. q. 2* aliter distinguentem, inter capacitatem ex iure naturali, vel ex iure canonico, vt tandem inferat ad susceptionem habitus vsum rationis, & doli capacitatem requi[illegible]citatis SOTO *de Iust, & iur. lib. 7. q. 3. art. 2. col. 3.* CAIET. *in Summâ verb. votum, cap. 3. §. imperfectio autem ætatis*, cũ alijs: aliqua congerit CASTR. PALL. *tom. 3. disp. 2. punct. 2. §. 1.* per textum in *c. firma 26. q. 1 & c. 1. de Regul. in 6.* Professionis vocabulo aliter olim veteres vsi sunt (vt antiquitatis aliquid etiã excutiamus) *l. cum de ætate 13. D. de probat.* fuit & professio, quæ dicebatur ætatis *l. 2 §. 1. D. de excusat. tutor. l. etiam 16. D. de probat. l. 1. C. si minor se maior.*

dixe. fiebat hæc professio vel à parẽtibus, vel ab obstetricibus *l.3.§.quæ autem* D.*de carbon.edict.*& respiciebat ad cẽsum.*l* 3.D.*de censib.* fuit & professio, quæ dicebatur status, *l. statum.C.de fide instrum.l.Imperatores* 29.§.1. D.*probation.* fiebat hæc apud Præfectos Ærarij, ita DVAREN.*ad titul. de probat.post medium*, alia refert TERTVL. *in Apologetic. c.42. & lib.5.adversus Martion.in initio.* BODIN.*lib.6. c.2.* IVST. LIPSI *de Magn.Roma.c.3.* BRISSON *lib.6.de ærar. redit. c.2.* facit etiam illud LVCÆ *cap. 2. vers 3. & ibant omnes vt profiterentur singuli in suam civitatem.* Vocabulo lusimus satis, progrediamur.

185 *Sinè consensu parentum*; oblatus tamen illorum consensu, vt rectè observat Gloss. principalis in positione casus. Potest vtique filius offerri vsque ad pubertatem *c.in primis* 2.*q*.1.*c*. 1.2.*q*.2. dubitationi locum fecit pœnitentia parentum, qui oblatum filium, ante susceptionem tamen habitus conantur revocare: vndè quæstio, an sinè consensu parentũ filio tonsurato, revocatio subsistat? Nec nova phrasis est *tonsuratum* pro *vestito* sumere *habitu Monachali*, imò communem modum loquendi antiquorum canonum, vult TANBVR.*d.disp.6.q.2.n.9.* per textum *in c.si in qualibet* 20. *q*.2.ibi: *Vel Religionis debitam vestem, vel tonsuram.* Hinc interpretor singularem textum *in c.Clericus.de vit.& honest. Cleric.* vbi si tonsurâ dimissâ, qui sit sine gradu sacro, vxorem accipiat, vt in *c. si qui vero* 2.32. *dist.* iterum tonderi iubetur; at non ita si Monasterio à parentibus traditus vxoretur. Cogitabam, in primo facto tonsuratum sumi pro coronato tantùm, in secundo verò simul pro vestito habitu Religionis. Huc etiam textus in *c.vt consultationi.de Cleric.coniug.* in quo HONORIVS III. constituit Clericum minoris ordinis militantem, si coronam antea clericalem assumpserit, eâ vti cogendum non esse, & vt significet per equipollens, quasi infert dicens, non esse cogendum deferre habitum clericalem, qui textus iuncto *c.Ioannes* 7. *eodem titul.de Cleric.coniug.* ne pugnet cum *d.c.Clericus.de vit. & honest. Cleric.* distinguimus Clericum beneficiatum à non bene-

beneficiato, & auditores nostros remittimus ad Gloss. *d. c. Ioannes.* verbo *non potest*, & verbo *beneficium*. Quæ cùm sint iuri consona, Concilium Moguntinum, vt significet susceptionem habitus, & hominem iam DEO sacratum ostenderet ante pubertatem. *Si quis*, inquit, *ante annos legitimos tonsuratus est sinè consensu parentum suorum*, id est, Religioni deditus, oblatus, devotus. Quondam etiam observat SERVIVS *in lib. 1. Æneidos.* Flaminem Dialem æris cultris tonderi solitum, vtpotè iam Religioni sacrum; à quo procul omnes profani, iuxtà illud

Procul ò procul esto profani
Conclamat vates, totoque absistite luco.

VIRGIL. 6. *Æneid.* & illud CLAVDIANI.

Gressus removete profani.

Fortè tonsores olim admissi ab Imperatoribus, vt refert PLINIVS *lib. 7. natur. histor cap* 54. quorum primus AFRICANVS, deinde AVGVSTVS cultris vsus est, vt Deæ Iustitiæ sacratos se iudices probarent. Sacrificij etiam victimas olim coronari PLINIVS ipse meminit *lib. 16 cap. 4.* sed coronam per modum spheræ primam D. PETRVM gestasse, refert BEDA *lib. 5. histor. Anglor. c. 22.* & ISIDOR *lib. 2. de divin. offic. c. 4.* ab ipsis, inquit, Apostolorum temporibus tonsuram institutam fuisse: & causam describit S. GERMANVS in *theoriâ rerum Ecclesiast.* vt habetur *in 4. tom. Bibliot. antiq. Patr.* plura etiam BELARMIN. *tom. 1. lib. 2. de Monach. cap. 4.* solent & plura argumenta excogitari, ob quæ ritus hic tondendi capillos per modum spheræ fuerit in Ecclesiâ DEI receptus, scilicet vt designet Clericos exemptos à servitute Mundi, ductâ ratione, ex his quæ olim contigisse refert LIBIVS *lib. 34.* & PLVTARCHVS *in Publicola*, & GILLELM. FORNER *lib. 1. c. 4. suar. selection*, vel ad spineam CHRISTI Domini coronam exprimendam: ita BEDA *ubi supra.* seu vt commutaretur in gloriam ignominia facta D. PETRO ab Antiochenis, scribit TOSTATVS *q 25. in c. 19. Levitici*, vel ad distinctionem inter legem veterem, & novam S. AVGVSTIN. *lib. de operib. Monach.* prope finem Ma-

gister *in* 4.*d*.44.alia considerant S.HVGO.*lib*.2. *de Sacram.* *p*.2.*cap*. 1.RABANVS.*lib*.1. *de instit.Cleric.c*.3.DVAREN *lib* 1. *de Sacris Eccles minist. cap*. 14. denotat etiam pœnitentiam: iuxtà illud IOB *cap* 1.*ver*.20. *Tonso capite,adoravit Deum*, & MICHEÆ *cap*.1.AMOS 8.IEREMIÆ 48. *Omne caput calvitium erit , & omnis barba rasa erit,& super omne dorsum cilicium*.

§. II.

ibi... SI PARENTES IPSIVS INTRA ANNVM NON RECLAMAVERINT.

186 Ergit Concilium:cuius anno addendus est dies, per textum *in c.puella* 20.*q*.2 ibi: *Atsi annum, & diem dissimulando consenserint*: à die scientiæ computabitur: docent Gloss.*in d. c. puella*, verbo *atsi unum* PALVD,*in* 4.*dist*.38.*q*.4.*art*. 2.*n*.25.SVAREZ *de Religio.tom* 3. *lib*. 5 *cap*. 1. & SANCHEZ *in decalog.lib*.4.*cap*.18.*n*.10.sed regula hæc perdit officium suum,si ante filius perveniat ad annum discretionis, quanto enim citiùs maior impubere factus est,tanto minus crescit computatio ad pœnitentiam parentum;V.C. fingamus intra sex menses oblatum filium pubescere, seu galulascere,vt loquitur IACOB.CVIAC.in *Comm. cap.ex literis* 10. *de sponsal.& matrim*. vel intra diem vesticipem esse , iuxtà modum dicendi AVL.GELL. qui puberem sic designat, *arrogari non potest nisi iam vesticeps*:vndè illud prodijt

Idem vesticipes motu iam puberis ævi:

Sex menses,vel dies,vel hora erunt in computatione:diem iam dixit anno similem HIERONYM.MERCVRIAL. *variar. lection.lib*.3.*cap*. 1. propter varias dispositiones corporis, quæ in vnâ die contingunt, non minùs ac in anno:imò horam pro die MARO

nunquam te crastina fallet
hora.

Habet

Habet enim se tunc filius, ac si denuò ingrederetur, vt explicat TAMBVR. *vbi supra, disp. 6. q. 2. n.* 11. exemplum invenio in iure civili augmenti, vel diminutionis temporis dessumpti ex mutatione, & qualitate personæ *in l. sæpe* 17. D. *de sponsalib.* omissâ emendatione CVIACI *lib.* 16. *Observ. cap.* 35. siquidem MODESTINVS in sponsalibus contrahendis postquã invenit definitam non esse ætatem *in l. in sponsalibus* 14. D. *de sponsalib.* GAIVS *in d. l. sæpe* aliquando annũ, vel biennium, triennium, aut quadriennium protrahi. & vlterius sponsalia scribit propter causas, quas enumerat; quâ decisione, veluti indefinitum antea tempus, inspectâ qualitate personæ, definit, & semel definitum protrahit. Nil ergo mirum, quòd, assignato anno patri à Concilio Moguntino vt reclamare possit, minuatur propter iustam causam, qualis est pubertas, vel intra sui temporis metas duret integer, dum est impubes filius. 187

An sufficiat pater solus, vel alternativè mater: an verò nomine parentum vterque in præsenti significetur, vt *in l. pronuntiatio sermonis.* D. *de verb. significat.* in comperto non est: nam in re communi vtriusque socij exquiritur assensus *l. Sabinus.* D. *commun. divid.* ergo in oblatione filij, vtriusque parentis voluntas exigitur, & consequenter in reclamatione: antecedens probatur quoad suppositum, filius enim res est patris: probat singulariter vulgaris textus *in l. verbis legis* 120. D. *de verb. sign.* ibi: *Rei suæ*, id est, filiorũ, iuncta *l.* 1. D. *de testament. tutel.* quòd sit res matris, cur non? qui pars fuit viscerum eius *l.* 1. §. *ex hoc rescripto.* D. *de ventr. inspic. l. si mulierem* 8. D. *ad leg. Cornel. de sicarijs. l, Cicero* 39. D. *de pæn. l. in falcidiâ* 9. D. *ad leg. falcid.* & SENECA: *Maternorũ viscerum latens onus*, filium appellavit: præterquam matris nomen venerationis quoque fuit, non naturæ tantum; ratio hæc est in causâ, vt tot bonarum literarum Authores divexaverit HORATI versus ille *satyr.* 3 *lib.* 2. 188

Non magis audierit, quam Fusius ebrius olim,
Cum Ilionam edormit, Catienis mille ducentis
Mater te appello, clamantibus.

188 Sed iure civili inspecto, nullam in filium habet mater potestatem *l. nulla fœmina* 3. *D. de suis & legit. hered. l. post* 69. §. *mater D. de legat.* 2. Solius ergo patris est filius, *c. ex litteris* 21. *de convers. infidel.* ibi: *Cum autem filius in patris potestate consistat, cuius sequitur familiam, & non matris*: in sacris ideò dicitur paternis, non maternis cõstitus: & facit ABBAS dum reddit rationem ad nostrum text. eam, *quia per professionem eximitur à patriâ potestate*, iuxtà BALD. *in l. Deo nobis*, *C. de Episcop. & cleric.* PAVL. DE CASTRO *in l. sub conditione*, *D. de liber. & posthum.*

189 Verùm cùm iure canonico naturalis ratio præferatur *c. cùm haberet. De eo qui duxit in matr. quam pol. per adulter.* & in hoc altero naturæ iure vterque parens filium dicat suum, & filius vtrumque honorare præcipiatur in præcepto Decalogi; vtriusque intervenire consensum ad oblationem congruum erit: disputat & his annuit THOM. SANCH. *lib.* 4. *in Præcep. Decalog. cap.* 18. *n.* 16. per Gloss. *in c.* 1. verbo *aut vnus* 20. *q.* 2. & SVAREZ *de Religio. lib.* 5. *cap.* 2. *n.* 12. TAMBVR. *de Iur. Abbat. disp.* 6. *q.* 2. *n.* 12. & GREGOR. LOPEZ *in l.* 4. *verbo el padre, tit.* 7 *p.* 1. ergo vt patrem, & matrem Concilium Moguntinum comprehenderet assignans revocationi tempus, quod non licet transgredi: *Si parentes*, ait, *ipsius intra annum non reclamaverint.*

§. III.

ibi... AD PRINCIPEM.

190 D est *Papam*, vertit Glossa. Sed movet dubitationem: quod licet Principes quondam ethnici, & Mundani, Pontificis nomine vterentur, seu abuterentur, vt colligitur *ex l. Imperatores* in principio, *D. ad municipal. l. hereditas* 50. in fine. ibi: *Et Regali, & Pontificali authoritate. D. de petit. hered.* cuius antiquitatis author est DION. CASSIVS *lib.* 53. *Histor.* & ISIDOR. *in c. Cleros vers. Pontifex.* ibi: *antea autè Pontifices, & Reges erant. dist.* 21. insinuatque NICOLAVS *in c. cum ad*

verum

verum dist. 96. & illustrant BRISSON. *lib.* 2. *de Formul. pag.* 231. FORNER *lib.* 6. *Quotidian. cap.* 6. & PETR. GREGO. *lib.* 15. *Syntagmat. cap.* 1. *n.* 9. facit insignis locus DIV. CYPRIAN. *ad Antonian.* qui cùm vidisset DECIVM Imperatorem in CORNELIVM Pontificem impetu sævientem, quia scivit ad apicem Pontificiæ dignitatis, evectum, *Cùm multò patientius*, inquit, *& tolerabilius audiret, levari adversus se æmulum Principem, quàm constitui Romæ æmulum Sacerdotem:* sic interpretatur GABRIEL ALBASPINVS *lib.* 1. *Observ. cap.* 23. & expendit iterũ similia alia eiusdem CYPRIANI verba, ibi: *Armis & bello post modum victum prior sacerdotio suo vicit.* Si ab antiquioribus praxim hanc gentilium Regum petamus, inveniemus NVMAM POMPILIVM primum Romæ Flaminem creasse Dialem; quia promiscuè ante Reges, Pontificum & Regum munera obiisse certum est: vndè Poëta VIRGIL. 4. *Æneid.*

Ipsa tenens dextrâ pateram pulcherrima Dido
Candentis vaccæ media inter cornua fundit.

Et CERDA explicat, *ipsa*, vt quæ esset Princeps civitatis; & idem MARO 3. *Æneid.*

Rex idem hominum, Phœbique Sacerdos.

De Rege ROMVLO scribit. Idem CICERO *lib.* 1. *de Divin.* ibi: *Sed ipse etiam optimus augur fuisse traditur.* Nec id solùm in vsu Romanis, sed Palæstinis, & Ægyptijs. ita XIPHILIN *in Põpeio.* IVSTIN. *lib* 36. PLVTHARCH. *lib. de Isi. & Osir.* & TERTVLL. *lib. de Coron. milit.* ibi: *Ipsa fores, ipsæ hostiæ, & aræ, ipsi ministri, & Sacerdotes idolorum coronabantur*: plura de hoc Pontificio iure AVL. GELL. *Noct. attic. cap.* 15. PLINIVS *lib.* 18. *Histor. cap.* 2. Arvorum Sacerdotes ROMVLVM primum instituisse, seque duodecimum fratrem appellasse inter illos, narrat à vaccâ laurentia nutrice suâ, spicea corona, quæ vitta albâ colligaretur in Sacerdotio, ei pro Religiosissimo insigni data, quæ prima apud Romanos fuit corona: honosque is non nisi vitâ finitur, & exules etiã captosque comitatur: idem PLINIVS edocet, & Historiographi affirmant ANTONINVM, filium ANTONINI CARA- ab Acc

calæ dictum Eliogabalum, quia Sacerdos Solis fuit.

191 Pontifices tamen Dei, *Principis* nomine vsi non sunt imò servi servorum Dei appellantur, *c. relatum 3. de sent. excomm.* ibi: *Huiusmodi servi ad servum servorum Dei venire debeant absolvendi* Divorum scilicet Petri, & Pauli, vt sentit Gloss. *in c. quoties 9.* verbo *& per te 1. q. 7.* vnde versus

Servierant tibi, Roma, prius domini dominorum,
Servorum servi nunc tibi sunt domini.

Quo servi titulo primò vsum fuisse Gregorium IX. me legisse memini. Ergo II verbum *Principem* minùs vsitatè ad Papam refert Glossa.

192 II. non mediocriter dubitationem locupletat textus *in c. quod sicut 28. de elect.* vbi inter alia, quæ decisioni suæ connectit Innocentius III. de Rege mundano loquutus subiungit sequentia: *quia non simplex nominatio, sed solennis electio debet Principi præsentari, vt postulationi præstet assensum*, & tamen de electione Archiepiscopi sermo est, quæ ad spiritualia tendit, laicos fugit, *c. Massana 56. c. sacrosancta 51. c. Osius 2. de electione. c. in ecclesia 2. c. ex frequentibus 3. de constitut.* Ergo inconveniens non erit verbum *Principem* de sæculari interpretari, vt sensus sit, nisi parentes ad Principem sæcularem per modum refugij, & recursus reclamaverint. Nec enim semel Regis authoritas inter Ecclesiastica vertitur *l. sancimus 3. § præterea sancimus* ibi: *Si laici anathematisentur. C. de Episcop. & Cleric.* iuvat Div. Hieronym. locus *lib 2. Apolog. contra Rufinum* ibi: *Dic, quis Imperator iusserit hanc synodum convocari?*

193 His parvipensis, adhuc sustinenda, vtpotè verissima sententia Glossæ, quia non insolens, Pontificem Principem dicere, *c. corpora. de consecrat. dist. 1.* vbi corpora Sanctorum de loco ad locum transferri prohibentur, sine consensu Principis, id est, Pontificis, *c. Cleros, vers. Pontifex.* ibi: *Pontifex Princeps Sacerdotum est. dist. 21 & 1. Petr. 5. & 3. Princeps Pastorum: Christianorum Monarcha:* alia cumulat epitecta Fr. Abrahamus Bzovius *in lib. de præstantia, officio,*

&

& author. Pontif. & non sine ratione, nam vt PLINI verbis vtar, *lib. 3. epist. Maxim. cùm dico Princeps, non de facultatibus loquor, sed de castitate, iustitiâ, gravitate, prudentiâ.* Cur non Princeps qui & Imperator? *c. 1. de iura. calumn.* ibi: *Imperiali authoritate irretractabiliter definimus, c. si quis 2. de maior. & obedie.* ex illo Regum, *qui non obedierit Principi, morte moriatur*, vbi Gloss. etiam vertit *Principi*, id est, *Papæ*. Cur non Princeps qui principatus, imperiaque transfert? vt à Græcis in Germanos fecisse narrat Glossa, *c. venerabilem de electión.* non ne Pontifex dedit potestatem eligendi Imperatorem septem illis Germaniæ Magnatibus? qui recensetur à Gloss. *in c. ad Apostolicæ de re iudic. lib. 6.* non ipsi iurant Imperatores fidelitatem? *c. tibi 63. dist. clementi 1. de iur. iur.* Reges Regno privat, vt ZACHARIAS CHILDERICVM Regem Francorum? *c. alius 15. q. 6.* dat coadiutorem? vt INNOCENTIVS IIII. in Concilio Lugdunensi Regi Lusitanorum? *c. grādi de supplend. neglig. prælat. lib. 6.* Reges item Poloniæ atque Lucitaniæ à Pontificibus electos, & coronatos testatur ANDRÆAS DOMINICVS FLOCCVS *in Republicâ Romanâ, fol. 537.* & INNOCENTIVM III. Romæ PETRVM Aragonum Regem, vxoremque Reginam in æde S. PANCRATI creasse, item IOANNEM Regem Angliæ, & Hiberniæ. Plura inveniuntur similia in registris INNOCENTI III. & HONORI III. & GREGORI IX. quæ in Bibliotecâ Vaticanâ asservantur, inquit FLOCCVS. LEO etiam X. Ducem Saxoniæ privavit: CLEMENS VII. electionem invicti nostri CAROLI V. validam fuisse absque illius Ducis suffragio sustentavit. Quid ni? appelletur Princeps? Subest vtique Rex Pontifici, subest Imperator *c. per venerabilem 13. qui filij sint legitim.* Vacante imperio, exercet iura Imperalia *c. licet de foro compet. clementina pastoralis §. vltim. de re iudic.* & ideò Pontificalis authoritas, auro, Imperialis autem plumbo cōparatur *c. duo sunt 96. dist* & Papa Solis, Imperator Lunæ instar habentur *c. solitæ de maiorit. & obedient* imò non vicē puri hominis gerit in terris *c. quanto de translat. præl.* vix vocē emittit in Mundo, & iam exauditur in Cœlo, *Matth.*

16. *in c. quodcunq; 24. q. 1. Quodcũq; ligaveris, &c.* vndè illud Imperatoris LVDOVICI cum NICOLAO I. quod refert PLATINA in ipso. ibi: *Imperator ad mille passus Pontifici obviam factus, ex equo descendens cum fræno manibus attracto, in castra perduxerit:* & diademate, tripliciq; coronâ Pontificis caput redimitũ ostẽditur, vt maior Imperatorè iudicetur, inquit, LANCEL. CONR. *in Templ. omni. iud. lib. 2. c. 1, § 1. fol. 112.*

194 Ex quibus benè infertur, vt notat HOSTIENS. vnum esse & idem CHRISTI Domini, & Vicarij illius tribunal. Motus his rationibus fortè Anglicus ille relatus à Gloss. singulari, *in Proœmio clementinar.* sic alloquebatur Pontificẽ. *Papa Stupor Mundi, qui maximè rerum, nec Deus es, nec homo, quasi neuter inter vtrumque:* illi omnes subiiciuntur homines genuflexi, cùm præstent obsequium, quod flectionem per se denotat ex illo OVIDI

Flectitur obsequio curvatus ab arbore ramus.

Ergo in Concilio Moguntino li. verbum *Principem* Pontificẽ iustè designat; imò & olim apud illos idololatriæ filios, Sacerdos summus Rex sacrificulus dicebatur; hic creatus est LVCIO IVNIO BRVTO, & MARCO VALERIO primis Consulibus, id est, Rex facrorũ: TITVS LIV. *initio lib. 1. & 2.* apud ONVPHIVM PANVINVM, *in Rep. Roman. fol. 325.* ibi: *Rerum itaque divinarum habita cura, & quia quædam publica sacra per ipsos Reges factitata erant, nec vbi Regum desiderium esset, Regem sacrificulum creant.* Aliqua breviter, sed verè narrat ANDR. DOMIN FLOC. *ubi supra lib. 1. cap. 10.* iuvat etiam singularis numerus, quasi Princeps per antonomasiam denotet Papam, & non sine ratione, nam cùm Ecclesia militans, cui præest vna sit, vtpotè instar triumphantis constituta: ex illo *Apocalips. 21. Vidi Hierusalem sanctam novam descendentem de Cælo*; hoc est, Ecclesiam militantem veluti exemplatam à triumphante secundùm Gloss. singularem *in clement. ad nostrum de hæreticis* quæ triumphans vna est, *Canticor. 6. vna est columba mea*, quod de militante etiam intelligit HIERONYM. *in c. loquitur 24. q. 1.* & sicut vnus est triumphantis Princeps, militantis vnus semper debet

bet esse Monarcha, nunquam enim decet binos esse civitati Pontifices, *c. quoniam de offic. iudic. delegat.* & vt D. BERNARD. *lib. 3. de Consid. cap. 8. vbi vnitas, ibi perfectio.* vndè HOMER. *Iliad. I.*

Haud bonum multorum dominatio, herus vnicus esto,
Vnicus est Princeps.

Ergo Concilium Moguntinum singulari vtitur numero scitè, & prudenter.

Nec obstat textus supra *in c. quod sicut de electione,* nam ibi de Principe patrono ratiocinatur INNOC. III. qui sæpius est sæcularis, vt in titulo *de iure patronatus* passim scribitur, & de Principe defensore (vt generaliùs accipiam) quod ius patronatus clientela dicitur. Cliens enim defensus, defensor patronus est: MARO 6. *Æneid.* 195.

Hic quibus invisi fratres dum vita manebat,
Pulsatusue parens, aut fraus innexa clienti.

SERVIVS interpretatur, iuxta l. 12 *tabularum.* ibi: *Patronus si clienti fraudem fecerit, sater esto.* HORAT. 2. *carmi. Ode* 18 ibi:

Quid quod vsque proximos
Revellis agri terminos? & vltra
Limites clientium
Salis avarus?

Huc etiam CLAVD.

Populumque clientem
Publica mansuris testantur vocibus æra.

LVCANVS *ad Pisonem.*

nec enim tibi dura clientem
Turba rudisque placet.

Et MARTIALIS

Matutine cliens vrbis mihi causa relictæ,
Atria si sapias ambitiosa colas.

Plura GELLIVS *lib. 20. c. 1. & lib. 5. c. 13.* PLVTARCH *in Romul.* CICERO *in divinatione.* ALICARNAS *lib.* 2. SIMON SCHARDVS *in lexicon iuris fol. 682. col.* HOTMA. *de verb. iur.* verbo *Patronus:* Præterquam nomen *Patroni* in suâ propriâ cludit significatione protectionem argumento *l. 2. §. si*

quis

quis tamen. ibi: *Cui exceptio patrocinetur.* D. *si quis caut.* l. 4. §. *si quis tutorem.* ibi *neque tutelam libertatis præstationi patrocinari.* D. *de fideicom. liber.* l. 12. ibi: *Dum mulier substituto patrocinatur.* D. *de donat. caus. mort* l. 6. §. 1. C. *de postul.* Deinde electio illa ius patroni læderet, si fieret citra præsentationem, quæ muneris illius est, *c. cum laici* 10. *c. si vero* 12. *c. ex insinuatione* 14. *c. significasti* 18. *c. consultationibus* 39. *de iur. patron.* at nos in præsenti de susceptione habitus Monachalis agimus, quæ aliena prorsus à munere patronorum.

896 Servus Pontifex dicitur: verum est, sed servorum Dei: servus est, sed regnat, nam in domo Dei servire, regnare est, vult quantum potest iure, & honestè; hæc maior potestas: Vnde Plinivs *in panegirico Traiani. Sicut summa fœlicitatis est*, inquit, *posse quantum velis, ita magnitudinis, & imperij velle quantum possis.* Hinc quondam etymon Pontificis erat à posse & facere, vt notat Lancellot. *in Templ. anni. iud. lib.* 2. *c.* 1. § 1 *n.* 1. & dicebat Avsonivs.

Qui rectè facit, non qui dominatur, erit Rex

Quibus comprobatam relinquimus literam capitis nostri. ibi: *Principem*, & versionem Glossæ. ibi: *Id est, ad Papam.*

§. IIII.

ibi... VEL PROPRIVM EPISCOPVM AVT MISSVM DOMINICVM.



897 Adhuc Glossa vertit verbum *Principem*, id est, *ad Prælatum Ecclesiæ*, vt continuetur sequens clausula. Nec abs re est, cùm etiam Pontificis nomen Episcopis conveniat, *c. nullus* 17. *de iur. patron. c. ad hæc de filijs præsbyter.* & econtra Pontifex Episcopus nuncupatur, *c. si Episcopus* 2. *q.* 9. *c. transmarinos* 98. *distinct.* Sed plausibilius est, gradatim procedere Concilium affirmemus: ac si diceret, nisi reclamaverit ad Pontificem, vel proprium Episcopum, aut illius

Vica-

vicarium, qui missus est dominicus *c. 1. de immunit. Ecclesia*, ibi: *Neque missus. c. ex frequentibus de institut. c. 2. cum Gloss. vers. ad missum. de frigid. & maleficiat. c. 2. & Gloss. vers. officialē. de offic. vicar. in 6.* quasi familiaris Episcopo, ita IACOB. SBROZIVS *lib. 2. de offic. vicar. q. 147.* Sed vt dicebat Poëta lyricus.

Tentemus adhuc & arentes arenas.

Et hæc vltima verba de Episcopo interpretari posse probemus: quasi sensus sit, nisi reclamaverit ad Pontificem, vel ad Episcopum, aut missum dominicum, id est, delegatum, seu missum à Pontifice. nam vt animadvertit MARC. ANT. CVCVS. *institut. maior. lib. 2. tit. 6. n. 245.* in constitutione Concilij potest dispensare Episcopus, quoties ipsa constitutio, dispensandi dedit facultatem: instar ergo delegati à iure, vt *in c. irrefragabili 13. §. cæterum. de officio ord.* vbi Archiepiscopus dicitur delegatus, non ab homine, sed à iure: valet igitur in præsenti Episcopus considerari delegatus à Concilio, & consequenter quasi missus dominicus, & vicarius Pontificis, quo nomine propriè insignitur vicem alterius habens, dicebat LIVIVS *lib. 19. Belli puni. tertiæ decadis. Vicarium tibi expediam, cui tu arma, equumq; & cætera instrumenta militiæ tradas*: & CICERO *Philip. 12. Quod si in bello dari vicarij solerent.* Et Apostolorum vicarij Episcopi sunt *c. 1. §. per frontis* iuncto ABBATE *de Sacr. vnct.* nec novum in Episcopis cumulari, & ordinariam & specialem iurisdictionem *c. 1. §. 1. de offic. legat.* præterquam in præsenti, reservata cùm videatur Pontifici dispensatio, specialem requiri in Episcopo facultatem, vt ipse dispenset, quis neget argumento *c. quod translationem 4. de offic. legat.* ergo indecorum non erit vltima verba huius §. de Episcopo intelligere. * Verum enim verò cùm 198

Plura canities novit, quàm læta iuventus

ABBATEM & Glossam amplectimur, & de vicario Episcopi interpretamur securiùs, & suaviùs. Rursus, missus dominicus inæqualitatem maximam in dignitate nominis ipsius præfert, quod alienum est à locutione Pontificum, qui Episco-

piscopos non filios, non servos sed fratres appellant, *c. quàm gravi 6. de crimin. fals.* ibi: *Cum scire debeas Apostolicæ Sedis consuetudinem in suis literis hanc tenere, vt Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos fratres, cæteros autem Reges, Principes, vel alios cuiuscunque ordinis, filios in nostris literis appellemus.* Non ergo Episcopus missus dominicus, iuxtà stylum Sedis Apostolicæ, dicetur.

§. V.

ibi... IN CLERICATV PERMANEAT.

199 Ervus totius nostræ disputationis clausula hæc est, nam vel rigorosè sumitur contra Monachos *c. vt Clerici 3. de Regularib.* ibi: *Vt veri Monachi sint, vel veri Clerici*, & dissonant, quæ huc vsque à Moguntino Concilio didicimus de susceptione habitus Monachalis, qui denotat communionem, & congregationem canentium simul in choro: similiter ferè VIRGIL. 1. *Georgic.*

Omnis quam chorus, & socij committentur ovantes.

Nusquam enim Monachus est sine Monacho. INNOC. *in c. quod Dei timorem. De stat. Monachor.* quem sequitur ABBAS *ibidem n. 9.* IMMOL *in c. fin. n. 8. de Cleric. agror.* quod ad singularem casum adducit eruditissimus, & nũquam fine laude nominandus Dominus Doctor D. IOAN. SOLORZAN. PEREIRA, & Castellæ, & Indiarum Regius Conciliarius, inter antiquos illos iuris primarios Professores describendus *lib. 3. de Indiar. guberna. cap. 16. à n. 73. tom. 2.* vel standum est casui, quo filius supponitur oblatus Religioni; & tunc impropria sunt verba; id difficiliùs invenio propter sequentia nostri capitis. ibi: *Per vim Clericus factus est*, quæ de statu religioso minùs aptè interpretantur. Est vndique Cœlum, & vndique pontus.

200 BASILIVS LEGIONENSIS eximius & clarus in Orbe Salmanticensis Doctor, *lib. 7. de matrim. cap. 5. de impedim. vot. n. 15.*

n. 15. nostrum caput expendit, vt non de oblatis filijs Monasterio, sed Clericatui, sumatur: ex illius doctrinâ sequens robustum conficio argumentum. Concilium Moguntinum in præsenti de consensu ipsius filij oblati mētionem facit: ibi: *Nec ipse, nec parētes eius*, ergo nō est casus de filio oblato Religioni, & Monasterio. Antecedens patet, consequentia probatur: filius devotus, & oblatus religioni à patre, necessariò vellet nollet efficiebatur religiosus, quod secus fuit in filio oblato Clericatui, cuius post erat necessarius consensus, ergo si de cōsensu filij Conciliū disputat, nō de oblato Monasterio, sed Clericatui, sermonē instituit. Antecedēs probo I. ex *Concilio Toletano* 4 *can.* 49. vbi cōstituitur Monachū, aut paternâ devotione, aut propriâ professione fieri, vt quidquid horum fuerit allegatum teneat, ne possit ad sæculum habere regressum: cuius Toletani Concilij, & canonis meminit Clemens III *in c. cum virum* 12. *de regularib.* II. ex *Concilio Toletano* 10 *can.* 6. vbi clarius exprimitur, filio oblato non licere ad habitum reverti sæcularem; quæ omnia complectitur, textus *in c. Monachum* 20. *q.* 1. *& in c. quicumque. eadem caus. & q.* & adducit in comprobationem illud Annæ, quæ Samuelem puerum suum Deo pietate obtulit, & in templo fuit perpetuò deputatus: donabatur enim filius Monasterio sicut in mancipium, & non impropriè, quia Monachus censetur servus *c. multos* 54. *dist. c. Monachus* 105 *c. placuit, c. generaliter* 16. *q.* 1. non ineptè cum Seneca *epist.* 26. repeto, *qui mori dedicit, servire dedicit*, vt inferam qui mori didicit, servire rectè didicit: quid ad illum iam carcer huius Mundi, & custodia corporis, & claustra? O bonarum mentium libera servitus, & ancillaris libertas! & fortè capitis tonsura hanc servitutem excutit, cum capilli quondam fuerint libertatis indiciū, quo spectant Sidonii Apollinaris verba *lib. epistol.* 2. ibi: *Si nullis quantum rumor Anthemij Principis opes, statuit, tè authore, nobilitas, seu patriam dimittere, seu capillos*: ideò pro mortuo etiam habetur, non impropriè dixero illud Homeri *lib.* 2. *c.* 5.

Nam & mortuorum est ita coronari.

Fuit etiam pervetus apud antiquos consuetudo tondendi comam morti apropinquantes in PROSERPINÆ cultum. vndè STATIVS

Audio iam rapidæ cursum stygis atraque ditis
Flumina tergeminosque mali custodis hiatus.
Accipe commissum capiti decus, accipe laurus,
Quæ Erebo deferre nefas.

Et SENECA *in Hippolyto actio.5.*

Placemus umbras: capitis exuvias cape,
Laceræque frontes accipe abscissam comam.

Plura cumulavit IACOB. DVRANT: *lib. 2. variar. cap.* 19. per totum: fuit olim capillos ipsos consecrandi mos, refert CELIVS RODIGI. *lib.* 22. *Lection. antiq cap.* 2. conservant libertatem capilli, & authoritatem, dummodo honesti & naturales, aliàs MARTIALIS irridet:

Mentiris iuvenem tinctis, Lentine, capillis
Tam subitò corvus, qui modò cygnus eras.

Nec contra mentitos centum annorum pueros aspernabile est exemplum PHILIPPI MACEDONIS, qui cùm ex ANTIPATRI amicis quemdam adlegisset iudicem, vix advertit ab illo barbam infici, & capillum, è vestigio cùm amovit hominem, addito elogio, *qui in pilis infidus est, qualem in negotijs remur futurum?*

201 Subiecti ergo tonsurati dicebantur, quò spectat DIV. HIERONYM. *epist.* 48. ibi: *Moris est in Ægypti & Syriæ Monasterijs, vt tam virgo, quàm vidua, quæ se Deo voverint, & sæculo renuntiantes omnes delitias sæculi conculcaverint crinem Monasteriorum matribus offerant desecandum.* Ni victores appellemus, nam quæ maior victoria, quàm se ipsum vincere? corona autem triũphum indicat, vndè PROPERTIVS, *lib. 2. eleg.* 22.

Ecce coronatæ portum tetigere carinæ.

Et cur non? pater, qui olim potuit curiæ filium concedere sæculari, cœlesti dare valeat? & qui occidere *l. in suis* 11. D. *de liberi. & posth.* & pignorare, *l. vltim. C. de evictione.* & vendere. OVID. 8. *Metamorphos.*

Et

Et tandem, demisso in viscera censu,
Filia restabat non isto digna parente,
Hanc quoque vendit inops.

L. 1. *C. de patrib. qui filios distr.* (exceptis sanguinolentis, hoc est, recens natis, & vt ait IVVENAL *satyr.* 7.

modo primos incipientes
Edere vagitus, & adhuc à matre rubentes.

Plura COVAR. *lib.* 3. *varia, c.* 14 *n.* 4. & REVAR. *lib.* 1. *coniect. c.* 17. & post omnes eruditus CARRAN. *de legiti. part. c.* 4 *sect.* 4. per totã) non possit & DEO reddere? strictior non ne, & implacabilior civilis illa & superstitiosa quondã patriæ potestatis vis, & dominatio? cùm filius si nõ paupertatis votũ, rigorẽ expertus fuit, cùm nihil proprium, nihil acquisitum, quod momentò esset in illius personâ? *l. placet* 74. D. *de acquir. vel amitt. hered.* etiam volente patre *l. quod dicitur* 130 D. *de verb. oblig.*? & tamen in Rempublicam ipsam oblatione curiæ transferebatur. Rationabilius ergo erit in Religionem transgredi, vt in filio, non tam filius, quàm pater ipse oblatus esse videatur, qui non scripsit illum, sed gignit heredẽ sui, vt dicebat SIMACHVS: & quis nisi pater prudens concilium pro liberis accipiet? *l. vltim. C. de impub. & alijs*, & specialiter pro impuberibus.

Partim his motus BASILIVS *vbi supra n* 11. reprehendit GABRIELEM VAZQVEZ, quòd dixerit sibi incredibile videri solâ parentum oblatione filium Monachum fieri, ni post accederet filij consensus; invehit in eum, sumpto argumento à Concilio Toletano. ibi: *Quidquid horum fuerit allegatum tenebit*, non enim vteretur disiunctivâ, si vera esset mens GABRIELIS VAZQVEZ, imò diceret *vnum fuerit allegatum* non *quidquid horum* adducit item GREGOR. 2. *epistol.* 4. ALEXAND. III. responsum *in c. significatũ* 11 *de regular.* & tandem reddit BASILIVS differentiæ rationem inter oblationem factam Monasterio, vel Clericatui. In primo casu leviùs, inquit, præiudicium Religio patitur, seu Monasterium, si pessimus evaderet, cùm vel propter vitium animi, vel corporis expelli posset, quia vt INNOCEN 202

III. *in c. ad Apostolicam 16. de regularib.* tempus probationis à Sanctis Patribus est indultum, non solùm in favorem cõversi, sed etiam Monasterij: vt & ille asperitates istius, & istud mores illius valeat experiri. At in Clericatu constitutus, semel ordinatus, nunquam non esset ordinatus, quod adeò sic est, vt puerum ante vsum rationis ordinatum, & amentem verum characterem recipere, quin repetendus sit ordo, postquam puer ad annos discretionis pervenit, aut amens ad mentem veniat, absolutè affirment DIV. THOM. *in 4. dist. 25. q. 2. art. 1. & 3. p. q. 39. art. 2.* BONAVEN. *ead. d. 25. art. 2. q. 2.* vbi SCOT. DOMIN. SOTVS, & GREGOR. DE VALEN. *tom. 4. disp. 9. q. 4. pun. 1.* REGINALD. *in foro Pœnitent. tract. 30. n. 30.* VAZQVEZ *tom. 3. in 3. p. disp. 246.* & colligitur hæc doctrina *ex c. vnico de Cleric. per saltum promoto* disputat MARCHIN. *de Sacram. Ordin. tract. 1. part. 4. c. 4.* Recta ergo est BASILI LEGION. consideratio, inspecto antiquo illo tempore ante Concilium Tridentinum, quo id sublatum *sess. 25. de Regular. cap. 17. & 18.* vt liberius DEO præstetur obsequium.

203 Hæc religiosissimi, & doctissimi viri opinio sola fuit sui ingenij subtilitate digna: nostræ non ancillatur menti, nec si verum fatear, legitimam invenio rationem, vt in voto Religionis absuerit religiosi consensus, & voluntas filij à parentibus oblati: voluntariũ quippè militem diligit DEVS, *c. nec est 15. q. 1.* & ideò placet brevis, & accurata conclusio Præceptorum Præceptoris THOM. SANCH. *lib. 4. in præcept. Decalogi c. 18. n. 9.* statuentis puerum oblatum religioni quandiu est intra pubertatem, cogi perseverare: tenet etiã ABB. PANORM. in præsenti *n. 10.* per textum *in c. puella 20. q. 2.* puberem tamen factum posse liberè, vel redire ad sæculum, vel religiosus persistere. Huius distinctionis exemplũ omnibus patet *in c. de illis* el primero *de sponsat. impube.* vbi patris nomine filij contrahentis sponsalia filius non revocat, quamdiu impubes, sed benè post pubertatem: impubes enim cur consentiat, vel dissentiat, qui non sentit? *l. si tibi §. vnius D. de opiem. legat.* iunctâ *l. vltim. §. vbi autem,*

C. de bon. quæ liberi, & l. nonnunquam 32. D. *de adoption.* aliud offert: nā impubes adoptatus interim nexibus patriæ potestatis adoptivi patris liberari non valet, post pubertatē potest *l. etsi 33.* D. *eodem tit.* ergo nō inconvenit filium oblatum, & Religioni à patre devotum impuberem teneri, puberem verò liberi esse arbitrij.

Deservit huic doctrinæ expressus textus, quem non 204
animadvertit BASILI. *in c. cum virum 12. de Regular.* cuius certa fides facti sequens. Filia minor intra annos discretionis à parentibus oblata Monasterio habitum induens Religionis, & iam benedicta, militi copulavit: CLEMENS III. eā redire ad Religionem cogit, & recordatus Concilij Toletani, quod Monachum, aut paternâ devotione, aut propriâ professione fieri constituerat, à se non posse iugum excutere Monasticæ professionis subiungit, quia benedictionem accipiens non contradixit: ergo evidentissimè constat potuisse tunc contradicere, ergo adhuc, vrgente constitutione Toletani Concilij, consensus erat filij necessarius ad monachismum professione perfectum. Rursus, in *vers. nec obloquitur* dum meminit constitutionis LEONIS Papæ, quæ invenitur *in c. puellæ 6. 20. q. 1.* casum à casu distinguit, vt si nubilis sit filia à parentibus oblata Monasterio suo sibi consensu præiudicet; si verò non sit nubilis, possit post egredi, ergo distinctio SANCHEZ iure tenet, & consona est Canonicis regulis.

Ab eadem scaturigine derivatam suspicor aliam non 205
minus vtilem distinctionem, scilicet religiosum dupliciter profiteri posse, tacitè vel expressè, vt annuit, *in d. c. 18. n. 9.* idem SANCHEZ, ibi: *Donec professionem tacitam, aut expressam faciat.* Exornat & iusdem sentire est TAMBVRINVS *de iur. Abbat. disp. 6. q. 13.* per totam, & præcipuè *n. 6*, tacitam professionem vocat interpretativam, & numerat requisita necessaria, duce MENOCHIO *de Præsumpt. lib. 6 præsump. 83. n. 9.* Quâ præviâ divisione, excogito Concilij Toletani verba huc respexisse, filius enim à parentibus oblatus Monasterio, sat est, si non contradicat pubes factus *d. c. cum virū.*

Ecce

Ecce professus tacitè, cuius obligatio cùm originē duxerit ab ipsâ oblatione patris, dicitur tunc filius religiosus devotione fieri, accedente suo non dissensu,& filius non oblatus verba profert,& consensum exprimit in professione : ecce secundus casus : ergo Concilij Toletani verba salva remanent, vt verum sit dicere *quidquid horum fuerit allegatum tenebit*, quia diversa quodam modo hæc sunt, *non contradicere,& consentire l.2.§.voluntatem D solut.matr.* faciunt textus *in c.ex parte* 22.*c.porrectum* 13.*de regularib. c. consuluit* 4.*qui Cleric.vel vovent.* Concilij ergo Moguntini decretum etiam de filio oblato Monasterio loquutum est.ibi: *In Clericatu permaneat.*

§. VI.

ibi... SI VERO POST LEGITIMOS ANNOS PER VIM CLERICVS FACTVS EST : ET NEC IPSE, NEC PARENTES EIVS INTRA ANNVM AD MEMORATAS PERSONAS RECLAMAVERINT IN CLERICATV PERMANEAT, SICVT IS, DE QVO SVPRA DICTVM EST.

206 N aliam tribum adoptatur textus hæc nostri secunda pars, & Athlanta contraria insurgit difficultas, *ex c. perlatum* 1.*de his quæ vi.* vbi ALEXAND.III. nullo expectato temporis curriculo, mulierem, quæ nefandissimâ coactione votum suscipiendi habitum Religionis emisit, post actum ratificationis negat, posse voto primævo liberari, imò Ecclesiasticâ districtione compellit, habitum reassumere depositum,& redire ad Monasterium: ergo sine vllâ iuris ratione annus filio conceditur, qui post legitimos annos per vim Clericus factus est; cum iniuria fieri nō dicatur ei, qui semel voluit *l.in diem* §.*ideò autē* D.*de aqua.& aqu. pluv. arce*,& semel velit, qui per horam,per diem, vel per mensem tacet. Nec in *d.c.perlatum* debuit metus iniustus accu-

sari,

sari, cùm maritus minaretur mortem vxori ducens eam in sylvam, evaginato gladio, vt occideret, postquam verberavit; vidit illum impium, totum ardentem irâ, nam frons est animi, & si mutabilis index, quæ constituunt indubiè metum iustissimum *l. interposita C. de transaction l. cum donationes C. quod met. caus.* & vt ARISTOT. *lib. 2 Rhetoric. c. 5.* timor est perturbatio ex imaginatione futuri mali; & si est mortis, fortius premit, nam mors est omnium malorum temporalium maximum, ex ipso Philosopho *3. ethic. 6.* Dein cùm vxor in manu viri fuerit, facit illud CICERONIS *in orat. pro leg. manil. Omnis, cuius in alterius manu vita posita est, sæpius illud cogitat, quod possit is, cuius in ditione, ac potestate est, quàm quid debeat facere.*

II. Difficilis redditur decisio Concilij Moguntini *ex c. ad id 21. de sponsal. & matr.* vbi habetur, matrimonium per vim contractum voluntariâ cohabitatione convalescere, & si dimidium anni transierit post pubertatem mulieris vim patientis, & *ex c. de illis 9. de spons. impub.* vbi consensus quilibet post violentiam, actum meticulosum sanat & violentum, *c. significavit 2. de eo qui dux. in matr. quam poll. per adul.* & ex *c. insuper 4. qui matr. accus.* vbi CLEMENS III. & si adsint testes famâ, & conversatione præclari, quibus mulier vim passa probare conetur, nunquam consensisse, non esse post audiendam, decrevit: quia cùm primùm potuit, non reclamavit: & subiungit. *Semel etiam copulæ carnali consensit ex ratihabitione sibi super hæc silentium non ambigitur indixisse:* quæ cum Moguntino Concilio pugnant, quatenus annum tribuit, vt vim patientis voluntas exploretur. 207

Præterea, quoties inter vim, & vim differentia non exprimitur, congruum dare responsum impossibile est *c. de muliere 6. de sponsal. & matr.* ergo minùs aptè procedit Moguntinum, cùm non discernat inter vim, & vim. Confirmatur, *ex c. consultationi 28. § 1. de sponsal. & matr.* vbi nō statim auditur reclamans contra metum illatum, seu inferentem, nisi inquisitione factâ, ergo iniustè annus conceditur, quasi sola dilatio temporis consensum probet; & ante 208

nil obstet, aut reclamatio sufficiat.

209 Denique iuramentum equè habet DEVM creditorem ac votum: & adhuc apud eos miseri saecli & caeci homines. *Quorum multò facilius bonitatem irridere, quàm sanctitatem imitari possumus*, dicebat ADRIAN. TVRNEB. *Adversar. lib.* 18. *c.* 25. sanctissimum fuit ius iurandum, sive per liberos fieret, vt HORAT. *Ode.* 5. *Epodon.*

Per liberos te si vocata partubus
Lucina veris affuit.

Sive per dium fidium de quo iuramento PLAVTVS *in asinaria sc.* 1 ibi.

Per dium fidium quaeris iurato mihi:
Video necesse esse eloqui quicquid roges.

Sive per immobiles testes, iuxtà illud VIRGIL.

Esto nunc Sol testis, & haec mihi terra precanti,
Et pater omnipotens, & tu Saturnia Iuno.

Solennibus adhibitis. ibi:

Audiat haec Iupiter qui foedera fulmine sancit,
Tango aras, mediosque ignes, & numina testor.

Et PRVDENTIVS

Per Solis ignes iuro.

Fuit hic antiquus mos iurandi solenniter, vndè CICERO *pro Flacco. Si aram tenens iuraret*, & IVVENAL. *satyr.* 14.

Falsus erit testis, vendet periuria summa
Exigua Cereris tangens aramque, pedemque.

Dijs magnum, dicebat HOMER. *Sacramentum*: sacratissimũ quid erat, refert LIVIVS *lib.* 31. & TACITVS *annalium* & SVETON. *in Galus. cap.* 11. hinc SERVIVS 1. *Georg.* terribilem quondam iuramenti fuisse Religionem invenit, illis iurandique DEVM *Palidum* dictum, quia iurantes trepidatione pallescerent. & AMIAN. *lib.* 21. milites iurantes gladios cervicibus admovisse, ait, vt mortem sibi opponerent, prius quàm iuramentum deferretur. Invenio etiam in SVETONIO *in Augustum. cap.* 24. pollices amputatos, causâ detrectandi sacramenti. Iuramentum ergo, (à caecis adhuc hominibus obsequatum) si vi emittitur (non vbi falsi dij illi

seu

seu dæmones adhibentur vt olim) sed verus DEVS Author firmamēti, potest semper relaxari *c. pervenit de iur. iur.* cuius meticulosi actus detestatio tot posset Legum, & Canonum authorari decisionibus, si opus esset,

Quot folia aut flores in vere virescunt,

Aut quot muscarum densarum examina bombant.

Ergo & votum vi emissum, post annum debuit relaxari in præsenti, vel non debuit iuramentum *in d. c. pervenit.*

Vt hæc summis degustata labijs in amicitiam redigātur, & decisio Moguntini, turris instar, nec possit loco moveri, & faciliùs percipiatur, quæramus oportet casum huius secundæ partis. Et quidem semper placuit ABBATIS PANORMITANI doctrina, asserentis textum nostrum cum grano salis recipiendum (nō enim sapit esca probè quæ datur absque sale) id est, de filio minore vigesimo quinto anno vim passo, & per vim devoto Religioni, quo tempore non tanta illi discretio est in re gravissimâ, vt coniectemur, statim actum meticulosum convalescere; quâ vnâ re in formante animum, supradictorum capitum, & argutionum moles penitus ruit. 210

Auget & locupletat intelligentiam nova Concilij Tridentini constitutio *sess. 25. cap. 19. de Regular.* vbi quinquennium à die professionis numerandum conceditur meticulosis, seu violentis professis. Sed cur hæc indulgentiæ protelatio? Cogitabā, primævo illo temporis cursu, adhuc salvū non fuisse iudicium circa religiosos per vim suscipientes Monachalem habitum; cùm, labente anno, & lapso iam, potuerint non consensisse, & probationibus subvertere Concilij Moguntini decretum: ne ergo testibus (& sæpius non integræ frontis, vt dicebat Consultus *in l. quæsitum. D. de testib.*) & diminutis præsumptionibus iudicium subiiceretur, tandem quinquennium Concilium Trideutinū donat vim vel metum passis in voto religionis, vt ex congruenti dilatione temporis, iuris & de iure præsumptio & nasceretur, & firmaretur. Circa hanc quæstionem metus in commissione voti, vel contractu matrimonij, & ordinatione sat est 211

mittere lectorem ad sequentes Doctores, SANCHEZ. lib. 2. disp. 20. n. 4. HENRIC. BOITIVM, in c. maiores, n. 5. de Baptis. REBELLIVM de obligat. iust. p. 2. lib. 1. q. 5. post 2 tom. PAVL. COMITOL. responsor. moral. lib. 1. q. 55 n. 3. AOTON. DIAN. Moral. resolut. tom. 2. tract. 4. de Sacram. Ordin. resol. 193. IOAN. AZOR lib. 13. moral instit. cap 14. SAYRVM in claui Regia, lib. 6. cap. 4. n. 20. BONACIN. de Matrim. q. 3. punct. 9. n. 14.

212 Vnicam assignare iam decidendi rationem ad integrum Moguntini Concilij fragmentum abs re nō est. Eam accuratam, & consonam existimo, quod licet actus à principio voluntarius sæpius fiat ex postfacto necessarius. l. sicut C. de obligat. & act. actionum contingit etiam actum à principio necessarium, seu meticulosum, & violentum, fieri ex postfacto liberum, vt nouo con sensu quasi incipiat, crescat, & perficiatur. c. super hoc. de renunt. nec enim rarum est, necessitatem ipsam influere adeò in ipsam voluntatem, vt liberè iam quis post velit, quod à principio noluit; & quia nullum noscit ad præteritorum emendationem habere remediū, affectu animi, in ipsâ necessitate liberè persistat: huc pertinet illud *Ero tibi amicus in minori metu*,

Id est, cùm iam desperata ad periculum pergit audacia. Deindè cum ad amittendam rei possessionem non solùm traditio, sed animus sufficiat. *l. quod meo §. si furioso in fine. D. de acquir. possess.* & factum pro voluntate cedat. *l. liber homo in fine. D. de acquir. rer. domin.* euenit in primo casu nostri capitis, patrē offerentem semel Religioni filium voluntario actu, non posse eū reuocare pœnitentiâ, nisi accedat Pontificis dispensatio, vel Episcopi, aut missi dominici: & in secundo licet actus fuerit meticulosus, vel violentus à principio, cùm post, taciturnitate, lapsu temporis, & non dissensu factus fuerit voluntarius, incipere, crescere, & perfici, & quasi à principio liberè volentē filiū astringi Religioni.

Horâ hîc integrè perijt.

Non prima sed vltima virtus

Præmia fert.

DISSERTATIVNCVLA. IV.

Brevis, Legalis, accurataq; commentatio Textus

In cap. Cum tibi xiii. de Testam. Lib. III. Decretalium.

Et novus intellectus ad legem i. D. de Legat. II. l. Fideicommissa xi. §. Sic fideicommissum D. de Legat. III.

Et L. Illa institutio xxxii. D. de Hered. instituend.



CITV dignissimam expendo Decreta- 213
lem, & difficilem disceptationem vltimæ voluntatis, quæ dum diligenter inquiritur, validior adsurgit, & quo magis exercetur, spiritus eius occultior supprimitur. Sed forte in re antiquâ diutiùs meditatâ adcrescent nova non nulla, quibus hucusque dubia peragantur, nam morbis aliquando remedia sunt vexationes. Breviter procedam, non tamen adeò, vt obscurè: dicam non longè, sed sat: nam vt Philosophus, *lib. I. de Art. Poetic. Omnis sermo si brevior fuerit quàm oportet, obscurat intellectum.* & Caivs,

in

in l. 1. D. de orig. iur. ibi: *Non quia velim verbosos commentarios facere, sed quod in omnibus rebus animadverto, id perfectum esse, quod ex omnibus suis partibus constaret.* Ideò rectè PLINIVS Iun. *lib. 1. Cornel. Tacito. Alius*, inquit, *excessisse materiam [illegible] tate, hic viribus peccat; quod certè, etsi non limatioris, maioris tamen ingenij vitium est.* Medium invenire beatum quidē, imò reconditi sensus non omnia verba occursant, sed quæsita, exculta & observata.

214 Eò ergo tendit INNOCENTIVS III. *in d. c. cum tibi*, vt probet intestatum non esse, qui extremam suam voluntatem in alterius dispositionis actum commiserit. Contextum plures examinant interpretes: contentus ero laudare, vt authoratus incedam, COVAR. *ad tit. de testam.* SARMIENT. *lib. 2. select. c. 6.* MENCHAC. *de Success. creat. lib. 2. c. 17.* GRASS. *recept. sent.* § *institutio, q. 18 in 7.* FACHIN. *controv. lib. 5. c. 57.* & penè innumeris suo more citatis, CASTELL. *quotidi. controv. iur. lib. 2. c. 4.*

215 Verùm hæc Canonica desisio receptissimis Iuriscivilis principijs adversatur: satis enim constanter veteres negavere, vltimum hominis morientis elogium ex alieno posse pendere arbitrio. *l. illa institutio* 32. *l. si quis Sempronium* 68. D. *de hered. instit.* Hinc prohibitio *l. ex facto* 17. in principio. ibi: *Senatus censuit, rogari quidem quem, vt aliquem heredem faciat non posse.* D. *ad Sena. Cons. Trebell.* cui cōsonat. *l. filius familias* 114. § *vt quis heredem.* D. *de legat.* 1. quibus illam rationem appendit, PINEL. *lib. 1. select. c. 1. n. 4. Vt testantium sit liberrima voluntas. l. 1. C. de sacros. Eccles.*

216 Rursus, quid illud? affirmavit INNOCENTIVS in testatum non videri, qui alienæ voluntati adeò subiicitur, vt liberam non habeat suam? absit: nostræ enim, non alienæ mētis sententia testamentum dicitur. *l. 1. D. de testamen. l. verbis* 120. D. *de verb. signif.* & quemadmodum ossuaria, seu conditoria dicuntur repositoria illa, vbi reliquiæ corporū, sic testamenta, vbi deponuntur mentis ipsius propriæ. Ni testatū decedere sine testamento, voluntateve sinè heredis

in-

institutione testamētū invenerit cuius hæc caput est *l.1.D. de her insti.* § *ante heredis.Instit.de legat.* §.3 *insti.de fide.com. hered.l.hac consultissima.C qui testam.face poss.* plura eleganter COSTA.in *c.si pater* 1.*p.verb.adiiciens,n.4.de testam in 6.* quod nemo iuris peritus admittet. Ergo cùm heredem INNOCENTIVS omittat,intestatum eum hominem ingenuè fateri cur non teneatur? cùm testamentum nondum condiderit,nec heredem fecerit:argumento *l.* 1. D. *de iniust. rup. l.intestatus* 64.D.*de verb.signi.*

Vt veram intelligentiam huius Pontificiæ legis assequamur,præsciendum omninò est:extremam testantis voluntatem ex alieno posse boni viri pendere arbitrio *l.fideicommissoria* 46.in princip.D.*de fideicom. libert.* quo sensu legatum , fideicommissum ve in extranei voluntatem conferri inficiatur non nemo,id est,non absolutam , & sine regulâ liberam , sed regulatam à bono viro. *l. si sic legatum* 75 D.*de legat.1.l.1.D.de legat.2.l.fideicommissa* 11 §. *quamquam.*D.*de legat.3.*in meram ergo voluntatem,seu libertatem alienam legatum relinqui,iura nō patiuntur. Ast cùm id tripliciter dubitetur,videlicet,an in voluntatem heredis: legatarij : vel alterius tertij : non parùm iuvabit sigillatim expendere divisionis membra. 217

In voluntatem heredis legatum conferri , nec decet, nec permittitur, quia per aditionem, quasi contrahit cum legatarijs.§.*heres.instit.de obligat.quæ ex quasi contr. Pro non dicto enim est , quod dare nisi velis, cogi non possis* , inquit, POMPON.*in l sub hāc* 8.D.*de obligat.& act.* esset vtique illussoria isthæc dispositio , cùm saltim iuris præsumptione probabili conditio vsquam non esset extitura , vt benè ratiocinatur CASTILLO *lib.* 2 *quotidian.contr.cap.6.n.35.* Ecquis heres vellet solvere,si iure posset,& nolle? *l. Senatus.* §.*legatum.*D.*de legat.*1.hæ verò cessant prohibitionis causæ, si in heredis arbitrium regulatum vltima legandi voluntas conferatur.V.C. si dictum sit, *si heres existimaverit: si arbitratus fuerit: si heredi videbitur.l.si sic* in principio. D. *de legat.*1.obsevant PERALTA,*in l.1.n.46.vers.primus est.* D.*de* 218

legat.

legat. 2. & SARMIENT. *select. lib.* 2 *c.* 6. *n.* 5. EMANOEL COSTA *select. lib.* 1 *c.* 21. *n.* 7. CONNAN. *comm. iur. lib.* 10. *c.* 6. *n.* 3. inter quæ multum interest, nam siue heres in morâ arbitrandi constituatur, aut arbitrari noluerit, aut aliter arbitretur, quàm bonus vir voluisset, legatum iuxtà boni viri arbitriũ legatario debebitur, docuit BARTOL. *in l.* 1. *n.* 3. D. *de leg.* 2. quia testator sic legans omninò voluit, legatum deberi: nec impeditur, nisi heredi iusta sit causa contradicendi.

219 Hinc interpretor textum in *l. fideicommissaria* 46. in princip. D. *de fideicom. libert.* ibi: *Si volueris fidei tuæ committo*, & in *vers. quod si ita*: vbi negatum est, vt primo casu in arbitrium heredis regulatum; secundo verò in absolutum relinqueretur. Videndus SARMIENT. *vbi supra. n.* 16. & MENOCH *lib.* 1. *de arbitr. q.* 8. *n.* 1. & COSTA *lib.* 1 *select. c.* 22. textum autem *in l. vxorem* 41. §. *Scævola* D. *de legat.* 3. intelligo de voluntate heredis, in quam confertur, non *an debeatur*, sed *quando debeatur l. fideicommissa* 11. §. *hoc autem*. D. *de lega* 3. *l.* 46. §. *quamquàm*. D. *de fideicom. liber.* ibi: *Quamquàm autem in heredis arbitrium conferri an debeatur non possit, quãdo tamen debeatur conferri potest, &c.* vndè simile legatum conditionale, assevero, & nunquam ad heredes transmissibile *d.* §. *hoc autem* cùm dies mortis incertus sit. *l.* 1. §. *dies autem. l. dies incertus* 74. D. *de condit. & demonst.* facit *l. pecunia* 12. §. 1. D. *de leg.* 2. quibus solet obiici textus *in l. centesimis* 46. § *fin.* D. *de ver. obli.* videndus SARM. *lib.* 2. *selec. d. c.* 6. & IACOB. CVIAC. *in l.* 17. D. *de verb. oblig.* cuius opinioni adstipulatur textus in *l. venditio* 8. *e. t.* D. *de contrah. empt.* quæ omnia radicitùs scribere non lubet, vt ad subtiliora & novè excogitata veniam, & quia vt dicebat PAVL. DE CASTRO, *tom.* 1. *cons.* 28. in princip. *Veritas quanto magis conteritur, & oppugnatur, tanto clarior expulsis nebulis in lucem progreditur: sicuti aromata magis redolent, quanto magis conteruntur.*

Illud iam subtile formo argumentum, quo superior

220 doctrina summè difficilis redditur. Exheredatio non minus caput testamenti dicitur quàm institutio. *l.* 1. D. *de hered.*

red. instit. sed hæc potest pendere ex voluntate heredis ab-solutâ, licet velatâ, cur & legatum non poterit? maior est evidens; minor autem armatur eleganti, & obscurissimo textu in *l. pater familias* 44. D. *de hered. inst.* cuius hæc species proponitur. Duos quis herèdes instituens, monumentum certis diebus fieri iussit: dein, vt prædictos heredes in defectum conditionis, ceu gravaminis exheredaret, sic disposuit, *qui eorum non ita faceret, omnes exheredes sunto*: quorum vnus monumentum non condidit: dubitatum extitit de alio, an minus heres esset. Ergo exheredatio à principio valuit, etsi ex facto voluntario alterius coheredis pēderet, aliter enim nulla post quæstio incideret, circa heredem adeuntem: & fortius premimur illis verbis, quæ pro ratione decidendi cedunt. ibi *Respondi neminem ex alterius facto neque hereditati alligari, neque exheredari posse.* Æquè etenim comprehendunt coheredis, aut alterius tertij factum voluntarium: sed sub conditione *si Titius capitolium ascenderet, vel monumentum fecerit*, valet quilibet institui. *l. si quis Sempronium* 68 D. *de here. inst.* ergo vna, vel altera lex minùs congruit superiori doctrinæ.

Vt satisfaciam, sciendum est in *d. l. si paterfamilias* neutiquam exheredationem in potestate coheredis positam 221
esse, nam cum Iacob. Cviac. *in l.* 29 D. *de here. inst.* formulam illā *qui eorum non ita fuerit, &c.* interpretetur, ac si testator diceret, *ille si non fecerit exheres esto: ille item si non fecerit exheres esto.* Exheredatio itaque in *d. l.* 44. in defectum adimplementi gravaminis nocet cuilibet heredum, ex quo nullum retegitur inconveniens: exemplum sumo ex *l. hac articulo* 29 D. *de hered. inst.* vbi ferè sub simili specie relativum *quisquis* destribuitur; inspicienda enim potius semper mens testatoris, quàm rigorosa verbi significatio, *l. non aliter* 69. D. *de leg.* 3. ast cùm vna oratione prædictos heredes exheredes esse testator voluerit in *d. l.* 44. & vnus monumentum non fecerit, dubitat Consultus, an superstes minus ob id heres sit, coherede repudiante hereditatem? Verùm cùm monumentum solus extruxisset, rectè decidit

ALPHENVS. (Non iam habitâ ratione ad conditionē, sed ad repudiationē coheredis) ex alterius facto superstitē heredē, neq; hereditati alligari, neq; exheredari posse: id est, ex alterius facto, in cuius eventū collata nec institutio est, nec exheredatio. Vndè iā clarescit ALPHENI decisio, nego enim exheredationē in *d. l.* 44. in factum & voluntatē coheredis conferri, sed dumtaxat in defectum gravaminis cuilibet distributivè impositi: nec vtiliter obiicitur textus in *d l. si quis Sempronium*, nam factum illud tertij, de quo loquitur, fuit in conditione positum, & intentum à testatore, & sic institutioni causam præbuit. Dixi factum tertij in *d. l. si quis Sempronium*, non coheredis, aliâs, nunquam esset valitura institutio, cùm probabiliter suspicaremur, non esse voliturum heredem spe commodi iuris accrescendi.

222 Quæ de exheredatione extranei hucusque dictitavimus, intelligo post institutionem factam, ne pungat textus in *l. quidam* 132. §. 1. ibi: *Exheredationem, vel emancipationem res in extraneo ineptas, &c.* D. *de verb. oblig.* nec obstat textus in *l. si certarum* 17. §. *si eodem* D. *de testam. milit.* vbi habetur, quasi privilegij titulo militem posse instituere extraneum, & illum exheredare, non verò id pagano concedi. Nam respondeo dupliciter. I. in aliquibus codicibus verba *adimi non possit*, esse sine negatione, & tunc potius pagani exemplum iuvat. II. positâ, seu retentâ negatione, verū esse extraneum heredem iam institutum à pagano sub aliquo gravamine, in defectum posse exheredari, iuxtà *d. l.* 44. D. *de hered. instit. & l. Seius & Agerius* 27. D. *ad leg. falcid. l. vxorem. §. heres.* D. *de legat.* 3. CVIAC. *in notis ad fragm. Vlpia. tit.* 22. vel etiam purè instituto adimere, sed aliter miles, hic enim in eodem testamento, quem instituit heredem, potest solâ voluntate exheredare, at paganus nō nisi novè facto testamento; discriminis ea causa est, quòd pagani testamentum non nudâ perficitur voluntate, sed solennibus prævijs, *l. si ita scriptum* 13. §. *regula.* D. *de liber. & posth. l.* 1. ibi: *Quoniam hereditas semel data adimi facilè non potest.* D. *de his quæ in test. delent. l.* 6. §. *fin.* D. *de hered. inst.*

econtra militis vltimum elogium purâ voluntate constituitur, purâ dissolvitur: de propriâ exheredatione loquimur, quæ ademptionem in testamento importat, non de improptiâ, qualis illa est, de quâ MARTIAL. *lib.3.Epig.8.* ibi:

Idem te moriens heredem ex asse reliquit,
Exheredavit te, Philomuse, pater.

Vtitur enim exheredandi verbo VALERIVS, vel quia omninò testator nihil in bonis reliquerat, vel quia pater luxurianti filio dietam dedit, sive diarium, vt interpretatur MATHE. RADER. commentator *ibidem*, nam cùm heredis nomen dominum designet, cuius id proprium, facere quæ velit, & pater PHILOMVSO liberam disponēdi, & luxuriandi facultatem impediat, exheredasse dicitur: verùm cùm heredis vox petita sit è mediâ doctrinâ iuris, vt notat CERDA *ad Maron.lib.7.Æneid.versu* 424. ibi:

Externusque in Regnum quæritur heres.

Melius erit dicere MARTIALEM loquutum de patre, qui bona vivens consumpsit, vt iuri consonet Poëta, cùm hereditas bona non requirat *l.lex Cornelia*. D. *de vulgari*. sed repræsentationem *l.heres & hereditas*. D. *de acquir.rer. domin.* quæ consequens in filijs, iuxtà eundem VIRGIL, *lib.4. Æneid.* ibi:

Ascanium surgentem, & spes heredis Iulij,
Respice.

Vndè rectè MARTIALIS heredem PHILOMVSVM scribit vtpotè institutum, repræsentationis respectu; exheredem, quia heres fuerat sine bonis.

Adhuc summè obstat vetus cretionis formula, quâ in- 223
stitutus à pagano heres potuit in eodem testamento exheredari, in hunc modum, *Titius heres esto, cernitoque in diebus centum proximis, quibus scieris, poterisque nisi ita creveris exheres esto:* sed solutio ex eadem formulâ petenda venit, ibi enim exheredatio fiebat in defectum gravaminis, *nisi tamen creveris, &c.* quo casu in eodem testamento, & institui, & exheredari potest extraneus, & à pagano & à milite: solùm ergo negamus purè à pagano institutum sine

novo testamento exheredari. Vel si hæc difficilia videantur: placent GOTHOFREDVS, in *d. l* 44. D. *de hered. instit.* & IACOB. CVIAC. in *d. l. si ita scriptum. §. regula.* D. *de liber. & post.* aliter statuentes, videlicet verba. *d. l. si militarum* 17. ibi: *Cùm paganorum testamento sola hereditas exheredatione adimi non posset, &c.* sic accipi, id est, ademptione, & exheredatione, quâ vtitur paganus, solam hereditatem non adimi, sed omnia in testamento relicta corruere, si idem ex asse heres & exheres scriptus sit: at in milite non ita, nam per exheredationem etsi corruat institutio heredis, alia subsistunt, dummodo constet de voluntate militis. Hæc libuit adnotare ad veram intelligentiam *d. l.* 44. D. *hered. instit.* nũc à diverticulo ad viam redeamus.

224 Interpretor etiam difficilem *l. fideicommissa* 11. §. *sic fideicommissum.* D. *de legat.* 3. iuxtà quam communiter dicitur, ademptionem converti in dationem sub conditione, *nisi heres noluerit*: ita CONNAN. *lib.* 10. *Comm. c.* 6. *n.* 4. COVAR. in hoc *c. cum tibi. n.* 8. COSTA ex communi sententiâ, *lib.* 1. *Select. c.* 24. *n.* 6. & ferè verba legis denotant expressè. *ibi: Sic fideicommissum relictum, nisi heres meus noluerit, illi decem dari volo, quasi conditionale fideicommissum est, &c.* ergo ademptionem valere fatentur, quia in dationem convertitur: nunc eformo argumentum. Ademptio legati vltima voluntas est, sicut & datio: sed vltima voluntas non potest conferri in voluntatem heredis, ergo neque ademptio: etsi adhuc affirmes, valere ademptionem collatam in voluntatem heredis, cur non & datio legati? cùm ex regulâ *l. legata vers. quibus ex causis.* D. *de adimend. legat.* quibus ex causis non valet datio legati, ex iisdem non tenet ademptio. Cõmuniter responderi solet, verba, *nisi heres noluerit* non equivalere verbis *si heres voluerit*, ne obstet textus in *l. duobus*, 238. D. *de verb. sign.* sed æquivalere illa *nisi heres meus contradixerit.* Quæ quidem interpretatio licet vera sit, mutila tamen semper, & diminuta relinquitur: ideoque iam diu fuit in animo radicitùs intelligere rem obscurissimam & subtilem.

Ponendum igitur est ademptionem legati dupliciter 225
fieri: purè, & conditionaliter: purè, quoties per se subsistit ademptio. V. C. *Titio fundum, quem legavi heres meus ne dato. l.* 3. §. *si Titio.* D. *de adim. leg.* Sub conditione, si quod vni datum est, alij legetur sub conditione contrariâ, vel vni datum adimatur sub conditione. *l. quod si* 7. D. *eodem titulo.* Hæc nunc differentia: quòd ademptio pura per se subsistit, ita vt vel legatum corruat, & ipsa valeat, vel legatum valeat, & ipsa corruat: probat textus, in *l.* 3. §. *si quis ita.* D. *de adimend. legat.* & hanc ademptionem comprehendit æquiparatio *l. legata* 14. §. *quibus ex causis.* D. *eodem titul.* nec ab herede talis ademptio fieri poterit, cũ potius legatum præstare teneatur, donec à testatore non fuit ademptum, ademptio verò conditionalis legati dationem modificat, imò si datio pura antea sit, & subsequitur ademptio conditionalis, redditur & datio conditionalis sub contrariâ conditione ademptionis, vt probat textus *in l. si legatum* 10. ibi: *Nam legatum cùm sub conditione adimitur, perinde est, ac si sub contrariâ conditione datum fuisset, &c.* D. *de adim. legat. l. quod purè* 6. in princ. D. *quando dies legat. ced.* ibi: *Quod purè datum est, si sub conditione adimatur, quasi sub conditione legatum habetur,* videndus MENCHAC. *de Success. progress. in præfat. n* 89. MANTICA *de Coniec. vltim. volu. lib.* 3. *tit.* 17. *n.* 1. ex quibus infero conditionalem ademptionem esse qualitatem quamdam inhærentem dationi, & regulari omninò per actum dationis, in quem convertitur cõtrario sensu. V. C. si ademptioni ponatur cõditio *si navis ex Asia venerit* intelligitur legatum datum sub contrariâ conditione *si navis ex Asia non venerit.* tuetur hanc doctrinam PINEL. *lib.* 2. *Select. cap. vlt. n.* 24.

Deinde habendum est, vltimam voluntatem in voluntatem heredis merè liberam conferri, quoad substantiam actus non posse, secùs quoad aliud, quod non sit de substantiâ actus: ideòque cùm resolutio non tendat in substantiam actus, poterit in voluntatem heredis conferri, veluti in conditionem accidentalem *d. l. fideicommissa* 11. §. *sic* 226

fideicommissum. D. *de legat*. 3. Addendum tamen est, prædictam resolutionem actus tunc posse conferri in voluntate heredis, cùm se habeat hæc, vt mera conditio, quin opponi aliquo casu possit volũtati expressæ testatoris, quæ omnia accidunt in solâ adẽptione conditionali, continet enim dationem, & ademptionem expressè à testatore volitam, & intentam in casum existentis conditionis. Non ita est in ademptione purâ, & in datione positâ in voluntate liberâ heredis: exemplo res fiet manifestissima, quæ subtilis latet in responso VLPIANI.

227 Ponamus. V. C. testatorem legasse TITIO fundum & sic ademisse: *Titio adimo legatum, si heres voluerit*, statim vi ipsâ iuris & facti, legatum inest sub contrariâ conditione datum, quasi diceret, *Titio lego, nisi heres noluerit*, id est, si heres non contradixerit. Ecce vtramque casum expressè volitum, & dispositũ à testatore damus, nam si vult heres, adimitur legatum ademptione à testatore prius volitâ in formulâ adimendi: si heres non contradicit, valet legatum sub tali conditione datum: ergo voluntas heredis accidentaliter formulam & ademptionis, & dationis intrat. Nec dicas, dari casum, in quo factum heredis volentis vel nolentis sit contrariũ voluntati & dispositioni testatoris. Verum si testator incipiat à datione. V. C. *Titio fundum lego si heres noluerit*, & non adimat sub conditione, tunc voluntas heredis verè disponit, imò posset contingere, vt statuat contra voluntatem testatoris & intentionem: quia hæc est verissima propositio, quod adimitur, prius datum supponitur, nõ hæc, quod datum est supponitur ademptũ, vel adimi velle. Ergo si testator exorditur à datione sic, *do fundum Titio si heres voluerit*, & eveniat, quod heres nolit, ademptio erit ab herede disposita, cùm non sit expressa à testatore, qui forsitam si scivisset heredem non voliturum, non apponeret conditionem; ne igitur contingat vltimum morientis elogiũ taliter ab herede pendere, vt liberè ab illo pendeat; varié sic excogitamus in datione, & in ademptione, & similiter in facto quolibet voluntario heredis idem observandum

volumus. V.C. si testator dixerit *lego Titio si heres capitoliū ascenderit*, quia noluntas ascendendi expressè volita à testatore non est,& per consequens nec ademptio.

Manet iam *in d.l.fideicommissa.* 11. § *sic fideicommissum.* D. *de lega.* 3. sub dationis formulâ ademptionē fuisse factam, ideoque VLPIAN. quasi conditionale fideicommissum appellat,ac si diceret,sub ademptione conditionali contineri dationem conditionalem,sub contrariâ conditione: vt sensus sit *adimo si heres noluerit, & lego si heres voluerit*. En vterque casus expressè volitus, expressèque dispositus à testatore invenitur; hoc non contingit quando initiū à datione sumitur, sine ademptione: quia in datione licet,posset & contineri ademptio sub contrariâ conditione, id certum perpetuò non est, in ademptione verò conditionali datio sub contrariâ conditione non presumpta, sed expressa relucet: quod quidem VLPIANVS denotat.ibi. *Quasi conditionale fideicommissum est*, & hæc de primo casu, fortè noviter excogitavimus. 228

Secundus casus extremam continet legandi voluntatem collatam in voluntatem ipsius legatarij: tunc valere legatum quis dubitet? cùm absque tali conditione, & accipere & repudiare liberum ei sit *l. si ita legatum* §. *illi si volet.* D. *de leg.* 1 *l. si ita expressum* D. *de condit, & demonstr.* BART. *in l.* 1 D. *de legat.* 2. quem omnes sequuntur, teste PERALTA *in l.* 1. *n.* 49. PEREGRIN. *de fideicomm. art.* 35. *n.* 97. id peculiare scitu hîc dignum est: legatū in expressam legatarij voluntatem si conferatur, fieri conditionale, nec ad heredes trāsmitti, nisi legatarius, se velle, declaret *d. l. si ita expressum.* Reddit Consultus rationem eam, quia conditio personæ iniuncta videtur: argumento *l. in compromissis* D. *de recepit. arbitr.* non ergo eodem modo inest, quo exprimitur. Videndus præ cæteris CASTILLO *Quotidian c.* 6. *n.* 34. & ANT. GOM. *in l.* 31. *Tauri.* 229

Tertia species, seu casus est. cùm extrema legandi voluntas, in voluntatem tertij non heredis confertur. Et pro regulâ tene statim, in volunatatem tertij absolutam, & ex- 230

pressè perpetuòque liberam conferri non posse; benè tamen in voluntatem tertij, vt in arbitrium boni viri, seu velatam, & non perpetuò liberam *l si sic* D. *de lega.* 1. *l. fideicommissa.* §. *quamquã.* D. *de leg.* 3. GVILLELM. BENED. MENCHAC. SARMIENTO. COSTA. COVAR. PEREGRI, HIPOL. RIMIN. & penè innumeri exornant laudati à CASTILLO, *vbi supra num.* 40.

231 Hic casus ingentem patitur difficultatem ex *l.* 1. D. *de legat.* 2. vbi VLPIANVS nihil interesse putat, an testator leget sub eâ conditione *si Titius capitolium ascenderit, an si voluerit*, & nullâ ex his conditionibus vitiari legatum. Ecõtra MODESTINVS *in l. non nunquã.* D. *de condit. & demonst.* multum interesse existimat, si tacitè conferatur extrema legandi voluntas in voluntatem tertij. V. C. *lego Titio centũ, si Caius capitolium ascenderet*, nam tunc valet, vel si expressè sub eâ conditione legetur *si Caius voluerit* nam tunc non valet. Duo etiam accutissimi interpretes variant in explicatione harum legum, videlicet SARMIENT. *lib.* 2. *Select. c* 6. *à n.* 29. & COSTA *Select. lib.* 1. *c.* 2. vterque tamẽ fatetur expressam esse antinomiam, & à compilatoribus Digestorum casu permissam. Nos verò, qui durissimam quamq; lecturam sustinere, & defendere cogimur, vt veritatem indagemus diligẽtiùs oportet, quin supra dictorum Iurisprudentiæ sapiẽtum stemus necessariò verbis, nam vt dicebat LVCIAN.

Editur humanâ eximium nil mente, sed illud
Quod tu miraris, ridiculum est alijs.

Cui & illa conformis sententia,

Non omnibus vnum velle est, nec voto viuitur vno.

232 Alijs ergo omissis solutionibus, existimo VLPIANVM, & MODESTINVM non pugnare in dictis legibus, sed pro regulâ ex vtroq; obseruandum, expressa nocere, non expressa non nocere *l. non nunquam*, vndè legatum relictum sub eâ conditione *si Titius capitolium ascenderet* valere, sub eâ autem *si Titius voluerit* inutile esse, quia exprimitur, quod expressum nocet, MODESTINVS voluit, VLPIAN. verò *in d. l.* 1. D. *de legat.* 2. id subtilissimè supponit, nã cùm ad regulam

lam MODESTINI necessum fuerit, vt id, quod exprimitur, tacitè contineatur, & idem significet, licet non eodē modo: rectè statuit, nihil interesse, si quis dicat *si Titius capitolium ascenderit*: aut *si Titius voluerit*: ex quâ æquiparatione elicere consequentiam illam: ergo legatum relinqui potest sub eâ conditione *si Titius voluerit*, ni fallor, destruit mentē & acumen Consulti: vel rem, quâ de agitur invertit: peccat enim talis interpretes, aut quia prolixior, aut quia strictior quàm necesse est, loquitur, iuxtà illud antiquum

Cui non convenit sua res, vt calceus olim
Si pede maior erit, subvertet: si minor, vret.

Nam vera (vt restituam me operæ) inlatio est: ergo idem quod exprimitur sub illâ conditione, *si voluerit*, tacitè inest in illâ *si capitolium ascenderit*. Fortè id voluit CASTILLO *vbi supra. n.* 43. dum inquit, Consultum voluisse æquiparare significandi modū non legādi, formā. Ex quibus, impetu velut civili MODESTINI regula pulullat, scilicet nihil interesse in effectu, vnum vel alliud dicere, *si capitolium ascendat, vel si voluerit*, quia expressum hoc vltimum in primo tacitè inest, non expressum non nocet, expressum verò nocet, quia alio modo exprimitur, ac inest.

Nondum explicuimus satis, donec non reddimus rationem aliquam discriminis, quo intercedente, verum sit 233
dicere, aliter voluntatem exprimi, quàm tacitè inest. In hâc parte subtilissimus fuit EMANOEL COSTA *in d. l.* 1. D. *de legat.* 2. à quo nunc sumimus partim mentem, vt affirmemus conditionem illam *si Titius capitolium ascenderit* regulariter continere tacitè liberam volūtatem TITI, sed nō generaliter aut perpetuò, quia facto involuntario, imò fato impleri potest, & non solùm à sciente, sed etiā ab ignorante. Ecce voluntas tacitè inest, sed non præcisè, cùm admixta sit illa conditio facto involuntario, & fato. At cōditio expressa *si voluerit* præcisè dicit nudam voluntatem liberam in sensu rigoroso, quim impleatur, nisi à sciente, & volente: ergo quod exprimitur alio modo inest, quàm quo exprimitur: inest vtique regulariter, & accidentaliter

in illâ conditione *si capitolium ascenderit* voluntas libera. præcisè verò, & perpetuò in expressâ formulâ *si voluerit*. Iam ad argumentum respondeo. Ergo potest legatum cōferri in hanc conditionem *si voluerit*, distinguo: tacitè: concedo: expressè: nego consequentiam.

234 Hoc indicavit VLPIAN. nam primò illam constituit regulam, in arbitrium alterius conferri legatum, veluti in conditionem posse, id est, tanquam in arbitrium boni viri regulatum: ergo debuit annectere exemplum de voluntate non absolutâ & præcisâ, sed de tacitâ: & meo videri, tacita obiectioni responsum præbuit acumine: supponit enim, posse quem dicere: in arbitrium continetur libera volūtas, sed in liberam voluntatem non potest conferri legatum, ergo neque in arbitrium: & statim involucro verborū respondit, quasi argumento ad hominem, etiam in hâc conditione *si capitolium ascenderit* libera voluntas continetur, voluntas enim facti cuiusque origo est, ex TERTVL. *de pænit. c.* 3. & tamen dubium non est, posse conferri legatum in talem voluntatem. Ratio autem similitudinis in eo stat, quod sicut libera voluntas tacitè comprehensa in illâ conditione *si capitolium ascendat* non vitiat legatum, quia adiuncta & admixta est facto in voluntario, & fato, & non eodem modo inest, quo exprimitur: sic etiam in arbitrio boni viri libera voluntas inest, sed non eodem modo, quo exprimitur: inest enim voluntas adiuncta regulæ, & arbitrio boni viri, vt faciat tertius ille, nō quod absolute velit, sed quod velle debuerit: exprimitur verò voluntas libera sine regulâ.

235 Videndum superest, pro coronide huius difficultatis, quid sibi voluerit VLPIANVS *in d. l.* 1. §. 1. D. *de legat.* 2. & omissis etiam alijs interpretationibus, existimo, Consulti speciem distinctam esse *in d.* §. 1. vt casum à casu dicerneret. In principio quippè illud refert: cùm in arbitrium, veluti in conditionem legatum confertur, V. C. *Lego Titio centum, si Caius arbitretur*, esse conditianale; at si dixerit testator *lego pupillo arbitrio tutorum* neque conditionem in-

esse.

esse legato, neque moram, quia intelligitur legatum secundùm vires patrimonij, & in summâ has distinguit formulas VLPIANVS *lego centum, si Titius arbitretur*, vel *lego pupillæ arbitrio tutorum.*

Omnia hæc cùm non invenisset COSTA opressus MODESTINI decisione tentavit dicere, valere adeò æquiparationem VLPIANI, vt & illa institutio teneat *instituo Sempronium, si Titius voluerit* quia tenet & illa, *instituo Semproninm, si Titius capitolium ascendat* sed omisit, aliàs, subtilis interpres argumentum *l. si quis Sempronium.* D. *de here. inst.* quam iuxtà MODESTINI sententiam intelligimus. Similiter interpretor *l. si ita legetur.* 3. D. *de lega.* 3. & *l Senatus.* 4. §. *legatum.* D. *de lega.* 1. non tamen aspernimus, si verba, si casus permittant, voluntatem etiam pro arbitrio sumere boni viri, qui id semper velle potest, quod de iure potest. Sic composita etiam manet decisio *l illa institutio.* D. *de hered. instit.* vt nunquam extrema voluntas in alterius expressam voluntatem cõferatur, vndè á vero nihil magis alienum erit, quàm verba illa *d. l.* 1. D. *de lega.* 2. *quid enim interest* ad alios sensus trahere, & MODESTINVM, VLPIANVMque prorsus disentientes constituere, cùm, re diligenter introspectâ, antinomiæ nec vola, vt aiunt, nec vestigium vllum sit. 236

Exponimus nunc securè iam textum nostrum in *c. cum tibi*, & vt consonet iuris civilis principijs, ingenuè fatemur, non fuisse inibi institutionem heredis alteri commissam, sed id ab INNOCENTIO III. prudentissimo, & subtilissimo, doctissimoque Pontifice excogitatum, videlicet, haberi statim pro instituto herede eum, cui testator liberam bonorum suorum distributionem concessit. Ergo non videbitur decedere intestatus: insinuant verba, ni fallor. ibi: *In alterius dispositionem committit, &c.* sensus etenim est, qui vltimam suam voluntatem expressam alteri cõmittit, vt de bonis disponat suis, ipsum heredem facit, nam vt prædixit SARMIENT. *vbi supra n.* 36. quid interest, vtrum testator dixerit *Titi, heres esto*, vel *omnia quæ habeo, tuæ voluntati* 237

 co-

committo. Fuit hæc interpretatio HOSTIENSIS, & probatur verissima: nam heres dominus appellatur *l. 3. §. Pomponius. D. de minor.* ibi: *Posse patrem quasi heredem*, & insignitum exemplũ extat in *l. de hereditate* 19. *§. pater. D. de castrens. pecul.* ibi: *Non tamen vt si heres, vivo filio, vindictam imposuit servo, &c.* hinc fit potuisse olim sic heredem institui quempiam. *Tibi hereditatis meæ dominus esto. l. his verbis* 48 *D. de hered. inst.* sed dominum bonorum suorum constituit testator, cùm liberam concedit disponendi facultatem, ergo faciet item heredem, vt enim Imperator *in §. penult. instit. de hered. qualit. & differ.* edocet, pro herede gerere, est pro domino gerere; veteresque heredes pro dominis appellarunt. Sic generaliter sumpto textu in *d. c. cum tibi* ratiocinati sumus.

238 Sed si factum singulare, quod præsefert inspicimus, continere privilegium in favorem Clericorum inveniemus: & vt percipiatur faciliùs, non parum iuvabit integram literam registri INNOCENTI. III *lib. 5. Epistolar. epist.* 38. *Altisidorens. Episcop.* scriptam supponere: extat in *c. cum tibi* 10 *de verb. sign. lib. 5. Decretal.* iuncta Gloss. Erat vtique indultum Episcopo, vt Clericis ab intestato decedentibus, liberè de illorum bonis disponeret. Hoc vt excluderetur plenissimum indultum. INNOCENT. III. decrevit, ne viderentur deinceps decedere intestati Clerici, qui vltimum elogium in dispositionem alterius conferrent, vtilissima vtique constitutio, cùm non rarò, adhuc suæ mentis compos moriens elinguis iaceat, & agone turbatus, doloreque animæ exeuntis è corpore, quem miris versibus explicait MARO 4. *Æneid.* de DIDONE loquutus. ibi:

Illa graves oculos conata attollere, rursus
Deficit: infixum stridet sub pectore vulnus.
Ter sese attollens, cubitoque innixa levavit:
Ter revoluta toro est: oculisque errantibus alto
Quæsivit Cœlo lucem: ingemuitque reperta.

239 Iam non obstant quæ produbitandi ratione scripsimus in principio, cùm iuris civilis rationem INNOC. III. haud improbet: possemus etiam defendere in arbitrium boni

viri

viri collatam intelligi dispositionem, nullo enim expresso iure impugnabitur, vt advertit CASTILLO *vbi supra n.* 25. Ast,ne à communi sensu discedamus, tutius est, dicere exceptam semper institutionem heredis, vtpotè caput testamenti.

His non opponuntur textus in *l.cum quidam* 24. *&* *l.vnum ex familiâ* 67. D.*de leg.*2.*&* *l.vtrum.* § *cum quidam* D.*de reb.dub.* quibus probari solet, vltimam dispositionem posse absolutè in alterius voluntatem conferri, nam non intelliguntur de substantiâ dispositionis, sed de qualitate, vel accessorio,hoc est,de personarum electione,& declaratione, quæ tertij voluntati permitti non inconvenit: notat ANT.GOM.*tom.*1.*var.c.*12.*n.* 48. SIMON. DE PRET. *de interpr.vltim.volu.lib.*1.*solu.*5.*n.*5 *fol.*27.PEREGRIN. *de Fideicom.art.*32.*n.*97.CASTILLO,*vbi supra n.* 51. *&* 52. Posset etiam hîc agitari quæstio satis difficilis. An si quis heres instituatur,& rogetur certum sibi heredem instituere,huiusce modi onus improbetur: extant celeberrima iura quæ movent dubitationem in *l. filius familias* 114. §. *vt quis heredem* D *de legat.*1.*&* *l.ex facto* 17.in principio.D.*ad Senat.consf.Trebell.* Satis omnia adeò exaravit PINELVS, *lib* 1. *Select.cap.*1 per totum,vt inutilis sit alia quælibet disceptatio:videndus etiam COSTA, in *c.si pater de testam. lib.* 6. 3. *part.verbo interdum à n.*100. 240


Nihil de captatoriâ institutione disputamus in præsenti, quia notissima est differentia inter dispositionem *l. illa institutio* 32.& *l.captatorias* 70. D.*de here.instit.* capiti autem *cum tibi* non congruit disceptatio *d.l.captatorias*,aliud enim est voluntatem committere,aliud hamare, & allicere.Quis non videat captatoriam institutionem, malam fidem & fraudem comprehendere, seu supponere ex parte instituentis, cõmittere autem voluntatis extremæ dispositionem sine spe institutionis mutuæ,potius esse bonæ fidei? nec quicquam movent verba *d.l captatorias.* ibi: *In secretum alienæ voluntatis,&c.*nam sic expenduntur, id est, in illud hamatum secretum voluntatis,& ambitionem secre- 241

tò contractam, seu quasi in contractum deductam, quâ aliud agit, aliud simulat, quod in heredibus non rarò contingit, vndè fortè dici cæpit,

Heredis fletus sub persona risus est.

Et vt explicat PINELVS *vbi supra n. 6.* captatoria, tam ex verbis, quàm ex sententiâ Senatusconsultus necessariò inducit conditionem, videlicet, si vel ex quâ parte, me, vel Sempronium instituéris, te instituo: & cùm hoc sit fraudatorium beneficium, illicò captator post mortem instituentis eum heredem, revocabat à se factam institutionem, quæ ob id captatoria dicta fuit iuxtà DECI. *in l. captatorias n. 10. C. de testam. milit.* & PARIS. *cons. 38, n. 44. lib. 3.* quæ penitus diversa sunt ab ijs, quæ Consultus disputat in *l. illa institutio 32. D. de hered. instit.* & Pontifex in *c. cum tibi de testam.*

(∴)



THEORIA,

SEV

SPECVLATIO BREVIS,

SED INTEGRA

SELECTIORVM CAPITVM

TITVLI XVII.

QVI FILII SINT LEGIT.

LIB. IV. DECRETAL.



Vlla ſunt ſtudiorum emolumenta, niſi 243
continua præſit diligentia: nec enim memoria Iuriſprudentiæ vnâ, vel aliâ maleatione, ſed pluribus, clavi inſtar, figitur. Adhuc lex ipſa non ſtatim omnibus ſufficit: labore fovetur ingenium, præſtantius fit & nunquã ad ſummũ pervenitur. Humanæ omnia hæc ſunt fragilitatis incommoda, & ſciendarum multitudo rerum. Aſt cùm ſcire cupimus, nõ adeò ignoramus, vt deſperemus ſcire; ergo nõ clypeis, thoracibus, & gladijs, ſed ſtylo, velut telo inſtructi, vigilijs, & pertinaci temporis periodo, cum ipſâ naturali noſtrâ oblivionie pugnemus: etſi non prorſus gnari, non ta-

men penitus ignari erimus. Docere, institutum Praeceptoris est: res sanè immensa, gravè pondus, & HERCVLE maius: sed honorificum, vox enim Magistri, discipulo lex, iuxtà VALER. *lib. 8. c. vlt. de Pytagora.* Est primum incitamentum discendi, nobilitas Magistri refert alias IOAN. ANDR. *in titu. de Reg. iur. fol. 254. n. 26.* facilius discentis munus. Primum fortunatus labor concessit, & pro posse meo (ad iuventutis vtilitatem ò vtinam!) adimpleo. Sed dum extraneos auditores vtriusque scientiæ proceres turbatus alloquor, secundum eligo : ecce vtitur eadem disciplinâ, & qui docet, & qui discit. Aliter CLEMENS ALEXAND. *lib. 1. stromat. Docens aliquis plus discit* & AMBROS. *lib. 1. Offici. c. 2. vt docendi studio possim discere.* Repetita percurrere post alios, excusat prolixus indagandæ veritatis amor: & vt habetur in *l. 5. C. de officio Rect. provinc. Vbi publica tractatur vtilitas, si minor iudex veritatem investigaverit, nulla maiori irrogatur iniuria*: nullus enim adeò omnia scripsit Doctor, quin relinquat spicas colligendas; non quia ignoret (absit ab hoc opusculo effrænata linguæ licentia, modestiam colo fronte aut ore parum audax) sed quia varium est hominum, sicut & velle, intelligere. Minimus ego omnium ingenio, sed literas amo: otium mihi hoc est, in studijs otiosum non esse: si non nova repeto, fortè nove : denique ratiocinia sunt temporis, & plausibilis otij. Verùm cùm in tenebris scribere oblatrare est: Authorem ipsum lucis humiliter deprecari, prima nostra lex sit; vt ipse Pater luminum, qui vniversorum Principium vnum, & summa Trinitas dicitur,

> *Qui solus opem, qui summa medendi*
> *iura tenet*

Det nobis lucem, vt non invij ad huius tituli interpretationem accedamus vtiliter, intelligentes timorem Domini esse initium sapientiæ.

(*_*)

PRO-

PROLOGIVM.



Vbricæ pro iure civili duodecim tabularum sumebantur, quasi ius publicum in legum sanctionibus positum significet, quo spectat PERSIVS *Satyra* 5. ibi: 243

Excepto si quid Masurij rubrica notavit,

Facit ad idem PRVDENTIVS *contra Simach.* 2.

dicant, cur condita sit lex
Bis sex in tabulis, aut cur rubrica minetur,
Quæ probibet peccare reos? quod ferrea fata
Cogunt ad facinus.

Explicuit ADRIAN. TVRNEB. *Adversarior. lib.* 4. *cap.* 5. per totum. Nimis in hoc immorari tædiosum semper, ne dicam inutile, audientibus iudicio aliqua tamen non dicere, & nullâ præfatione rem exponere, nefas, vt susurrat GAIVS, *in l.* 1. D. *de origin. iur.* ecquis probatus miles sese repentè ad arma componit? quis, nisi inauspicatus, musiclam habet? (vt Diogeniano vtar adagio cum ALCIAT. *Emblem.* 127.) Placet ergo hersiscundorum opinio, qui mediam secant viam, vt ex SERVIO refert IACOB. CVIAC. *ad Comment. c literas de restit. spoliat.* & nec omnia repetere, nec prætermittere. Cedat pro præsenti rubro sequens filiorum & legitimationum divisio brevis.

Qui filij sint legitimi, inscriptio est, & corona tituli, symbolum, seu enigma multorum capitum, & Hydræ instar, 244 vno exciso, alia renascuntur; verè HERCVLE indiget. Vt ergo fœliciter decutemus, scire prius oportet: filios dici naturales legitimos, qui ex iusto matrimonio nascuntur, *c. accessit* 5. *de sponsat. impub. c. fin.* 32. *q.* 4. *c. perlatum qui filij. sint legit. l. filium eum definimus.* D. *de his qui sunt sui, vel alien. iur. l. quia semper* D. *de in ius vocand.* singularis textus, *c. cum olim.* 6. *de Clericis coniugat.* Et vt vno verbo dicam, naturalis legitimus filius ille est, quem simul dant naturæ, & lex, seu nuptiæ demonstrant, aliàs erit scelus, & piaculum. Nus-

quam immortalitatem artificiosè introduxit per filios effusa libido, aut concubinatus? studium nuptiarum totius est humanæ sobolis, inquit Imperator: *novell.* 22. *de nupt. in præfat.* & *novell.* 23. *de rest. & ea, quæ parit. vndecim. mens.* solas nuptias, iterum ait, valentes esse, homines in republicâ facere, quasi nec homines, qui legitimi non sunt. Mirificè DIV. AVGVST. *in tract. de decem. Chord. cap.* 11. *Ad hoc etiam ducitur vxor, nam id etiam tabulæ indicant, vbi scribitur liberorum procreandorum causa & sermon.* 244. *de tempor* has matrimoniales tabulas vocat, & S. AMBROS. *in cap.* 1. *Lucæ*, stipendia militiæ suæ filios nuptarum appellat.

245 Alij sunt illegitimi naturales tantùm, nati, inquam, ex concubinâ & soluto & solutâ. Nothi etiam dicuntur, quorum nomen latinè exprimi non posse, testatur IACOB. CVIAC. in *novell.* 12. *vers. secunda pars.* Sed antiqua legum civilium superstitiosa observantia naturales hos filios, noluit esse ex confusâ concupiscentiâ, cùm pater videlicet aliud opus libidinis agit post cognitam concubinam; vt habetur *in Authentico de Trient. & semiss.* §. *consideremus in fine colla* 3. nec eorum nomen Romanæ legislationi dudum erat in studium, nec quælibet circa hoc fuerat humanitas, affirmat IVSTINIAN. *novell.* 89. *quib. mod. natur. efficia. legitim.* in princ. *colla.* 7. prorsus ergo fuerunt incogniti Digestorum tempore, vndè est, filios naturales eos solos à Iurisconsultis appellari, qui ex contubernio nati, vel in servitute concepti ex patre servo, & matre liberâ, *l. vltim.* D. *de his qui sunt sui, vel alien. iur.* iunctâ *l. vltim.* D. *de adoption. l. Lucius* 88. §. *fin, vers. Claudius.* ibi: *Quia creditur appellatione filiorum & naturales liberos, id est, in servitute susceptos contineri.* D. *de legat* 2. *l. vltim.* D *de iur. deliber.* (cui annectedus CVIAC. *lib.* 3. *Observ. cap.* 37. qui insuper fugitivam & peregrinam *d. l. vltimam* dicit à titulo, sub quo iacet) *l. cum pater* 77. §. *volo* D. *de leg.* 2. *l.* 3. *C solut. matr.* multa expendit ANT. FAB. *in Iurispr. Papinia. tit.* 9. *de nupt. princ.* 11. *illat.* 1. adeò inhonesta coniunctio fuit exosa legibus semper, vt melior fuerit conditio servorum, qui ex contubernio filios procrearunt, quàm ingenuo-

genuorum hominum, qui ex concubinatu: nam vt olim CATVLVS

Casta placent Superis

Et ideò ad Hymenæum loquens in contemptum filiorum inquit: *Quæ tuis careat sacris,*
Non queat dare Præsides
Terra finibus, at queat,
Te volente.

Vndè IOSEPH. SCALIGER. *Nam qui ex non iustis nuptijs concepti sunt, peregrini sunt, quibus nulla erat munerum populi Romani participatio.* Rursus filij ex soluto fortè & solutâ dicebantur spurij, si ex muliere publicâ, & patre incerto, *l. si ex liberâ. C. de suis & legitim. hered. l. spurius.* D. *vndè cognat. l. vulgo concepti.* D. *de stat. homin.* & vulgo quæsiti, ex eâ parte, quâ patrem demonstrare non possunt. *l. 2. l. Modestinus* D. *vnde cognati*, seu varij, quasi ex vario semine concepti. PALEOT. *de notb. & spur. c. 16. n.* 8, vel hybridæ, iuxtà illud MARTIAL. *lib. 8. epigr. 22.*

Hybrida sum: si das, Gallice, verba mihi.

Seu si mavis *Ibrida.* Cumulavit plura LEVIN. TORREN. ad HORATIVM *satyr. 7. lib. 1. vers.* 2. vel Manzeres, si ex meretricibus, *c. nisi cum pridem* § *personæ. de renuntiat. c. per venerabilem in fin. qui fil. sint legitim.* & ibi CVIAC. & ROXAS, *in epitom. successi cap.* 1. per totam; erat id facile cognitu, notabantur enim olim meretrices togâ, postquam ius stolæ perdiderant: vndè LVCIANVS per MISSILVM traductorē *fol.* 595. describens adulteram, inquit; *ego enim, cum viderem hanc, haud quaquam amplius temperantem esse, neque etiam in eo modesto habitu permanere, quo olim ornatū ipsum Pæanensis ille duxerat*: quo respexit VLPIAN. *in l. item.* 15. § *si quis virgines.* ibi: *Multo minus si meretriciâ veste, &c.* D. *de iniur.* & MARTIAL. *lib.* 11.

Coccina famosæ donas, & Ianthina mechæ
Vis dare, quæ meruit munera? mitte togam.

Et QVINT. HORAT. FLAC. *satyra.* 2. *lib.* 1.

Quid interest in matronâ, ancillâ pecces ve togatâ.

Et IVVENAL. *satyr.* 11.

Damnetur, si vis etiam Corfinia, talem
Non sumet damnata togam.

Verùm oblivio iuris civilis circa filios naturales respectu patris erat, non matris intuitu, cui dicebantur successores. *l. si suscepta* 29. § *de inofficioso* D. *de inoffic. testam.* huc respiciunt textus *in l. matris* 4. D. *ad Senat. consult. Tertyllian l. si qua illustris* 5. *in fine C. eodem titul l. si tutel. is* 7. D. *de capit. minut l. si spurius.* D. *und cogna.* & similiter *l.* 19. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recop.* spurijs enim ibi mater dat originem & vulgo quæsitis *l. eius qui iustum* D. *ad municipal.* ANT. FAB *lib.* 9. *Cod. tit.* 30. *defin.* 24. *n* 7. *&* 8. videndi ALEX. *in l. ex facto* § *si quis rogatus el* 1. D. *ad Trebell.* ALCIAT. *in l. familiæ.* §. 1. *n.* 7. D. *de ver. signi.* SVRD *de alimen. tit.* 1. *q.* 22. *à n.* 18. quia naturalis matris partus oculis obiicitur ipsis adhuc tamen civilis parentis encomium IVLIVS PAVLVS aliquando negat *lib.* 1. *sentent. tit.* 10. ibi: *Quia neque servi, neque liberti matrem civilem habere intelliguntur*, quo etiam respexit VLPIAN. *in l.* 1. § *filio*. D. *ad Senat. consul Orphit.* ibi: *Nec si postea liber factus sit.* Iure tamen canonico filij naturales hi sunt, qui ex illis parentibus nati, qui absque dispensatione Apostolicâ contrahere poterant matrimonium, imò & iure noviori Codicis moderata est pœna *l.* 1. *C. de natural liber. in Authentic. sed novo iure C. eodē titul.* circa filios naturales specialiter cō sulendi CVIAC. *in novell.* 18. *&* *ad lib.* 4. *de feud. tit.* 12. *& novell.* 47. *in paratitla C. de natur. lib. &* ANT. FAB. *d. tit de nupt. princ.* 2. *illat.* 1. per totam ALFONSVS à CARRANZA *de legitim. part. designat. cap.* 3. § 4. *n* 45. vbi plures laudat PALEOT. *de noth. & spur. c.* 35. *&* 36.

247 Illegitimi deinde, alij sunt propriè spurij, qui scilicet nascuntur ex parentibus, quibus absque dispensatione matrimonium est prohibitum, vel omninò ad nuptias incapacibus, quales faciunt adulterium, sacrilegium, nefaria coniunctio, incestus:

Hæ sunt præcipites furiæ: quibus vtitur ardens
Orcus: & in terram seminat omne scelus.

Hinc

Hinc adulterini, sacrilegi, nefarij incestuosi. VLPIAN. *in frag. tit. 4. de his qui sunt sui:* GAIVS *instit. lib. 1. tit. 4. de matrim. §. si quis.* latè prosequitur IVL. CLAR. *lib. 5 Senten.* TIBER. DECIAN. *tom. 2. criminal. lib. 6. cap. 20.* ROXAS *vbi supra cap. 1. & 2.* per totum; GASPAR ANT. THESAVR *in quæstion. forens. lib. 1 q. 22.* PETRVS GREGOR. *Syntagmat. iuris vniver. p. 2. lib. 10. c. 3.* cuius ea est vniversalis filiorum divisio in gnesios ex coniungio susceptos licito, & nothos, id est, aliundè natos. Plura etiam IOAN. ANDRE. *in tit. de regul. iur. regul. 23. à n. 6.* PLINI *lib. 16. c. 6.* singulare illud observat, lac fœminæ corrumpi alenti partum adulterinum: memorabile etiam est illud Romanorũ, qui vulgò conceptos scribebant per *S.* & *P.* id est, sine patre insignum notæ, vt *in l. quæsitum. D. de testib.* COTTA *in memorabil. verbo. spurius.* PLVTARCH. *problem. 103.* ALEX. ab ALEX. *lib. 5. Dier. genial. c. 5.* Ius canonicum adhuc eorum miseretur *c. cum haberet. De eo qui duxit in matr. quam polluit per adul.* non obstantibus iuris civilis scrupulosis rationibus, aliud enim CHRISTVS, aliud PAPINIANVS, inquit DIV. HIERONYM.

Verùm cùm Imperatoribus magna cura fuerit, ingenuis, & legitimis replendi civitatem hominibus; postquã Iulia de adulterijs præcesserat, vt quò impudicitia severiùs puniebatur, eò proclivior ad matrimonia esset animus: postquam Iulia Papia Poppæa, quas Iulias dicit rogationes TACIT, *lib. 3.* de quibus etiam DIO. *lib. 56.* & alia plura in compendio scribit D. MICHAEL GOM. DE LVNA & ARELLANO *in lib. singularium lectionum iuris c. 2. fol. 48.* dum censorio calamo CARRANZAM laudat circa quæstionem *l. non sunt. D. de stat. homin.* similiter & lex marita, seu de maritandis ordinibus *l. vnica D. vnde vir, & vxor l. 6. in fine. D. de iur. patr. l. 7. C. de oper. libert.* de quâ HORATIVS *in sæculari carmine.* ibi: 248

Prolisque nova feraci
Lege marita.

Postquam Censoris officium, iuxtà CICERONIS locum *de legibus.* ibi: *Populi ævi. ates, soboles, familias, pecuniasque censento*

sento Cœlibes esse prohibento. Varios excogitavere legitimandi modos. Per curiæ oblationē *l.3.C.de natur.liber.* rescripto Principis *novella.* 74. vel decurionatu, iunctis circunstantijs aliquibus, CVIAC.*ad d. tit, C. de natur. lib.* extraordinario beneficio, & privilegio *l. vltim.* D. *de adoption.* impetrato item iure aureorum anulorum, *Authent. de trient. & semiss. §. quod autem. vers. sed quoniam. colla.* 3. vel per dotalia instrumenta *Authe. quib. mod. natural. effic. legitimi. §. reliqui igitur. coll.* 7. aut Religionis ingressu, quæ dicitur oblatio curiæ Cœlesti: sic MART. *de success. lega p.* 1. *q.* 18. *art.* 9. *n.* 33. *&* 34. FRANC. DE PONT. *cons.* 16. per totum HYPOLIT. *in rubric. de fideiussor.* COVAR. *in epitom. sponsal. lib.* 2. *c.* 8. §. 7. *sub n.* 4. RODERIC. XVAR *allega.* 25. per totam. Denique per subsequens matrimonium *l divi. l iubemus. l. cum quis. C. de natural. liber. c. tanta. hoc titul.* explicat post multos doctissimus BASIL. *de Matrim. lib.* 11. *cap.* 1. *à n.* 5. adiiciens à Pontificibus in ampliori formâ observatum: hæc inter alias legitimationes præexcellens est, quâ cōcubinatus extinguitur, pellicatus interijt, & à profundo inhonestæ libidinis voluptatum carnalium gurgite revocantur homines. Vtiliter S. CHRISOSTOM. *homil. quales ducendæ sunt vxores. tom.* 6. quærit *Quæ igitur fuit causa coniugij, & cur illud datum est divinitus? audi Paulum dicentem, ad vitandas autem scortationes quisque suam vxorem habeat, non dixit, vt evitetur paupertas, & parentur divitiæ: sed quid? vt scortationem evitemus, & moderemur concupiscentiam.* Matrimoniū verè medicina est ad reprimendos eorum mores, qui in libidine concubinatus, tanquam fervens aqua ebulliunt, vt vtar verbis DIV. AVGVST. *lib.* 1. *confess. cap.* 11. si quidem punitos iam patres, dum filios vident illegitimitatis nævo notatos, rescipicentes honorat, quin necessaria iam sit oblivionis pœna, nec alimentorum denegatiò; tribuat illis convenientia pater, nam licet legum contemptor, & impius, tamen pater est, vt colligit IVSTINI. *in Authent. de ininst. & nefar. nupt §. si vero. coll.* 2. & illegitimi, licet ex stupro nati libero lectulo, & vulgivagâ venere, tamen filij sunt: dixisse

xisse necesse fuit, nam cui pater populus rectè convenit moderni cuiusdam Poëtæ versus.

Te simul ac vidi capi nescire quid esses.

Hoc autem non est illegitimum, seu spurium esse verè sine patre, sed sine iure: ecquis dicet patrem nullum, quia ignotum? vndè inter se collatis signis dissertantes CARRANZAM, & ARELLANUM, vt vltimus hic fatetur *lib. singular. lectio. iur fol. 71. q. 3.* & vsque ad extremam ingeniorum, & virium defectionem compugnantes, vt gallos gallinaceos sine vtilitate, miror, ne reprehendam: cùm vterque verus sit. CARRANZA vir doctissimus spurijs negat patrem, iure civili inspecto. ARELLANVS inter Aulicos Minervæ primores scriptus spuriorum, inquit, patres ius civile supponit sed omittit; hoc nugas sapit, nam non esse iure civili, idem est, ac omitti: supponit patrē civilis ratio, ne à naturali prorsus dicedat: omittit, ne honores humani, & positivi iuris tribuat ijs, quos damnat: ergo in re facili, & vtraque consentaneâ principijs iurisperitiæ dissentire ab alio, & cum ipso digladiari nil aliud est, quàm HOMERI suscitare carmen.

Vndique communi sævitur Marte, parique
Victusque, victorque cadunt fato.

PARS I.

EXPOSITIONEM CONTINET CAPITVM CONQVÆSTVS I. CAVSAM IV. TANTA EST VIS VI.



ROposita fuit ALEXANDRO III. *in c. conquæstus* 249
I. sequens quæstio. Quidam HORTENTIVS nomine duxit vxorem filiam PETRI, & cùm paternam hereditatem vxoris nomine petiisset, conatur ex adverso RODERICVS frater PETRI, eam exheredari, eo nixus fundamine, quòd nasceretur antè quam mater illius PETRO nuberet, ideòque ex concubina-

tu

tu.seu pellicatu Pontifex legitimam prolem iudicat: rationem reddit, *in c.tanta est vis*, quia videlicet, subsecuto cum concubinâ matrimonio,naturales filij legitimi fiũt,secùs spurij seu ex adulterio nati,de quibus idem in *c. causam* 4. Depromo ergo similiter conclusionem.

Naturales filij ex soluto & solutâ geniti legitimantur per subsequens matrimonium, secùs spurij, adulterini.

250 FAvent huic decisioni *l.divi Constantini. l. iubemus.l.cũ quis.C.de natural liber. l. vltim.D.de natal. restit.* per legitimum argumentum. §. *fin.instit.de nupt.novell.*74.*novell.*78. *Authenti. de trient.& semis.colla.*3.§.*quibus instit.de heredit at.quæ abintest.l* 1.*tit.*13.*l.*2.*tit.*15.*p.*4.*l.*10.*tit.*8 *lib.*5.*Recopilat.*exornãt *DD.in l.generaliter.*§.*cum autem.C.de instit.& subst.*specialiter ABBAS *in c. innotuit, & c.cùm in cunctis.de elect.*FACHIN,*lib.*3.*Controv cap.*50.COVAR.*de Sponsalib.*2 *p.c.*8.§.2.ANT GOM.*in l.*9.*Tauri.à n.*55. ANT. GABRIEL.*lib.*7.*Commun.opini.tit.de legitim.conclu.*1. FVSSAR. *de Substitut.rubric.de substit.fideicom.q.*409. PETR.GREGOR. 3. *syntagm.lib.*45.*c.*6, ALEX.TRENTACIN.*Variar.resol.lib.*1. *titul.de legitim.* PEREGRIN.*de Fideicomm. artic.* 24. PASCALIS *de Virib.patr.potest.*2.*p.c.*4.*à n.*54.*ad.*100. BERNARD.GREVEVS *lib.*2.*conclus.*124,PETR.BARBOS *in Rubric. solut. matr.* 2.*p.n.*109.ANT,MEREND.*lib.*4.*Controver. c.*17. SARMIENTO,*lib.*1 *Selectar.c.c.*5.6. & 7. MENCHAC. *vsu frequent. lib.* 3.*c.*42.AZOR.*Instit.moral.p.*2.*lib.*2.*c.*13. MOLIN. *de Primogen.lib.*3.*c.*1.*à n.*6. STEPHAN. GRACIAN. *Disceptat. forent. tom.*1.*c.*83.MENOCH.*de Præsumpt.lib.*4.*præsumpt.*81.*& remed.*1.*adipisc.n.*42.SVRD.*de Aliment.tit.*1.*q.*3.*n.*102. IACOB. Cv-

CVIAC.*ad hunc titulum* ANT.FAB.*vbi supra.*BASIL.LEGIO *de Matr.lib.*11.Domin.D.IOAN.DE SOLORZ, *tom.* 2. *de iur. Indiar.lib.*2.*c.*17.D.FRANC.DE AMAIA.*lib.*1.*Observ cap.*4.

Bella movent.I.textus in *l.in bello* 12 §.*facti.D.de capt, & postlim.rever.l.*31 D.*de regul.iur l.vnica C. de rapt.virgin.*facta pro infectis nunquam haberi, aut transitoria esse, *l.fabriles* 6.D.*de oper.libert.l.cum heredes* 23.D.*de acquir. possess.*quæ ratio movit Consultum *l. hereditas* 34.*l.si quis* 23. D.*de hered.instit.* adstipulatur HORAT. *lib.* 3.*Carmin. Ode.* 29.vbi de IOVE loquens proclamat: 251

Non tamen irritum
Quodcunque retrò est, efficiet, neque
Diffinget, infectumque reddet,
Quod fugiens semel hora vexit.

Sed HORTENSI vxor de facto nata est ex concubinâ, ergo naturalis tantum filia semper erit; quin, sequuto matrimonio, possit, mediante fictione, abstergere maculam illegitimitatis, cùm sit facti infamiâ notata, & quod ab initio non subsistit, tractu temporis non convalescat. *l.quod ab initio* 251.D *de regu.iur.l.*1.in principio. D.*de regul.Catonia. c.auditis* 29.*de election.*

Confirmatur, & quidem subtiliter. Filij nativitas, & legitimatio adeò per se subsistunt, vt facilius sit, sinè patre natum fateri filium legitimum, quàm à patre genitum, si principijs obviare fictionis necessum est: ergo nulla iuris disciplina concedit, natum ex concubinâ tempore certo aliter haberi, cum præiudicio fictionis, quæ nunquam respicit ad factum: antecedens probatur: nam si vir, & vxor ab hostibus capti suscipiant ibi filium: dein, pater captivus decedat, mater revertatur, postliminio gaudet, *l.*1.*C. de postlim. reve.*& legitimus sinè patre filius dicitur, quia lex Cornelia primâ horâ captivitatis, seu præambulâ patrem mortuum fingit. § *si ab hostibus instit.quib.mod.ius patr.potest.solvitur* quin tempus illud conceptionis, vtpotè quid facti, trahatur ad civitatem fictionis curru; ergo nec nativitas filij naturalis seu conceptionis tempus translatitiâ poterit retrò fictio- 252

ne iuvari, cùm tempus trahi, aut retrotrahi, possibile non sit: vt pluribus exornat CVIAC. *lib. 1. definit. Papinian. ad l. hereditas* 34. D *de hered. insti.* ANT. FABER. *lib. 15. Coniectu. c.* 17 & Præceptor meus Dom. MELCHIOR. DE VALENT. *ad titul. de acquir. here. lib. 3. illustr. quæstio. cap. 1. à n.* 25. imò filius hic, dissolutis captivitate nuptijs, *l.* 1. D. *de divort. l. sed si mors* 13. §. 1. D. *de donat. inte. l. res vxoris* 24. C. *eodem tit. l.* 5. D. *de bon. damna.* natus & conceptus est, cùm enim captivitas morti assimiletur. *l. cum hic status* 32. § *si donator.* D. *de donat. inte. vir. & vxor. l. servitutem* 209. D. *de regul. iur.* societas autem quælibet, etsi in perpetuum contracta, morte dissolvatur. *l.* 1. *l.* 4. §. 1, *l. verum est* 63. §. *vltim. l. actione* 65 §. *morte.* D. *pro socio*, & matrimonium captivitate dissolvi oportet, iure illo civili inspecto *l. cum duæ* 14. *l. non vt à patre* 8. D. *de capt. & postli. rev. l.* 1. D. *de divort.* vt saltim possit nubere, etsi pœnis disidij teneatur *l. vxores* 9. D *de divort.* vno excepto casu nuptiarum patroni & libertæ propter reverentiam illi debitam *l. in eo iure* 45. §. *vltim.* D. *de rit. nupt.* consulendus ANT. FAB. *in iurisprudent. Papini. tit.* 9. *princ.* 11. *illat.* 15. & eruditè satis plura observat Dom. D. FRANC. DE AMAIA. Salmanticensis sapientissimus Antecessor *lib.* 2. *Observ. cap.* 1. per totum.

253 Pungit II. conclusionem ratio, quâ iure civili inducta hæc legitimatio est, videlicet transitus concubinatus ad matrimonium, de re penè simili eo tempore apud ethnicos *l. item legato* 47. § *parvi autē refert.* D. *de legat* 3. *l. in liberæ* 24. D. *de rit. nupt.* concubinatus enim etiam per legem nomen assumpsit *l. in concubinatu* 3. D. *de concubin. l.* 1. C. *eodem tit.* concubina vxorem imitabatur, vt ait IVLIA. *novell.* 18. & lege Iulia de adulterijs tenebatur. *l. si vxor.* D. *ad leg. Iul. de adult.* filio quasi noverca erat, vt eam non posset vxorem ducere *l.* 2. C. *de incest. nupt.* fuit semimatrimonium societas concubinæ, *l. si qua C. ad Orphician.* notat IACOB. CVIAC. *in Paratitl. C. de concub.* fuit seminupta, vt idem CVIAC. *in latiori commento tituli prædicti*; erat quædam legitima intemperantia, & veluti legitimum vitium, & sicut nu-

ptias

ptias indubitatus affectus facit *l. nuptias* D. *de reg. iur.* concubinatum sola animi destinatio *l. concubinam* 4. D. *de concubin.* ideò CONSTANTINVS in *l. divi. C. de natur. liber.* incipit *Super ingenuis concubinis ducendis vxoribus*, atqui hæc omnia cessant iure canonico, cùm vsus concubinarum sit æquè omnibus prohibitus *c. audite* 34. *dist. c. nemo, c. dicat, c. meretrices* 32. *q.* 4. *c. non mæchaberis* 32. *q.* 6. ex DIV. PAVLO *ad Galat. cap.* 5. *& ad Chorint.* 1. *cap.* 5. & ex Concil. Triden. *c.* 8. *sess.* 24. *de reform.* adeò, vt contrarium asserere sit hæreticum *clemen, ad nostram. de hæretic.* plura congerit PETR. GREG. *Syntagm. iuris vnive. p.* 2 *lib.* 10. *c.* 1. ergo, iure canonico inspecto, causa originis huius legitimationis cessat, & consequenter consequentia non subsistet.

III. vt filius naturalis efficiatur legitimus, cõsensus illius 254
interveniat oportet, cùm statim appareat suus *l. inviti*, D. *de his qui sunt sui vel alien. iur. l. vltim.* D. *de adoption. Authent. quib. mod. effic. legitim.* §. *generaliter* insuper, & nuptialia seu dotalia instrumenta ad legitimitatem requiruntur, etsi rationem matrimonij non intrant, dotes enim celebrant nuptiæ, nuptias autem dotes nõ faciunt, sed coniunctorum affectus: advertit IVSTINIAN *in Authent de trient. & semiss.* §. *sed nec vsque coll.* 3. Dotalium hæc instrumẽtorum confectio nõ sine iustâ causâ desideratur, nã cũ antiquis promulgatum esset legibus, vt nuptiæ etiam extra dotalia documenta ex solo affectu subsisterent, rataeque essent, falsatis contractibus, ex hoc Respublica completa fuit, cùm introeuntes sine periculo testes mentientes deponerent; quia vir vocabat dominam cohærentẽ, & illa illũ similiter nominabat, matrimonium sub falsâ lege velatum credebatur, vt pluribus alijs verbis se id invenisse latens periculũ testatur IVSTINIAN. *in Authentic. quib. mod. natura. effic. legitim.* §. *illud quoque. coll.* 6. ergo non ex vi matrimonij legitimatio filijs naturalibus obvenit, sed aliundè.

Vt celebris hæc in theoriâ disputatio luce donetur, & 255
difficultates, quæ occurrunt penitus intelligantur, & afferamus, vt diluamus; ponendum est, legitimationem per sub-

sequens matrimonium includere fictionem à iure introductam, quâ habetur, quasi ex legitimo matrimonio natus, qui non ita fuit natus: retrotrahitur itaque legis potestas ad tẽpus conceptionis, & significant verba *dic. tanta.* ibi: *legitimi habeantur*, quæ fictionem præseferunt *l. in iure civili.* 160 D. *de regul. iur. l. iure civili.* D. *de condit. & demonstr.* & regulare est, in legitimationibus intervenire fictionem *l. 2. C. de iur. aur. anul.* ibi. *imaginem, non statũ legitimitatis præstat l. qui in prouincia 57. §. divus* ibi: *perinde, ac si legitimi concepti fuißent* D. *de rit. nuptia.* Hinc fit ad legitimationem persubsequens matrimonium, filium requiri genitum ex soluto, & solutâ, vt fictio retrotractiva, quæ extrema poscit habilia, operari queat *l. bonorum* D. *rem rat. haber. l. 1.* D. *de appell. recip.*

256 Statim sese offert dubium illud non insubtile, sine cuius enodatione periclitaretur huius primæ partis veritas, & resolutio. An, scilicet, sufficiat tempore nativitatis filij, habilitas patris & matris ad contrahendum, an tempore conceptionis præcisa sit. Minus diligenter ab interpretibus discussum id invenio, in puncto iuris. Prædixerat BASIL. LEGION. *lib. 11. de matri. cap. 3. n. 1.* & adhuc diminutè scripsit, ego autem, quia ipse tacuit plurima in hâc re scitu digna, ne fortè in alienam segetem messim mitteret, non perfunctoriè, aut obscurè inquiram, & in re tritâ non vulgaria admodum proferam. Affirmãt plures, sat esse vel vno, vel alio tempore habile esse extremũ, prout filio magis prosit, argumento *l. servorum. § ingenui. l. qui in utero.* D. *de stat. homin. § sed si quis. instit. de ingen.* & expressius huius sententiæ fundamentum exeritur *ex l. nuper. C. de natural. liber. vers. generaliter*, quæ in terminis huius quæstionis favorem respicit filiorum: defendunt BASILIVS *vbi supra* MOLIN. Theolog. *de iust. & iur. tr. 2. disp. 182.* plures laudati à CENEDO *collec. 98. n. 6.* item à FVSSARIO *de subst. q. 409. n. 106.* SANCHEZ *de matrim. lib. 8. disp. 7. n. 19.* FACHINE *lib. 3. controv. c. 50.* & alij, quos in vnum congessit numerum ANT. IOAN. FAXARDO *in tractat de legitimat. per subsequent. matrim. n. 23. & iterum n. 45.* Li-

Licet prædicta opinio tot claris Doctorum roborata nominibus sit frequentior, quia magis in æquitatem inclinat, iuris tamen cogente ratione verius iudico, dicere, tempore conceptionis præcisè habilitatem extremi prærequiri: habet etiam hæc sententia non infimæ notæ patronos. FRANCISC. SARMIENT. *lib* 1. *Selectar. c.*5. CINVM & PAVL. *in l. cum ex libera. C. de suis. & legitim. hered.* BALD. & ALVERIC. *in l. Paulus.* D. *de stat. homin* SALYCET. *in l. & si contra. C. de nupt.* ANT. DE ROSSEL. *in tract. de legitimat. col.* 9. *&* 8. MAIOL. *de Irregularit. lib* 1. *c.*4. quos refert, & sequitur NICOL. GARCIA *de Benefic.* 7. *p. c.* 2. *à n* 36. PASCHAL. *de virib. patr. par.* 2. *c.*4. *n.*73. vbi dicit communem, sed sibi contrarius est, dum in aliam opinionem fertur: GASPAR ANT. THESAVR *in quæst Forensib. lib.* 1. *q.* 22. *n.* 18. vbi benè considerat hos ex damnato coitu filios, vt sint prohibiti in *d. c. tanta.* ARETIN. RIP. IOAN. ANDR. ANT. DE BVTR. ZABARELA, ARCHIDIACON. NICOL. DE VBALDIS, quos laudat, & sequitur VICENTIVS FVSSAR. *de Substitut. tract. de fideicommißar. substit. q.*409. *à n.*107. quæ movent fundamenta, sequentia sunt. 257

I. desumitur ex antiquo Digestorum iure, quo iam tempus conceptionis ad legitimitatem prolis inspici oportuit *l. Paulus.* D. *de stat. homin. l. etsi contra* 6. *C. de nupt.* quam expendo. ibi: *Et ideò postea liberos susceptos, natosque*, quasi diceret GORDIANVS, imò dicit, non sufficere, vt legitimus sit filius Proconsulis, subsequi matrimonium extra provinciam tempore nativitatis, nisi & susceptus, natusque sit ex subsequentibus nuptijs: vndè BASIL. LEGION. *d. lib.* 11. *c.*3. *n.*4. non benè conficit argumentum huius legis, & dum illegitimum dicit filium Proconsulis conceptum in provinciâ, quia susceptus fuit ex fœminâ, cum quâ matrimonium esse non poterat, & legitimari subsecuto, seu confirmato matrimonio, PAVLI Iurisconsulti, & illius interpretis GORDIANI mentem destruit, & sententiam, quæ relucet in causali illâ, *& ideò postea liberos susceptos, &c.* obnubilat. 258

Confirmatur ex noviori iure civili *in Authentic. de* 259

trient.

trient. & semiss. §. quod autem vers. sed quoniam coll. 4. *ibi* statutum est, filios ancillæ, vt possint legitimi fieri, ius aureorum anulorum impetraturos à Principe, quod vltimâ cōstitutione emendatum est *in Authent. vt liberti de cætr. aureo non indig. anul. §. si quis autem coll.* 6. vt ex vi manumissionis, & natalibus restituti, & ingenui haberentur similiter ex ancillâ nati, subsequuto matrimonio. Sed hæc Principum indulgentia, vt quid, nisi vt obliteretur memoria servitutis? *l.* 2. *C. de iur. aur. anul.* & liberti iam ex tunc prænomine vterentur, quo caruere servi, vt exornat LEVIN. TORRENS. *in Comment. Q. Horat. Flac. satyr.* 5 *lib.* 2. ad illum versum

gaudent prænomine molles
auriculæ.

Ergo vt à conceptionis tempore ingenuus habeatur filius. Tunc sic. Subsecuto matrimonio, ancillâ & filijs vernis manumissis à patre, quid rogo obstaret legitimitati, ni conceptionis tempus obstaret? cùm adhuc natum, matrimonio sequuto, antea tamen conceptum, sine restitutione nataliū, vel aureorum anulorum impetratione ingenuum nemo diceret? Imperator non dicit. Conceptionis ergo tempus nunquam contemnitur in legitimatione, nunquam non requiritur.

260 II. cogit me natura ipsius fictionis, ab hâc non decedere opinione, esset vtique retrotractio destituta termino ad quem saltim potentialiter habili, cùm inconveniens & indecens sit, adulteram, mortuo marito si pariat, posse efficere, conceptum non fuisse adulterinum, qui incepit, & legitimari filium adulterio maculatum: nec tanta est vis subsecuti, vt prioris violati matrimonij culpa obliviscatur, cùm semel audita crimina indiscussa manere non possint *c. crimina.* 2. *de collusi. deteg.* & præcipuè adulteria *c. fin. de eo qui duxit in matrim. quam poll. per adult.* ibi: *Cæterum tolerari non debet, si prius vel postea dum vixerit uxor ipsius illam adulterio polluisset:* ecquis patiatur, nasci filium non adulterinum ex matre adulterâ effectâ in conceptione prædi-

cti

sti filij? (seu venefica nam QVINTILIAN. refert CATONEM dicere solitum nullam adulteram non etiam veneficam esse) quis filium legitimitatis beneficio iuvari, matrem autem propter illiùs conceptionem virgis cædi, & mutilari? vt de Ægyptijs tradit DIODORVS SICVLVS *lib. 1. Bibliothecæ*: & ludibrijs omnibus exponi, seu molli lanâ coronari, vt ÆLIANVS *lib.* 12. & alias sustinere pœnas, quas cumulavit novissimè NOVARINVS *de Nuptial. aquis lib. 6. c. 10. & c.* 11. Quis incertitudinem, & confusionē prolis non timeat? & turbationem sanguinis, quo pascuntur in adulterio concepti? quis non doleat nuptiarum antecedentium inquinationem; vt HORAT. *Ode 6* ibi:

Fecundæ culpæ sæcula nuptias
Primum inquinavere & genus, & domos

Si mutuo se expellunt & actus ille primus adulterij, & matrimonij secundus contractus, quo modo illos vniat fictio legitimationis? cùm hæc fingat ab initio coitum matrimonialem, vt ait SOCIN. in *l. Gallus. § si eius n.* 4. D. *de liber. & posthum.* PASCHAL. *de Virib. patr. potestat. p. 2. c. 4. n.* 57. & 58. meliùs dixerint, esse matrimonialem.

III. fortissimè sic argumentor. Si filij concepti tempore prohibito. V.C. adulterini nati tempore habili per subsequens possent ligitimari contractum matrimonij, sequeretur spurios posse legitimari, vel si mavis dicere *Spurcos*, id est, obscœnos, impuros, lutulentos, & fætidos: huius etiam vocis meminit HORAT. *satyr.* 5. ibi: 261

Vt nec tegam spurio Damæ latus.

Quod ALEXAND. III. expressè negat in *d. c. tanta* 6. extremum ergo conceptionis præinspici oportet; antecedens patet, cùm tempore nativitatis, vel possit vxor adultera esse sine viro vidua, & consanguinea cum dispensatione: ne igitur spurium legitimari contingat, tempus conceptionis firmiter, & vt directus scopus vnus, fictionis retrotractivæ intuendum est.

Dices, conceptum tempore prohibito filium, natum verò habili non esse spurium, sed naturalem. Id convinci- 262

tur ex verbis ALEXAND. III. in *d. c. tanta*; non enim aliud considerat, ut filius habeatur spurius, quàm prohibitionem matrimonij, tempore conceptionis, & copulæ. ibi: *Si autem vir, vivente uxore sua, aliam cognoverit, & ex eâ prolem susceperit, licet post mortem uxoris eandem duxerit, nihilominus spurius erit filius.* Et quid illud est, vt affirmemus subsequens matrimonium legitimare filios in adulterio conceptos iure naturali odiosos & turpes, quia nati sint tempore habili? cùm tempus conceptionis, vel excludat filios à scelere parentum, vel maculet, iuxtà illud OVIDI 4. *Metamorphos.*

Quod viret in folijs venit à radicibus humor,
Et patrum in filios abeunt cum semine mores.

Cap. si habes 24. *q.* 3. ibi: *Quidquid, postea quàm eum genuit peccati pater eius admiserit, ubi particeps ipse non fuit nemo ambigit, c. quæris* 129. *de consecrat. dist* 4. *l.* 6. *tit.* 27. *p.* 2. ibi: *Pero esto no se entiende con los fijos, que huviessen fecho antes que errassen. l. ex facto* 17. *§. ex facto.* ibi: *Conceptos quidem ante deportationẽ, licet postea edantur, efficere, vt conditio deficiat, &c.* D. *ad Trebell.* elegans est in hâc re PAPIN. in *l. filiã* 9. D. *de Senator.* Rursus, vt adulterinus partus iudicetur, numeratio taliter fit, vt conceptionis præcisè tempus inquiramus. *l. filium eum definimus.* D. *de his qui sunt sui vel alien. iur.* iuncto CARRANZ. *de Legitim part. designat. cap.* 9. *à n.* 40. & FARINAC. *de Delict. carn. q.* 142, *n* 111. *&* 112. ergo tempus conceptionis maculam inijcit proli adulteræ mulieris, non nativitas, quâ nec aboletur memoria adulterij, imò probatur: nec incipit, imò detegitur: erit ne iustum matronam dici mulierem, eo actu & prole, quâ adultera facta est? cùm adhuc inter cæcos illos Sapientes, matronam solum dixissent, cui torus in pretio? vndè OVID. 6. *fastor.*

Si torus in pretio est, dicar matrona tonantis.

Facit illud PLAVTI. *Ego illum mortuum iudico, cui quidem perijt pudor,* quem nescio quis ille, qui aptissimè vocat colorem virtutis.

265 Desumo etiam argumentum à *c. ex tenore* 14. *qui filij*

lij sint legitim. vbi INNOC. III. prolem à principio in rei veritate prohibitam, vt ex matrimonio legitimè celebrato in facie Ecclesiæ declaret legitimam, detecto impedimento, & matrimonio dissoluto, recurrit ad bonam fidem matris tempore conceptionis: quia saltim in vno ex parentibus principium necessarium est ad legitimationem per matrimonium putativum (vt infra *in 2. parte* discutiemus) ergo sentit INNOC. III. conceptionis tempus indistinctè impedire, vel prodesse: aliàs nativitas cur noceat, vel sufficiat, quo matris peccatum iam non est copulâ consumatũ, quam conceptio sequitur? cur ergo patiatur ALEXAND. III. decisio contrariam opinionem? cum adhuc ex legitimâ vxore filium susceptum, illegitimum CLEMENS III. appellet, in singulari casu *c. literas 14. de filijs præsbyt.* quia ex illicito coitu nascitur, qui à patre communi consensu castitatẽ promittente & ad sacerdotiũ promoto gignitur: facit textus *in c. causam 4.* ibi: *Quia non potuit esse vxor, quæ viri sui torũ maculans, alij dũ ille viveret, copulare præsumpsit. hoc titul. c. fin. de eo qui dux in matr. quam poll. d. c. tanta.* ibi: *Cognoverit, & ex eâ prolem susceperit*, id est, conceperit, vt colligitur *ex l. ex facto 17. §. ex facto.* ibi: *In insulâ liberos susceperat.* Infra probabimus.

Nec vnum est iuris canonici fragmentum circa conceptionis tempus, sed plura, quæ denotant Pontificum decisiones eò tendere, vt significent, omninò salvum futurum ad legitimitatem prolis *c. cum inter 2.* ibi: *Et qui concepti fuerant ante latam sententiam. c. quod nobis 9.* ibi: *generati fuerint. Qui fil. sint legit. c. ad præsentiam 2.* ibi: *Quod memoratus R. sit in sacerdotio genitus. c. ad extirpandas, 11.* ibi: *sive geniti sint in sacerdotio, sive non. c. literas. 14.* ibi: *In sacerdotio genitus de vxore legitimâ natus, & conceptus. De filijs præsbyt. c. cum olim 6.* ibi: *In sacerdotio suscepisset. De cleric. coniugat.* 264

Præterea, favor & benignitas induxit, à veritate recedere in computatione temporis circa libertatem, ad eruẽdum à servitute filium, vt inquit CVIAC. *ad Paul. lib. 4. sent. tit. 24. §. 2. & §. sed si quis instit. de ingen.* & probat 265

verbum *placuit*:& sic VLPIANVS,mero & vero iure inspe-ćto,contrarium resolvit *in fragment.tit.5.§.in his & in l.3.* §.*fin.D.de suis.& legi.hered.*& NERATIVS,in *l. eius* 9.D.*ad municipal* & Imperator *in l.partum.*7.*C.de rei vindic.& in l.4.tit.2.lib.3.in C.Theodosia.*Sed in his,quæ respiciunt matrimonialem causam , à severitate recedendum non est *c. fin.de transact.* ergo cùm in legitimatione duo sint coniũgenda extrema, quorum vnum habilitatem ad matrimonium includit,aliud ipsum iam contractum,talia sunt considerata tempora,in quibus si verè contigisset filij legitimati susceptio,non læderetur honor sacramenti : conceptionis ergo tẽpus perscrutatur,à quo formatus venit partus,vt pluribus exornat CARRANZ.*vbi supra cap.* I.§.I.*á n.* I.non nativitas, cùm posset filius, execto ventre,& mortuâ matre,suscipi in lucem,licet non dicatur tunc mater peperisse:iuxtà illud IVLI PAVLI *lib.4.sent. tit.* 9. *aborsus vel abactus venter partum efficere non videtur.* & MARTIAL. *epigram.*12.*in amph.*ibi:

Exilijt partus miseræ de vulnere matris.
O Lucina ferox ! hoc peperisse fuit ?

266 Favet etiam nostræ opinioni quæstionis illius resolutio: an filij conditionem patris,an matris insequantur? quâ cavetur,legitimos patrem respicere *l. cum legitimæ.* 19.D. *de stat.homin.Vlpian.in fragment.tit.* 5. §. *ex cive* & saltim quo ad honores,res sine cõtroversia ferè est *l eos.*22.*l.exẽplo.*36.*l. nullus* 44.*C.de Decurion.lib.*10. *l.*I.§.*qui ex duobus D.ad municip.l.* 2.*tit.*21.*p.*4.*l. Senatoris* 6.*l. liberos* 10.D. *de Senator.*pleno calamo,& eruditè satis CARRANZ.*vbi supra cap.*3.§.3.*á n.* 4. & cùm legitimatio sit non minimus honor filiorum, scitè PAVLVS *in l. quia semper* 5. D. *de in ius voca.Pater is est* (inquit)*quem nuptiæ demonstrant* , quasi alius non dicatur filius honore præditus legitimitatis , nisi ex nuptijs procreatus; sed quisque fit pater in instanti cõceptionis , ergo vt vel infecta proles , vel non prohibita fuerit,ad illud instans recurremus , non ad nativitatem à quâ iam pater abstinet : & soli matri est filius onerosus,

do-

dolorosus & laboriosus *l.assiduis C.qui potior c.fin.de cõverſ. infidel.* cur tempus iam impertinens revocabimus memoriæ ad legitimationẽ? cùm nuptiæ, conſiderato illo prohibitionis momẽto, ſi fiant, & fieri fingeremus, nõ matrimoniũ, ſed adminus, contubernium dicerentur: vt ad contemptum ſignificandum ſcripſit Pontifex *in c. ſane ſacerdos* 4. *de clericis coniugatis.*

Veritatis maxima vis eſt, impellit tandem, & quaſi per feneſtrã ſaltim, detegit animi affectum, adhuc eorum qui diſſimulant; & vt Traxicus, in *Troad. veritas nunquam latet* cùm enim perlegerem eruditiſſimi BASILI LEGIONENSIS opus *d.lib.*11.*cap.*3.*n.*2. inveni, illus opinionem de tempore nativitatis mitigari ab ipſo. ibi: *illud addendum eſt, id derivari ex ſpeciali iuris diſpoſitione, non vero ex ſupra dictâ fictione iuris, cùm ſi matrimoniũ trãsferatur ad tempus, quod ius fingit, eo tempore non poſſet ſtare matrimonium ante ſuſceptam prolem, quare novâ diſpoſitione opus fuit ſupra generalem.* Quis non videat ſubterfugiũ? cùm de quæſtione iuris quæſtio eſt, mediâ retrotractione, aliud ſpeciale fingere, quod non eſt, nec invenitur à Pontificibus expreſſum: duo item ſpecialia non facilè ſimul admittuntur *l.cum poſt* §.*gener.* D. *de iur.dot.l.*1.*C.de dot.promiſſion.* Dein, ſi ex ſpeciali iuris diſpoſitione id fieret, & nõ mediâ fictione, neceſſarium non erit habilitatem extremorum inquirere, nec tempus conceptionis, medium, aut nativitatis examinare: præter quam ipſe BASIL.*d.lib.*11.*c.* 2. *n.* 4. ad fictionem recurrit retrotractionis. COVARR. etiam *de matrim.* 2.*p.cap* 8.§.2.*n.* 2. perpendens ſententiam FRANC. SARMIENT. *cuius*, inquit, *rationibus ingenuè fateor me dubiũ eſſe, an & hæc communis opinio vera ſit*, quod vnicum fuit NICOL. GARCIÆ 7. *p. de beneficc.*2.*n.*36. fundamentum, vt ab opinione Præſulis recederet. His ergo duobus teſtibus, ſibi ipſis quaſi in affectu cõtrarijs, cur non veriſſimam iudicẽ doctrinam hucuſque traditam? cuius fundamenta ſatis eſſe in ſpeciẽ probabilia, ipſe iterum fatetur BASIL. *vbi ſupra n.*3. & PASCHALIS *de virib.patr.poteſt.p.*2.*c.*4. & *ſi n.* 94. aſſentiatur contra-

267

riæ opinioni, post tamen dissentit in pluribus & *n.*70. dixerat *secundo requiritur, quod tempore, quo fuerunt filij concepti legitimũ inter parentes matrimonium absque vllo canonico impedimento contrahi potuerit: vt expresse cavetur in d. c. tanta.*

268 Copiosior vindemia erit, quæ ex resolutione difficultatum colligitur, & ideò opere pretium iam existimo, suo etiã ordine dubijs, & argutionibus occurrere: & primò nõ obstant iura faventia liberis, videlicet *l. servorum* §. *ingenui l. qui in vtero.* D. *de stat. homin. l. placet* 4. *C. de libera. caus.* cum similibus, nam quo ad statum, libertatem inquam & servitutem, intelliguntur, quia solius matris conditio ad id prodest, vel nocet *l. partum.* 7. *C. de rei. vindic. l. huiusmodi* 86. § *legatum* D. *de legat.* 1. & favore libertatis inductum est, vt supra dixi, ex IVLIO PAVL. *lib.* 2. *sentent. tit.* 25. videndus PICHARD. *in l.* 3. *n.* 9. *C. de murilegul. lib.* 11. ad statum enim libertatis, prohibitio matrimonij quid interest? tẽpus nativitatis, seu conceptionis quid affert inhonesti? sola certitudo matris, & status quæritur. At in legitimatione extrema esse habilia, decet honorem, & favorem matrimonij.

269 Apud antiquos Iurisconsultos extat huius distinctionis initium, filius enim ex concubinâ genitus habebatur & liber, vtpotè matris solius conditionem sequutus: erat illius successor *l. si spurius* 4. D. *vndè cognat.* & tamen iustus nunquam, nec legitimus talis filius fuit, nec mentio vlla in toto iure respectu patris: & si concubinatus fuerit licitus *l.* 3. D. *de concubin.* insignitum inveni locum VLPIAN. *in fragm. tit.* 4. ibi: *In his, qui, iure contracto matrimonio, nascuntur, conceptionis tempus spectatur: in his autem, qui non legitimè concipiuntur, editionis, &c.* quæ verba denotant in filijs illegitimis conceptionis tempus non inspici, quia quasi sine patre geniti habentur, nec aliud est extremũ, nisi nativitatis: at in legitimis, cùm pater omninò consideretur, conceptionis tempus consideratur: vndè, cùm in posterioribus sæculis Imperatores fictionem induxerint, quâ retrò matrimonium factum fingunt, vt filij illegitimi legitimentur, iam

nulla

nulla excuſatio fuit, quæ tempus conceptionis excluderet. Nec turbat nos(vt obviter explicemus) textus in *l. ex facto* 17.§.*ſi quis rogatus*,D.*ad Trebelli*.vbi fit expreſſa memoria de filijs naturalibus ex concubinâ ſuſceptis: nam dupliciter ſatisfacio inſtantiæ.I.cum ANT.FABRO *in iuriſp.Papinian. tit.9.de nupt. princ.* 2. *illat.* 1. interpretari de filio ancillæ poſt contubernium manumiſſæ, & verba illa, *& in libertino,&c.*ſapere Tribonianiſmum, vt continuaretur iam Digeſtorum compillatio,cum *l Divi.C.de naturalib.liber*.iunctâ *novellâ* 89. in princip. quâ Imperator per TRIBONIANVM alienos à republicâ quondam putari naturales filios diſſertis verbis fatetur.Item,hæc lex, quam interpretamur mendoſa in alijs clauſulis, & CVIAC.viſa eſt. *lib.3.Obſervat. cap.*10.ſed hâc omiſſâ ſolutione,nec non OSVALD. damnati reprehenſione contra FABR.*lib.*8.*comm.Donel. cap.* 33. *in notis litera G* & ijs,quæ excogitat Dom. D. IOAN. BAPT. DE LA REA *in deciſ.Granaten.tom.*1. *diſp.*32.*à n.* 12, & D. FRANC.DE AMAIA.*lib.*1.*Obſerv.cap.*12 *n.*30.noviter expendo VLPIAN.interpretem ,& PAPIN. authorem *in d.* §. *ſi quis rogatus*, & affirmo , ibi ſermonem de filijs ex contubernio natis, qui Digeſtorum iure,naturalium ſoli numero continebantur:&faciunt re verâ in *d.l. ex facto* deficere cõditionem:certiſſimum eſt:illa autem verba, *& in libertino eodem conliberto hoc ſcribit*,non eſſe PAPIN. neque TRIBON. ſed VLPIAN. authoris dictæ legis , exiſtimo ; ac ſi diceret, quod PAPINIAN.ſcribit circà filium naturalem, de libertino conliberto patris hoc ſcribit:& moveor ex relativo *hoc*, quod idem ſupponit dubium, & caſum eundem.Erit itaq; ſpecies talis, TITIVS ſervus habuit filium PAMPHILVM ex contubernio: vterque manumiſſus eſt, & pater TITIVS inſtitutus & rogatus hereditatem reſtituere,ſi ſine liberis deceſſerit.Præfertur PAMPHILVS filius libertinus,& patri conlibertus ſubſtituto : adducit in comprobationem VLPIANVS doctrinam PAPINIANI nõ abſolutè ſumptam de filijs naturalibus , ſed explicatam de filijs libertinis poſt manumiſſionem ſic dictis , aliquando libertina pro libertâ , vt Ho-

HORAT. *Ode*. ibi:

Ipsum me melior cùm peteret vnus,
Grata detinuit compede Myrtale
Libertina.

Alij lautioris servi nomen fuisse existimant: ridiculum tamen id est: nec probat idem HORAT. *Satyra* 3. *lib*. 2. ibi:

Libertinus erat, qui circum compita siccus
Lautis mane senex manibus currebat,

Ibi enim stultitiæ genus irridet: nec à conditione hominis alienus fuit, sed statum designat. Aliquando libertini pro liberti filijs accipiuntur, vt in *d.* §. *si quis rogatus*, sed non propriè vocabulo Consultus vtitur, quia potius libertum designat, quia libertinus nunquam fuit servus, sed filius illius, qui prius servierat. Id vero quod VLPIANVS subiungit. ibi: *Sed hoc ex dignitate, &c.* ideò est, quia posset contingere, testatorem adeò esse illustrem, vt nullo modo cogitaret, nisi de filijs legitimis, & ex vero matrimonio natis, & ingenuis. Illud, quod quasi subdubitat VLPIANVS. ibi: *De qualibus liberis*, non interpretor, factâ comparatione inter naturales libertinos, sed inter libertinos, & verè ex nuptijs legitimos, seu matrimonio, impetratâ natalium restitutione; posset enim nupsisse, & non solum libertinos, sed verè à principio ingenuos filios suscipere.

270 Minus etiam obstat textus singularis *in l. cum tabulis* 16. §. *quoniam stuprum*. D. *de his quæ vt indig*. sensus quippe illius est. Legatum relictum RVFINÆ ingenuæ mulieri, quam honore pleno dilexerat CASSIANVS vir clarissimus non amitti, quia filiam RVFINÆ, quam alumnam testamẽto CASSIANVS nepti coheredem dederat, vulgo quæsitam fuisse apparuerit; quæ vltima verba non probant, memoriam esse in iure civili naturalium filiorum respectu patris, imò potius quod vulgo quæsita apparuit alumna CASSIANI partem amisit, tota ergo quæstio fuit respectu matris; & miror doctissimum Salmanticensem nostrum Domin. D. IOAN. BAPT. DE LA REA *tom*. 1. *decis. Granat. disp*. 32. *à n*. 14. & præcipuè *n*. 18. hanc legem & si ad verum sensum re-

reduxerit, non hoc animadvertisse, sed *n.* 13. supponere hãc fuisse filiam CASSIANI cùm Iurisconsultus solùm dicat alumnam: omitto alia iura quia facilia; & contentus ero cumulare hîc selectiora, quæ possent expendi *l. Lucius* 45. D. *de vulgar. l. heredibus* 77. §. *Titius*. D. *ad Senat. cons. Trebell iunctâ l. furens*. D. *de spõsal. l. vtrũ* 107. D. *de verb. obligat. l. si quis ingenuam* 21. D. *de capt. & postl. reve. l. adoptivus* 14 §. 1. D. *de rit. nupt.* quibus, si liceret plus divertere ab instituto huius primæ partis, occurrerẽ, vt FABRVM, & CARRANZAM defenderem in hâc opinione de oblivione circa filios naturales, quam verissimam prædico.

Et vt redeam, adhuc etsi mater sine maculâ filium 271 susciperet, si tempus conceptionis sanari fictione non potuit, spurius erat filius *l. Divi* D. *de captiv. & postl. rever.* quin posset iuvari rescripto ANTONI. & SEVERI *l. apud hostes* 9. D. *eodem titul.* de quo infra: ergo diversum semper fuit de statu liberorum inquirere, aut de legitimatione disputare VLPIAN. *in fragm, d. tit.* 4. §. *vltim.*

Textum in *l. nuper. C. de natural. liber.* qui potior est in 272 contrariâ opinione, considerat SARMIENT. *lib.* 1. *Selectar. c.* 5. *n.* 11. respectu libertatis, in quâ variabilis est matris conditio, non sic in statu delicti, quod semel in suo genere perfectum variationem non recipit *l. qui eâ mente.* D. *de furt. l.* 1. D. *de pœn.* & vt prudenter agnoscit PROCOPIVS *de Bello Vandalic. lib.* 4. *Peccatum semel admißum nunquam efficies, vt sit infectum.* Ergo mirum non est, inquit, si aliter quo ad statum, & quo ad legitimationem se res habeat. Sed hæc lex si penetretur, attento rationis intuitu, minus favet contrariæ opinioni, nam in principio excluditur casus prohibiti matrimonij. ibi: *Eam cum quâ poterat habere connubium*, & in corpore sola quæstio est de filijs concubinæ, & in casu dissimili à nostro, cùm disputetur de confectione instrumenti dotalis, de quâ post dicemus. Denique Imperator definit ad casus, in quibus variabatur, intra latitudinem filiorum naturalium circa diem confecti instrumenti dotalis, favore solùm prolis inspecto, nos favorem, & honorem ma-

matrimonij primariò intuemur, ergo circa filios spurios, & adulterinos nihil disputat. Hæc vt radicitus percipiantur, & prædicta *l. ex nuper* proprio sensu gaudeat: sciendum est, CONSTANTINVM Imperatorem, qui primus legitimationẽ per subsequens matrimonium invenit, non omnibus illegitimis filijs dedisse privilegium hoc, sed progenitis ex ingenuis concubinis vsque ad diem promulgationis legis, vt apparet *ex l. Divi 5.* ibi: *Hi verò, qui tempore huius sacratissimæ iussionis nec dum prolem aliquam ex ingenuarum concubinarum consortio meruerint, minimè huius legis beneficio perfruantur, &c. C. de natur. libe.* hinc cæpit dubitari, an filij ex concubinis concepti post promulgationem dictæ iussionis legitimarentur per subsequens matrimonium, si modò tempore nativitatis essent iam confecta instrumenta dotalia? V. C. si nuberet prægnans concubina, & iam nupta peperit, & circa hoc variabatur, sed IVSTINIANVS in *d. l. nuper* generaliter definit, conceptionis, vel partus inspici tempus quoad instrumentorum dotalium confectionem, non tamẽ de prohibitione copulæ impeditivâ matrimonij tempore conceptionis loquutus fuit; nã de alijs filijs illegitimis, prætERquam de conceptis post legis promulgationem, cùm non sit dabilis ratio dubitandi quoad instrumenta dotalia in filijs ante susceptis: & indicat Imperator in *d. l. nuper.* ibi: *Satis enim absurdum est, si filij post dotem progeniti anterioribus liberis adiutorium adferant, & ipsum puerum, vel puellam sibi opitulari non posse, &c.* Hinc iam interpretor generalitatem decisionis ibi: *Et generaliter definimus, &c.* vt nũquam casum comprehendat, qui præiudiciũ generet matrimonij honori, de solis ergo filijs naturalibus Imperator loquitur, & de casu instrumentorum dotalium, quorum confectio vel tempore conceptionis, vel nativitatis requisita nihil officit matrimonij decori, absit itaque vt favore liberorum contra matrimonij favorem & honorem statuamus, vt statuere mihi videntur qui spurios, & adulterinos trahunt ad beneficium huius tituli, ex eo solùm quia nati sint tempore habili: & præcipuè cavendum est à FVS-

SARIO, qui *tract.de Fideicomm.ſubſtitut.q.*409.*n.*124. conſtituit, filios ſpurios poſſe legitimari, dummodò mulier potuerit eſſe vxor tempore matrimonij: & communē opinionem prædicat, confundit enim mentes Doctorum, quos ibi laudat, & ſpecialiter PEREGRINI *de Fideicom. art.* 24.*n.* 53. qui de matrimonio putativo, & in diverſo caſu diſputat: & miror, tot doctiſſimos viros, qui dictam *l. nuper* in comprobationem ſuæ opinionis expendunt, hæc prætermiſiſſe, & ad diverſum ſenſum trahere prorſus alienum à noſtrâ quæſtione.

Hinc item interpretor textum *in Authentic.quib. mod. efficiantur ſui.* §.*inſuper.collat.*7. libuit priùs repetere verba, *cum enim dubitatur, vtrum oporteat conceptus, an partus reſpici tempus ſancimus, vt non tempus conceptus, ſed partus inſpiciatur propter filiorum vtilitatem: ſi vero contigerit, tales aliquas excogitari circunſtantias caſuum, in quibus eſt vtilius conceptionis tempus, quàm partus, tempus illud valere magis præcipimus, quod vtilius ſit naſcenti*: quæ protulit Imperator ſingulari illo in caſu, videlicet, an ſi conceptus eſſet filius ante dotalia inſtrumenta, poſt tamen natus legitimaretur? (& adhuc controverſa eſt quæſtio, de qua FACHIN *lib.*3.*controv.c.* 51. FVSAR. *vbi ſupra.* & BASIL.*d. lib.* 11.*c.* 1. §. 2.) & quidquid hoc ſit cæſareo iure, electionem temporis conceptionis, vel nativitatis in caſu contingenti intra latitudinem filiorum naturalium concedit IVSTINIANVS, quin ſpurio, aut adulterino faveret filio. Indicant hanc interpretationem verba illa *ſi vero contigerit, tales aliquas excogitari circunſtantias caſuum*, quaſi ſenſus ſit, in ſpecie naturalium filiorum, circunſtantias, quæ non mutant ſpeciem (vt ſic dicam) filiorum, nec trahunt eos ad peſſimam adulterij, & inceſtus conditionem, non impedire legitimationem, ſi conceptionis, vel nativitatis adſint tempore, qualis erat inſtrumentorum dotalium confectio. At nos de aliâ principali, & diverſâ filiorum qualitate diſputamus, cùm ſcilicet, punibile eſt matrimonium conceptionis inſtanti, vt in adulterinis contingit: deindè, filius naturalis no- 273

mine vtitur in aliquo apto comprehendere legitimum, & iustum, vt notavit LVPVS *de illegitim. in præfat. n. 3. Gloss. in § sed hodie verb. naturalis. instit. de adoption. l. quoties idem sermo D de regul. iur.* BALD. *consf. 246. n. 7. vol. 1.* at spurij adhuc in nomine dissonant à legitimis: facit *novell. quib. mod. natura. effic. legitim. § si quis sane* ibi. *neque enim à principio quando sola natura sanciebat homines, antequam scriptæ pervenirent leges, fuit differentia naturalis atque legitimæ.* Nec contrariæ opinionis Authores excusat consideratio, cui nituntur plures, charitatem in hoc versari, vt qui nõ peccavit à pœnâ liberetur, nam vt ex DIV. THOM. infert SARMIENT. *vbi supra*, pœna dicenda non est, vt qui non legitimus, non habeat quæ legitimorum sunt, sicut nec est, quod non sit Princeps, nec succedat in Regno qui non filius Regis. Quid? quia perquam durum est non exequetur? ita lex scripta est *l. prospexit* 12 D. *qui, & à quibus.* Et filiorũ infelicitatem pænam esse parentum quis inficiabitur? imò magis in filijs torquentur: ideò *Genes.* 9. *vers.* 25. Illusus à CHAM NOE supplicio punitur in maledictione filij CHANAAM, *maledictus Chanaã servus servorũ erit fratribus suis:* hîc PROCOPIVS *maior*, inquit, *dolor cruciabat patrem, cùm videret filium maledictione perstringi; graviùs affligimur calamitate liberorum, quàm si nobis aliqua miseria obijceretur;* doleat ergo pater in legitimitate filij, vt legitimam sustineat adulterij pœnã, quam volens meruit, nam vt benè THEODORIT. *lib. de Græcar. affect. curat. lib. 1. de fide. Corporeæ quidem pestes, invitis admodum, nobis adveniunt, animæ vero labes á delectu voluntatis pleræque proficiscuntur.*

Non nisi consensu mentis vitiabile corpus.

Consequenter colligit Doc. Dom. D. IOAN. DE SOLORZ. *de iur. Indiar. tom. 2. lib. 2. c. 17. n. 22. vt parentes se á vitijs, & illicitis concubitibus abstinerent, videntes quod filijs, qui ex eis nascuntur nullus honos á lege defertur*, & præcipuè spurijs omnis denegatur, qui propriè olim terrigenæ dicti sive terræ filij, vt advertit PAVL. MANVT. *in adag. lutea proles. pag.* 1360. hinc SATVRNVS terræ filius dictus apud Italos

los, dicebantur etiam spurij Gigantium fratres, & Favonij, videndus ADRIAN. TVRNEB. *lib. 26, adversar. cap. 2.*

Constat etiam ex literâ *D. Authentic. quib. modis natur. effic. sui* non loquutum Imperatorem, præterquam de filijs naturalibus ex concubinâ, *ex capite. 2 §. primus.* ibi: *Vt posset naturales filios.* & §. *reliqui.* ibi: *Qui erant primitus naturales.* & ibi: *aut etiam filiorum naturalium pater.* & *cap. 12. §. discretis.* ibi: *Qui manserunt naturales.* & § *si quis autem.* ibi: *talibus enim solū modo hoc sancimus, vbi omnino indubitatus est, & concubinæ in domo affectus, & filiorū ibidem proles* & §. *si vero.* ibi: *Odibilis quidem est iste talis* dum loqui incipit de filio effusæ libidinis: & denique evidentius in *cap. 15. §. vltim.* ibi: *Primum quidem omnis, qui ex complexibus, non enim hoc vocamus nuptias, aut nefarijs, aut incestis, aut damnatis processerit, iste neque naturalis nominatur, neque alēdus est à parentibus*, ergo signum evidens in his relucet, vt Imperatorem *in d. §. insuper* de solis filijs naturalibus ita loquutum coniectemur, ne ad spurios, & adulterinos transeamus. 274

Obiici noviter posset nobis textus in *l. eos 65 §. 1. D de rit. nupt.* vbi nativitas inscipienda venit, non conceptio ad inducendam legitimitatem filij. ibi: *& ideo postea liberos natos ex iusto matrimonio legitimos esse*, & factum huiusmodi talibus beneficium persubsequens matrimoniū suspicari posset, nam PAVLVS de filio Proconsulis sermonem instituit, qui nulliter nupsit in provinciâ propter prohibitionem *l. si quis officium 38. D. de rit. nupt.* ac si casus fuerit de filio concepto in provinciâ, nato post iustum matrimoniū, quæ aliena valdè sunt à *lege Divi C. de natural. liber.* in quâ origo, & fons huius per subsequēs matrimonium legitimationis est. IACOB. CVIAC. *lib. 1. observat. cap. 11* explicuit *d. l. eos* quo ad dotem, dubitans, an dos quæ à principio caduca, restituatur, convalescente matrimonio, at quæstionem nostram non tangit. Respondeo ergo *in d. l. eos*, & conceptos, & natos fuisse filios post legitimas nuptias contractas; quod affirmat PAVLVS vt quid consequens ad suam decisionem: 275

præcipua vero ratio dubitandi fuit, an contractum matrimonium in provinciâ tempore prohibito, ex novâ voluntate convalesceret: affirmat PAVLVS & addit consequenter *& ideo postea liberos natos ex iusto matrimonio legitimos esse* vbi li *natos* pro filijs, & conceptis, & natis interpretor cum SARMIEN. *lib. 1. select. cap. 6. n. 10.* annuit CVIAC. *lib. 7. respons.* PAVL. dum intelligit de filijs post susceptis, hoc est, tempore matrimonij, non ante. Nulla ergo dubitatio PAVLO circa legitimationem per subsequens matrimonium, aliàs, non diceret *legitimos esse* sed *fieri*. Quid moramur? habemus Imperatorem ipsum GORDIANVM interpretem PAVLI *in l. & si contra C. de nupt.* ibi: *& ideo postea susceptos liberos, natosque ex iusto matrimonio legitimos esse, responsum viri prudentissimi Pauli declarat.*

276 Interpretor etiam difficilem textum *in l. si quis posthumos 9. § sed si ex eâ D. de libe. & post.* vbi idē PAVLVS disertè cōstituit, posse quem heredem instituere filium sororis adoptivæ, dum modò, solutâ adoptione, posset cum illâ matrimonium inire: non enim Consultus de filio concepto sumitur ante adoptionem solutam, sed de filio, & concepto, & nato post legitimas nuptias, nec insolens, posse institui nasciturum post per actum scilicet matrimonium, & illo durante conceptum, argumento *l. in tempus D. de hered. instit.* adoptionem verò semel finitam non impedire, probat expressè textus *in l. per adoptionem 17. D. de rit. nupt.* & sperari valet honestè, adoptionis solutio, quia casus ominosus non est; quâ notulâ non erit contrarius textus *in d. l. si quis 9. § 1.* Nec obijcias textum *in l. placet 4. D. de lib. & posth.* vbi habetur, posse vxoratum instituere posthumum nasciturū ex aliâ vxore, quod ominosum casum designat, scilicet mortem primæ: ergo vltima notula nil faciet, quominus contrarius sit Consultus *in d. l. 9. §. 1.* Nam respōdeo matrimonij separationem potuisse quondam repudio, divortio quei fieri, solennibus illis verbis præcedentibus, *res tuas tibi habeto, tuas res tibi agito l. 2. D. de divort.* & in spōsalibus *conditione tuâ non vtor:* *vndè* MARTI. *lib. 6. epigr. 7.*

Aut

Aut minus, aut certe, non plus trigesima lux est,
Et nubit decimo iam Thelesina viro.
Mense novo Iani veterem Proculeia maritum.
Deseris atque iubes, res sibi habere suas.

Et TERTVLL. *in Apologet.cap.6.* deplorans facilitatẽ separationum *repudium vero*, inquit, *iam votum est, quasi matrimonij fructus*: scribunt aliqua de his repudijs ANT.FAB. *in iurispr. Papin. tit. 9. de nupt. pri.2.illat.16.* LIPSIVS *in notis ad Senec.cap.16.de provid.* IVVENAL, APVLEIVS, TIRAQVEL. & alij quos refert eruditus AMAIA *lib 2.observ.c.1.á n.41.*item BRISON *.lib.singular.ad leg.Iul.*verbo *divortia septem.*sed causam id exigebat,ne pœnis desidij subijcerentur *l.uxor:7.D.de divort.*CVIAC.*in l.unic.§.sileat ob liberos C.rei uxor.act.*Denique,fiebat hæc separatio bonâ gratiâ: ergo tunc conditionem ominosam excludebat, quare sic *d.l placet* casum fingere oportet,vel similiter.

Ex eodem filo pendet *l. filius à patre* 28. § *si quis eo tempore D.de liber.& posth.*quia de filio posthumo instituto interpretor,ante quàm nec conceptus, nec natus esset:si ergo primum verbum *natum* sustantivè lego pro filio: secumdum verbum *natum* pro participio verbi *nascor*: & præterea,mutuanda est species à *l. placet.* 4. D. *de libe. & posthu.* ibi:*Verum is quoque,qui ex quacunque uxore nascatur*:facit item *l.sed & quæsitum* 6.D.*eodem titul.*iuncto IACOB.CVIA.*ad tit.de liber.& posth.in d.l.si quis posthumos* 9. CVIAC.sic. *Potest tamen, qui nondum uxorem duxit posthumũ instituere,eumq; videtur instituisse, quẽ ex iustis nuptijs quandoq; susceperit.*Sed in his iuribus nõ de posthumo alieno,sed proprio sermo est. Nec alicuius momenti est argumentũ *l.si alienum* 49 §.*in extraneis.*D.*de hered.instit.* scilicet,capacitatẽ desiderari & facti testamẽti & aditionis tempore:nam facilis solutio occurrit,si advertimus,in supradictis casibus institutionem esse conditionalem:videndus PICHAR. *in §. in extraneis n.13.instit.de hered.qual.& differ.* 277

Nostram adhuc sententiam damnare videtur textus in *l.emancipatum* 7.§.1.D.*de Senat.*quatenus filium dici Sena- 278

toris

toris habet & qui post mortem patris natus est, vel postea quàm de senatu motus est; ergo nativitatis tempus non solùm ad libertatem sed generaliter inspicitur. Ni fallor Cõsultus in hâc lege potiùs mentem nostram firmat, quàm destruat, cùm filium Senatoris neget illũ, qui postea quàm pater eius de senatu motus est, concipitur, & nascitur, vt tandem inferat, necessariò praeoptari filium esse conceptũ à patre Senatore; & concludit *Tempus enim conceptionis spectandum plerisque placuit*, ergo non tam nocet, quàm favet VLPIANVS disceptationi nostrae, vel in omnem eventum noto in *d.l.emancipatum* tractatum esse in favorem liberorum, quae alia tangit principia, de quibus meminit, idem VLPIAN. *in l.* 5. D. *de Senatorib. l. filij* 22. §. *Senatoris.* D. *ad municip. l. moris* 9. § *sed vtrum.* D. *de poen. l.* 2. §. *in filijs.* D. *de Decurion. l si Senator* 11. *C. de dignit. lib.* 12. videndi sunt IACOB. CVIAC. *lib.* 1. *respon. Papini. in l. per adoptionem* 35. *D. de adoption.* ANT. FAB. *in rationali ad d. l.* 5. *D. de Senator.* BRISON. *de iur. connubior. pag* 10. OSVALD. ILLIGER. damnatus *ad Donel. lib* 24. *c.* 22. *litera P.* & CVIAC. *in explicatione tituli. C. de quaestion.*

279 Minus obstat *l.* 11. *Tauri*, quae filios iam dici naturales decrevit, cùm vel tempore nativitatis, vel conceptionis patres eorum poterant vxores ducere matres eorum: nam respondeo, ad consequendos effectus civiles, hereditatem, nobilitatem &c. interpretari, per modum dispensationis, & indulgentiae Principis, praeterea, dictae *l.* 11. *Tauri* dispositio ad spiritualia non extenditur *c. Ecclesia sanctae Mariae. de constitutio. c. decernimus. de iudic.* ita NICOL. GARC. 7. *p. de benefic. c.* 2. *n.* 38. est etiam dispensatio dictae legis extra terminos fictionis, nec adulterinos comprehendit filios contra decisionem *c. tanta*, videndus ANT. GOM. *in l.* 12 *Tauri* *n.* 55. qui suo modo magistraliter resolvit, & ferè in nostrã opinionem inclinat *n.* 56. Cur igitur adulterinum tempore conceptionis legitimare licebit, etiam si tempore partus possibile sit parentum matrimonium? si quidẽ inter coniugatos tandiu partus legitimus & iustus est, quandiu bonae

fidei, & in iure nasci filium ex illo matrimonio celebrato in facie Ecclesiæ, non aliter permissum, quàm ignorato impedimento, saltim ab vno ex coniugibus.

Paulatim iam colligitur Pontificem ALEXANDRVM III. *in d. c.tanta* iuxtà principia iuris statuisse, legitimationem filijs spurijs denegans per subsequens matrimonium, quia extremorum habilitas deficit, cùm tempore conceptionis non potuerit matrimonium consistere. Non obstat dicere, etiam in conceptione filij naturalis ex concubinâ præcedere actum peccaminosum; licet enim talis cõiunctio prohibita sit *c.nemo 32 q.4.clementin. ad nostram.de hæretic.* sola possibilitas, vel impossibilitas nubendi legitimè consideratur. quia subsecutum matrimonium tendit ad destructionẽ cõcubinatus, & peccatũ, vt impediat retrotractionẽ, directò esse oportet contra matrimoniũ vel actuale vel possibile. 280

Dices ALEXANDRVM III in *d.c.tanta* supponere filium conceptum & natum tempore inhabili, vt excluderet à beneficio legitimationis.ibi: *Cognoverit & ex eâ prolem susceperit*, non ergo aliter erit filius spurius. Respondeo supra dicta verba de conceptione solùm intelligi, prolem enim suscipere melius de conceptis interpretatur; expressè probat textus in *l. & si contra 6.C.de nupt.* ibi: *Susceptos natosque*, quibus verbis, vt diversis vtitur GORDIANVS, quasi diceret conceptos natosque, & ideò Græci interpretes loco illius verbi *susceptos* reponunt *conceptos*, notat CONCIVS *lib. 1.lection.cap.7.* & CVIAC *lib.13.Observa.cap.25.* quos etiam sequitur eruditus D.FRANC.AMAIA *lib.1. Observ. cap.4.n. 13.* facit quod prolem suscipere, actus dicitur parentum, at nasci filios ad minus factum patris non requirit, imò nec matris, sed ipsius filij & impellentis naturæ: ergo ALEXA. III. de conceptis filijs loquitur, vt designet spurios. Deindè animadverto incontinentiam non nativitate, sed conce*ne, & coitu perfici: expressus probat à nemine ad id visus textus *in c.literas 14.de filijs præsbyt.* vbi & si in vnâ oratione conceptionis simul & nativitatis mentio fit, ad incontinentiam recurrit Pontifex, vt filium illegitimum iudicet. 281

* *concep-tione.*

ibi:

ibi: *Paterna incontinentia modis omnibus propellenda noscatur, &c.* ergo cōceptio sola filiū maculat; non nativitas; sic occurro CASTRO PALLAO, qui prædictis nititur verbis in suo vberrimo opere morali *tom. 2. tract. 13. disp. 4. punct. 1. n. 5.* cui adeò placet contraria sententia, vt indistinctè affirmet legitimationem, & liberalem causam in eandem temporis incidere computationem. Nec possum non mirari, sic esse æqui amatores contrariæ opinionis patronos, vt iustitiæ vim dissimulent, & proprietatem vocabuli offendant; nam prolem suscipere, propriè significat gignere; fortasis nos potius fallimur, qui tot viros doctissimos impugnare ausi sumus: varia sunt iudicia hominum, & in iurisprudētiâ verius id apparet, cùm iuris ignoratio potiùs litigiosa est quàm scientia, vt dicebat TVLLIVS *lib. 1. de legib.* quia omnia sunt vafra, & controversa. Hæc cogitabam, non superbè me gerens, sed vi & rationis impulsu, cui resistere nulla sana mens potest: dum meliora quisque obtulerit, sequentia pro me IVSTINIANVS verba proferat *Authent. de nupt. in præfation. Non enim erubescimus, si quid melius etiam horum, quæ ipsi prius diximus adinveniamus hoc sancire, & competentem prioribus imponere correctionem, nec ab alijs expectare corrigi legem*: & PLATONIS etiam vtor rationibus, qui in apologiâ SOCRATEM inducens de se loquentem, sic ait: *Nunc itaque, vos maximè oratores, velim viri Athenienses, nec iniustis præcibus quantum equidem sentio, vt elocutionis nostræ ratione post habitâ (fortaße enim insulsam, fortaße vero & bonam esse illam continget) in id dumtaxat animum intendatis, si videlicet iusta sint ea, quæ dico.* Eloquentiæ ergo sapientissimorū, instar clypei, oppono veritatem, vt nullum parcus dicendi modus detrimentum accipiat.

282 Infertur iam vt necessarium consequens, filios naturales extremo conceptionis habili simul & matrimonij, legitimari, licet medio tempore aliud fuerit à parentibus contractum, nam interregna non nocent *l. si in alienum 49. §. in extraneis. D. de here. instit.* & induco *l. pen. §. vxor. D. soluto matrim.* cùm mulier, facto divortio, (habuit olim ritus & solen-

solennitates, & vt CEL. RODIGIN. *lib.* 28. *Antiquar. lect. cap.* 16. tristia, atrociaque, & horrenda non semel) dotem repeteret (si citra mulieris culpam obtigisset) & si interim alij nubat, post vidua ad primũ iterum redeat, dos eadem censebatur repetita, sine novâ constitutione. A simili etiã probat *Authentic. si tamen. C. de tempor. appellat. clementin. a quandiu. eodem titul.* cùm appellatio, quæ, facto compromisso, suspenditur, eo cessante, reviviscit: textus item in *c.* 1. *c. auditis. c. ex transmissa, c. cùm nobis de præscription.* in quibus dormit præscriptio tempore medio sedis vacantis schismatis, vel hostilitatis, & cessante impedimento, extrema iunguntur *l. reintegr.* 23. *l. fin.* D. *action. rer. amot.* ergo similiter in præsenti, imò se habent media tempora per accidens, dixit CAST. PALLAO *in suo oper. moral. tom.* 2. *tract.* 13. *disp.* 4. *pun.* 1. §. 2 *n.* 5. ZAIRO *lib.* 6. *de Irregul. cap.* 10. *n.* 19. AZOR *tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 13. *q.* 5. COVAR. 2. *p. de Sponsal. c.* 8. §. 2. *n.* 28. PETR. GREGOR. *in Syntagma iur. p.* 2. *lib.* 10. *cap.* 4. *n.* 5. BASIL. *de Matrim. lib.* 11. *cap.* 1. § 2. *n.* 15.

Obiicies *l. matrimonij causa* 21 D. *qui, & à quib.* vbi non aliter ancilla efficitur libera matrimonj causâ, quàm si ipse manumissor ipsam ducat vxorem, adeò, vt si alius matrimonij causâ manumittat, & in vxorem alius recipiat, etiam si post, marito mortuo, nubat manumissori non consequatur libertatem: ergò media tempora nocent. Respondeo, Iurisconsultum de primo matrimonio egisse in conditione manumissionis posito; multum enim interest, an cũ virgine, an cum viduâ cõtrahat: vndè evenit, cùm iam non possit esse primũ matrimoniũ, non effici liberã, deficiente vtpotè conditione, quippè matrimonij mentio de primo intelligitur *l. boves* §. *hoc sermone cum simil.* D. *de verbor. signi.* BARTOL. *in l. cum vir* D. *de condit. & demonst.* ROLAND. *de lucr. dot. q.* 42. *n.* 1 SIGNOROL. *cõs.* 29. *n.* 37. *& cons* 68. *&* 69. HIERONYM. GABRIEL. *cons.* 13 *n.* 2. *lib.* 2 CALDAS PEREIRA pleniori calamo *in tract. de nomin. emphyt q.* 15 *per totam.* 283

Ponendum iterum est, fictionem hanc retroactivam omnes operari effectus; & esse quo ad omnes argu- 284

mento *l.lege Cornelia.*D.*de testam. l. potior.*D. *qui potior. in pignor.l.necessario* §.*quod si pendente* D.*de pericul. & comm. rei vend.*similemque esse postliminio, quo ab hostibus captus rediens fingitur,retrò in civitate fuisse *l.retrò.*D. *de captivis,& postl.reve.*& redeuntem facit,ac si nunquam servierit *l. postliminium* D. *eodem titul.c.prima actione 16.q.3.* relucet melius exemplum *in l. heres quandoque.* D *de acquir.heredit.*cuius legis fictione taliter evacuatur iacens hereditas,vt nũquam fuisse præsumatur : etsi enim repræsentavit testatorem *l.*1.D.*de relig.& sumpt.funer.l.heres.& hereditas* D.*de vsucapio.*cum sexcentis alijs,gerit etiam ipsius heredis personam,quem in repræsentado repræsentat *l. novatio* 24. D. *de novat.* & accedente casu vero,fictus cessat. Sic legitimatio efficit, legitimatum haberi, ac si nunquam
276 fuerit illegitim⁹,argumẽto *l.si quis filio* §.*penul.*D. *de iniust. rupto.* & quemadmodum captivus reversus per postliminiũ excludit secundò genitos,& remotiores *d.l.si quis filio* §.*sive autem.l.si necem.*§.*si deportatus* D. *de bon.libert. l. qui ex liberis* §.*primo* D.*de bon.posse.secund. tabul.* simili modo, legitimatus,nam affectus circa illum dedit secũdis filijs occasionem,vt post nati sint legitimi iuris : & absurdum nimis iudicaretur, benignã causam, quam posteri sibi filij invenerunt ex prioribus,non etiam prodesse prioribus,vt legitimum ius,simul & sine calumniâ dare successiones liceret,refert Impera.*In Authent.quib.mod.natur.effic.sui* §.*reliqui.coll.*7.vniformitatem fictio retrotractiva præsefert,ne aliquando illegitimos,aliquando legitimos, filios legitimatos haberemus : faciunt quæ colendissimus mihi dominus D. ANTONIVS LEO PINELVS germanus mihi frater & amicus,& natu,& in omnibus maior,in suo aureo,& singulari tractatu *de confirmatio.Realib.p.*1.*cap.*10.*n.*26. docet circa successiones in commendis Indorum , sequitur Dom. Doc.D.IOANN.DE SOLORZ.*tom.*2.*de iur.Indiarum,lib.*2.*c.*17.*n.*2.similiter,& quæ refert ABB.*in d. c. tanta n.*7. circa dubium illud,an succedat legitimatus parentum in feudũ, quin obstet textus *in c.naturales lib. de feud. in titul.si feud.*

fuer.

*fuer.contro.*quia de legitimatione per reſcriptum diſponit, quæ ſtricti iuris eſt, tanquam diſpenſatio contra ius *c. dilectio de conſang.& affin.*& generaliter ſcribit HIERON.LEO. *tom.1.deciſ.93.n.* 22. legitimatos per matrimonium eſſe agnatos : vnum præter caſum, in quo illegitimitatis nevus ſemper obſtat, videlicet ad officium eminentiſſimumCardinalatus;affirmat NICOL.DE VBALD. *in tract.de ſucceſſion. p.1.n.*89 dum in Rotâ ius diceret PAVLVM. II. dixiſſe illi, à labe illegitimitatis Cardinalium Cœlum immune eſſe : refert etiam AVGVSTIN.BARBOS.*in collect.Concil.Trident. ſeſſ.7.de reform.cap.*1.*n.*54.&laudat HENRIQVEZ,CAMPAN. SANTAREL.LVDOVIC.GOM. AZOR. & alios,licet ad dignitatem Epiſcopalem non impediat,idem BARBOS. *ibid.n.*3.

Supradictis non opponitur *Gloſſ. in c. cùm inhibitio. de clandeſtin. deſponſat.* quia poſt ſequutam legitimationem aboletur prioris temporis memoria,& quaſi novus homo fit matrimonio parentum filius ante naturalis, vt demanumiſſo ſervoConſultus ſcriptum reliquit *in l.ſervus* 27.§.1. D. *de adimend. legat.* omnibus igitur gaudet legitimorum prærogativis legitimatus filius tanta : eſt vis matrmonij,vt ex indignitate ad dignitatem evehat. Poteſt ſuccedere in Regnũ: in nobilitatẽ, & arma parentum.MANTIC. *de coniectur.vltim.volu.lib* 11.*tit.*12.*n.*4.TIRAQVEL.*de nobilit.c.*15. *n.*21.poteſt eſſe Epiſcopus ; ABBAS PANORM.*in d.c.tanta.* habet plenum ius agnationis *novell.*22.*circa finem.* ſuccedit in feuda ,ita plurimis citatis Dom.D.IOAN,DE SOLORZ.*lib.* 2.*de iur.Indiar.cap.*17.*n.*46.*tom.*2.& in commẽdis Indorũ, eruditiſſimus meus Doctor D.ANT.DE LEON,*in ſuo tractatu de confirmation.Reali.p* 1.*cap.*10 *n.*26.facit deficere conditionem , *ſi ſine liberis deceſſerit.* FVSSARIVS *de ſubſt. fideicom.p.*408.*&* 409.*per totam.* 286

Quæ hucvſque de filijs naturalibus dixerim, ad nepotes extendo, qui & perſubſequens matrimonium legitimi cenſentur avo:favor matrimonij id efflagitat,ſcopus eſt, & finis deciſionis ALEXAND.III. *in d.c.tanta*,& æquè nepotibus neceſſarius, vt loco patris ſucceſſores legitimi ſint. De 287

adoptione item ad legitimationem valet argumentum iuxta Gloss, singularem *l.2. § fin.* D. *ad municipal. l. cùm in adoptivis vers. & ideò sancimus. verbo tantummodò C. de adoption.* sed potest quis alium in nepotem adoptare, & si filium vel non habuerit, vel amiserit *l. adoptare* D. *de adoption.* ergò idem in legitimatione persubsequens matrimonium potuit ius constituere: cur ergò non constituit? Iuvat præterea *l. filium* D. *de gradib. & affinib.* cùm filius adoptivus alterius præmortui filij legitimi frater cēscatur: melior textus *in l. si me tibi 13.* D. *de capt. & postl. revers.* vbi emancipatus filius loco nepotis est arroganti. Nepos deindè in successione loco filij est, & eum repræsentat *§. cum filius instit. de hered. quæ ab intesta.* æquū ergò, vt nepos vestem filij quoad legitimationem induat, & sic avo succedat: repræsentatio enim antecedens necessarium est ad successionem *l. fin. C. de natural. liber.* extensione hâc crescit amor matrimonij, & favor. Non incongruè MOLIN. *de iust. & iur. tract. 2. disp. 172. in vers. dubium.* rationē potissimā assignat, quoniam, inquit, matrimonium subsequens ipso iure legitimat omnes descendētes: hinc ego interpretor *textū in c. innotuit 20. de elect.* vbi habetur, illegitimum posse in prælatùm postulari, non eligi, quia electio, ipso iure, legitimum requirit, postulatio verò dispensationem Pontificis connotat: videndi GABRIEL *in suis communib. conclus. lib. 6. tit. de legitima.* & IOANNES HONORIVS *in compendio iuris Canonic.* ad hunc titulum.

288 Nec lucem hanc obscurat textus *in l. qui libertinus §. posthumus* D. *de oper. libert.* quo probantur liberti, qui aliàs à promissione operarū per nativitatem filiorum licet liberentur, tamen si decesserint filij, relicto posthumo, qui post natus est, heredes non liberari, quia liberatio durare debuit, & incipere in personâ patris, & inhabilitas medij nocuit ad derivationem, & iuris effectum *l. 1. §. cæterum* D. *de acquir. possess. l. qui sella. § fin*, D. *de servit. rust. prædior. l. tria* D. *eodem titulo.* Nam respondetur diversam esse toto cœlo rationem decisionis Consulti *in d. l. libertinus.* & Pontificis in

nostris capitibus, Consultus de liberatione disputat quæ debuit in nepotem derivari, nec aliter potuit, quàm si à personâ patris inciperet, & in eo prius radicaretur, ideò cùm, mortuo patre, ante nativitatē posthumi, nihil sit quod derivetur, cessat liberatio. At in nostro casu matrimonij favor post mortē filij superest, quod meretur legitimationem ex vi sua, tam filijs, quā nepotibus, vt denotat Pontifex *in d. c. tanta.* ibi: *Tanta est vis*, ad similitudinem *c. tanta 7. de simon.* vbi ad significandam labem simoniæ eodem modo exorditur. Potuit ergò nepos, & post mortem patris legitimari avo; nec deficit habilitas medij, cùm consideretur in matrimonio retrò ficto ad tempus conceptionis filij, & licet filio iam non prosit, qui in rerum naturâ non est, prodest nepoti, qui in mundo invenitur: amisit patrē, sed habet favorem matrimonij, & possunt elegantissima verba PAPINIANI iuvare *in l. filius 42.* ibi. *ei, qui alio iure venit quàm eo, quod amisit; non nocet id quod perdidit, sed prodest quod habet* D. *de bon. libert.*

Sequitur vltima ratio ALEXAND. III. *in d. c. tanta.* ibi: 289 *præsertim si in mortem vxoris prioris alteruter eorum aliquid fuerit machinatus*, quæ quidem annotatio, quasi illatio est clausulæ antecedentis. Dixerat, spurium filium ab hereditate repellendum, nec legitimari per subsequens validum matrimonium, & statim infert; multò minùs per matrimonium nullum, quale est, cùm adulteri, vel alter eorum mortem coniugis machinatur *c. 1. c. super hoc. de eo qui dux. in matri. quam poluit per adulteri.* iuncto *c. 1. de convers. in fidel. c. si quis viuente 1. q. 1.* & argumento de minori ad maius vtitur ALEX. vt clariùs ex integrâ colligitur relatâ ab ANTONIO AVGVST. *in 1. collect. Decreta. lib. 4. tit. 18. c. 6.* vbi post vltima nostri textus verba, inveniuntur sequentia, *quoniam matrimonium legitimum inter se contrahere non potuerunt.*

Dices, & quidem non sine mentis acumine, invtilem, 290 & superfluam videri vltimam rationem ALEXANDRI in *d. c. tanta.* si in prima decisum etiam est, quæstionis secun-

dæ dubium, quis enim rectum dubitandi genus fatebitur, expressè iam statuto adhuc per matrimonium legitimè celebratum non legitimari spurium, inquirere, an saltim per matrimonium nullum legitimari possit? respondeo ALEXANDRVM directè de primâ quæstione non interrogari, sed de secūdâ, an scilicet filius spurius, ex adulterio natus per matrimoniū subsecutū inter adulteros, præcedente machinatione, legitimetur? cuius dubij occasione circa legitimationem generale præbet respōsum; & post, ne propositæ quæstionis argumentū sub tacitâ determinatione relinquat, addidisse illa verba: *Præsertim si in mortem vxoris, &c.* ac si recolligat, si non valet spurius legitimari valido subsequēti matrimonio, multò minùs nullo, & reprehensibili, quale illud est, cui machinatio coniugis præcessit: plura de hoc matrimonio MARC. ANTON. CVCCVS *Instit. canon. lib. 5. tit. 12. n. 77.* SYLVEST. *in Summa 2. tom. de impedim. matri. lib. 12. c. 14. n. 2. litera V.* Nec novum apud Consultos syllabarum etiam cultores propositæ quæstioni, resolutione alterius dubij, respondere, vt in *l. si tu ex parte 76. §. 1. vers. non dubito.* D. *de acquir. vel omitt. hered. l. à testatore 109.* D. *de condit. & demonst.* facit etiam, *c. non ne. de præsumpt. l. qui Romæ §. Agerius.* D. *de verb. oblig. l. ancillarum 27. §. vltim.* D. *de pet. here.* exemplis ostendit COSTA *in c. si pater 1. p. verb. instituit, n. 4. & seqq. de testam. in 6.*

891 Ex quibus iam securiùs infero, decidendi rationem ad hæc iura petendam esse à favore matrimononij, & honore illi à iure impenso, vt omni gaudeat prærogativâ *l. Caius 46.* D. *solut. matr. l. Titia 134.* D. *de verb. oblig. c. vltim. de re iudic. c. videtur, qui matrim. accus. c. lator 7. de re iudic. c. cum Apostolica 18 de sponsal. & matri. c. ex literis 4. de in integ. rest. c. 1. vt lite non contesta:* & intrat rationem hanc decidēdi finis ille, vt arceantur à peccato concubinarij, & alliciantur ad bonum spe legitimationis filiorum, argumento *c. inter cætera 24. q. 4. c. inter opera de sponsalib.* & odio habeant pellicatum, effusamque libidinem *Authent. quib. mod. natural. efficiant. legitim. coll. 7. c. 12. §. si verò,* & evidenter scanda-

la carnis. Legitimatio tamen hæc non eſt iuris naturalis conſtitutio,ſed humani,& civilis,& Eccleſiaſtici,vt præ alijs BASIL.*de Matrim.lib.*11.*c.*1.*n.*7.& COVAR.2.*p. de Matrim. cap.*8.§.2.*n.*21.& indè eſt,poſſe beneficium *d. c.tanta* contrariâ lege tolli ; illa ergo verba, *Tanta eſt vis matrimonij*, ſic interpretantur , vt indicent, non nativam efficacitatem matrimonij ad confirmandam originem;ſed eam quidem illi maximè convenire.

Subſiſtit hoc beneficium , etiamſi in articulo mortis matrimonium celebretur THOM.SANCH. *lib.*7. *de Matrim. diſp.*7.*à n.*4. ANT.GOM.*in l.*12.*Taur.n.* 57. per textum *in c.commiſſum.de ſponſalib.c.nuptiarum* 27.*q.*1. *l. ſed eſt quæſitum.*in principio.D.*de liber.& poſth.l.*1.*verſ.illud.*D.*de adoption.*ſicut & poteſt contrahi matrimonium ſpirituale, *c.ſicut tenor de regular.*à quo valet argumentum ad matrimonium carnale ALVAR.DE VELASC.*in Axiomat. litera A.n.* 478.vbi plura congeſſit,imò vincit non conſumatum *c. ex publico c.verum. de converſ.coniugat*, ſecùs , ſi conſumatum iam ſit , nam tunc denotat vnionem inſeparabilem iuxtà illud, *Quod ſemel aßumpſit, nunquam dimiſit* : & *Quos Deus coniunxit,homo non ſeparet. Matth.* 19. *Mar.*10. *Lucæ* 16. plura compilavit DIDAC. GARC. DE TRANSMIERA,*de Poligam.lib.*1.*q.*2.*à n.*16. 292

Nec obiicias, in mortis articulo conſtitutum ineptum eſſe ad actum coniugalem , & conſequenter inhabilem ad coniugium *c.*2.*de frig.& malefic.l.nuper. C. de natur. liber.* ibi:*Spem ſobolis tollendæ*; nam vt reſolvit BASIL. *vbi ſupra lib.*1.*& lib.*11 *c.*1.§.1.*n.*10.valet matrimonium ſine concubitu *c.ſufficiat.c.BeataMaria* 27.*q.*2.imò in controverſiam deducta eſt quæſtio, an matrimonium inter perpetuò impotentes ad caſtè vivendum, ſit validum ? quæ præcipua dubitandi ratio textus *in c. conſultationi. de frig. & malefic.*ibi:*Vt quas tanquam vxores habere non poßunt, habeant vt ſorores* iuncto AVGVST.BARBOS.*in Collect. ad dict. textum:*quæ verba,inquit,non negant vinculum matrimonij: allegat textum *in c.requiſiſti* 33.*q.*2.ibi:*Si nolet eam ha-* 293

bere

bere quasi sororem, retinaculum coniungij rescidendum est: similiter *epistolam* DIV. HIERONY. *ad Rusticum*. ibi. *Narravit mihi uxor quondam tua, nunc soror, atque conserva, quod iuxtà praeceptum Apostoli vos, ex consensu ab opere nuptiarum, ut vacaretis orationi.* Sunt in hâc quaestione duo varia excogitantes viri magni BASIL. PONC. *lib. 7. de Impedim. impot. cap. 56. n. 1.* & SANCHEZ *lib. 7. de Matrim. disp. 79* videndi omninò. Redeamus ad institutum nostrum; fortuitus itaque casus non trahitur in considerationem, neque spes sobolis ad matrimonium requiritur: vndè IVVENAL.

cùm tener uxorem ducat spado.

894 Nec alicuius momenti est argumentum ex *l. Titio cùm moriar.* D *de usufr. legat. l. heres meus. §. quamvis.* D. *de condit. & de monst. l. si pater mulieris.* D. *de iur. dotium. l. libertas* D. *de manum. testam.* nam aliud est, actum celebrari in articulo mortis, aliud executionem conferre in diē mortis; primus casus subsistit in iure, secundus invtilis habetur: discrimen invenio *in d. l. libertas.* vbi libertas, cùm Sthicus morietur, nullius roboris est; & *in l. vnic. C. de latin. libert. tollen.* quae probat datam morienti servo. *l. necessario. §. final.* D. *de peric. & comm. rei vind.* sic ratiocinatur SARMIENT. *lib. 1. selectar. cap. 7. n. 6.* & concludit ad matrimonium, aliter BASIL. *dict. cap. 11. § 1 n. 15.*

895 Veritatem huius primae partis tot fulcitam *Iuriscanonico* legalis rationibus non impediunt dubiola, quae indixere bellum, nam ad I. Respondetur, res facti licet pro infectis haberi natura non patiatur; vbi tamen subeit aequitas plerunque, quod factum est, non attendi, imò quasi non factum praesupponi censurâ legum iuxta Gloss. *in l. verum.* D. *de regul. iur l. interdum.* ibi. *Hic enim quantum ad totum ius pertinet, perindè habetur, atque si ingenuus natus esset.* D. *de natal. restit. Authent. quib. mod. natur effic. legit. §. filium verò.* ibi: *Facimus eum velut ex quadam machinatione cognatum. coll. 5. Auth. de trient. & semiss.* vndè licet filij nati ex concubinâ naturales in re tantum sint, tamen post contractum matrimonium, exigente aequitate, & favore, inducta fictio

est

est translatitia, quæ ius ipsum retrotrahit, nec novum, ea quæ sunt iuris positivi, à Papâ revocari vt ex tunc *cleme. 1. & ibi Goss. verbo pro infectis de immu. Eccles.* Princeps enim quo ad iuris effectus pro infectis facta considerat *l. iubemus nulli. §. 1. in fine. C. de sacros. Eccles l. non dubiū C. de legib. l. cū ea C. de transact. l. 1. C qui pro sua iurisd. l. creditori in fine C. de donat. inter. l. divo Marco C. qui manumitt. non poßunt. l. 1. §. sed à volentibus.* ibi: *pro non facto.* D. *de his quæ in testam. de lent. l. 1. & 2.* D. *unde vir, & vxo. l. qui restituere* D. *de rei vindic. c. 1. c. inter cætera. de sent. & re. iudic.* & hæc dicitur veritas quo ad effectum, non quo ad factum *l. 1. §. Scævola* D *si quis testam. liber eße iuß. fue.* BALD. *in c. contigit. n. 3. de restit. spoliat.*

Id verò quod deducitur ex vulgatâ regulâ iuris *quod ab initio non subsistit, tractu temporis nō convalescit*, procedit secundum veritatē, inspecto solo tractu temporis: at nos hîc secundum fictionem disputamus, quâ matrimonium retrò contractum á tempore conceptionis fingitur, non ergo solo temporis cursu legitimantur filij, sed contractu matrimonij: faciunt vltima verba REBARDI. *in titul. de regu. iur. ad l. 29.* ibi: *Nihil enim aliud sibi voluit hac regulâ Paulus, quàm contractum initio vitiosum, hoc est, contractum si nō iure saltim exceptionis auxilio traditionis tempore prorsus invalidum non poße tractu temporis alicuius privati hominis facto, aut approbatione, sine aliquo legitimi, vel prætorij iuris subsidio convalescere.* similiter HVBERTVS GIPHAN. *in comm. de regul. iur. lib. 1. c. 14. ad d. l. 29.* eam reddit rationem: quia temporis circūstantia non adeò est efficax, vt per se possit, vel actum validum infirmare, vel confirmare vitiosum. 296

Ad confirmationem primi huius dubij respōdeo post ANT FABR. *in iurisp. Papin. tit 9. prin. 2. illat. 1.* nihil in casu *l. 1. C. de captiv. & postl. reve.* inveniri, quod principijs possit legitimationis obviare fictionis, & vt penitùs constet, tres distinguo casus: vel filius susceptus, & natus apud hostes, reddit, redeunte vtroque parente, & tunc plenè gaudet postliminio, quia fingūtur parentes in civitate semper fuisse, nec 297

absuisse vnquam, & præcipuè pater in filio prædicto, iure civitatis, & patriæ potestatis potitur; quippè cùm liberorũ recuperatio patriæq; in eos potestatis tota iuris civilis sit vt benè ANT.FAB. *vbi supra princ.* 8. *illat* 8. *tit.* 11. Sed cùm regulares hos postlimini fictionis terminos egrederetur, quæ non cõprehendit, nisi captivos, qui priùs in civitate Romanâ fuerint, necessum fuit rescriptum Imperatoris ANTONINI, & SEVERI, quod extat *in l. apud hostes.* 9. D. *de capt. & postl. revers. & in l. divi* 25. D. *eodem titulo.* vel, decedente patre apud hostes, filius natus cum matre solâ redit: suspicor voluisse FABRVM *vbi supra prin.* 7. *titul.* 2. *illat.* 11. dici etiam tunc temporis legitimum, & potiri, ratione matris, postliminio. Hoc summè difficile redditur, tũ ex *d. l.* 1. *C. de captiv* cùm excipiat hunc casum Imperator ibi: *matris duntaxat conditionem, quæ se cum filiam duxit videtur necessariò secuta,* tum, ex *d. l. divi.* 25. ibi: *quod si cum matre solâ revertatur, quasi sine marito natus spurius habebitur:* quare existimo, hunc non esse legitimũ patri, neq; heredẽ, vt Glos. sentit *in d. l.* 1. *C. de captiv. & postl. rev.* sola enim matris cõditio non facit eum legitimum, neque suum patri, cùm nõ exerceat iura potestatis, quibus pater illum recuperat in primo casu: & sic interpretor *d. l. divi. & l.* 9. *D. cap. & postl. reve.* vt coincidant cũ hâc secundâ specie explicitâ *in d. l.* 1. sed intuitu matris quoad existimationẽ, & censuram iuris civilis, ac si legitimus esset, iudicandus est: nam præter æquitatẽ, quæ non patitur, matrẽ gaudere postliminio, filiũ autem illi dedecori esse, iuvat, & movet exemplum rescripti, de quo *in d. l. apud hostes.* 9. Civem item Romanum hunc filium appello, ex rescripto *l. in orbe Romano.* 17. D. *de stat. homi.* quoties enim talis essent conditionis homines, vt si ibi nascerentur, cives Romani fuissent, civitate Romanâ honorari, rescriptum statuit: didici ex ANT. FAB. *vbi supra. tit.* 9. *princ.* 11. *illat.* 4. sed filius hic si in civitate Romanâ nasceretur, nec iam pater captus esset, nec postliminium desideraremus: ergo rescripto iuvabitur *d. l. in orbe.* Verba autem *d. l. divi* 25. ibi: *spurius habebitur* interpretor iunctâ

clau-

clausulâ antecedēti. ibi: *quasi sine marito natus*, ac si diceret; non est spurius, sed quasi, quia sine marito natus: non dixit sine patre: habuit vtique, sed scrupulosâ iuris civilis ratione vtpotè servus, nec maritus, nec civis erat. Tertiam speciem fingo, quâ filius redeat cum solo patre: & non inficior, iuvari posse rescripto *d. l. apud hostes* 9. Quibus sic suppositis, rogo, quid contra fictionis regulas elicitur? & præcipuè cùm legitimatio non superstitiosis vtatur fictionum legibus, licet fictio sit retrotractiva.

Ad II. argumentum respondeo; ius canonicum legitimare filios per subsequens matrimonium, quin tacitè nec expressè approbet cōcubinatum, imò vt destruat, extinguatque, vtpotè iniustam viri, & mulieris societatē, adhuc apud ethnicos, si non prohibitam, sed licitam, non permissam tamen, neque honestam, *l. si qua illustris* 5. *C. ad Senat. consul. Orphit.* habuit circunstantias nimis matrimonio damnosas, cùm cœlibes homines, & peccaminosi existant, dum in concubinatu, & nuptiarum oblivione ab honesto coniugio separati. Puritatem nuptiæ exposcunt, & á nubentium thalamis venerem, & cupidinem elimināt, sic S. PAVLIN. cecinit *in epithalam. in Iulianum, & vxorem.* 298

Absit ab his thalamis vani lascivia vulgi:
Iuno, Cupido, Venus, nomina luxuriæ:
Sancta Sacerdotum venerando pignora pacto
Iunguntur: coeant pax, pudor, & pietas.

Nam, vt S. AMBROS. *lib. 1. de Abrah. Patriarch. cap. 7. Cognoscimus velut præsulem, custodemque coniugij esse* DEVM, *qui non patiatur alienum torum pollui.*: matrimonium ergo, interitus concubinæ, & libidinis.

Vxor ducenda est: hæc erit instar aquæ.

Adhuc, & inhonestus ille concubinarum vsus, vt miseram libidinis, fætidamque conditionem dissimularet, matrimonij aliquibus circunstantijs abutebatur: lex enim illa cæca, & infidelis vnicam poposcit tanquam vxorem, licet non vxorem, in domo retinere fæminam, ad quam indubitatus esset affectus, non ad tempus, sed ad vitam *Authent. de trient. & semiss.* 299

semiß.§,consideremus.ibi: *Donec vivit.colla.* 3. cum quâ non stuprum committeretur *l.* 1. D. *de concubin.l.in tabulis.§.quoniam* D. *de his quib.vt indign.l.fin.* D. *de divort.* vterque debuit solutus haberi *l.vnica. C.de concubi.l.fin. C.commun. de manum.* quòd si mulier ingenua sit vilis, si aut corpore quæstum fecerit *l.3* D. *de concub.* prosequitur latissimè PALEOT. *de noth. & spur.c.*12. non fuit nisi in dignitate tunc differentia inter concubinam, & vxorem *l.item legato* 47.§. *parvi refert.* D. *de leg.*3. ideò IACOB. CVIAC. *in paratitla, ad titul.de concubi.* concubinatum vitæ societatem demonstrare quamdam prædicit, absque ritu tamen susceptam, & inhonestè, sive libertinam, ingenuam, sive ancillam, iuxtà illã MARTIALIS divisionem, seu classem *lib.*5.

Ingenuam malo: sed si tamen illa negetur,
Libertina mihi proxima conditio est:
Extremo est ancilla loco.

ergo cùm adhuc in turpi illo antiquorum Iurisconsultorũ sæclo, imago matrimonij falsa effusam libidinem extinxerit, rectiùs iure canonico, vt exularet vtriusque & inhonestæ, & illicitæ voluptatis genus, & aboleretur vsus cõcubinarum, legitimatio admissa est per subsequens matrimonium: de his concubinis intelligenda sunt iura *in c. si quis.c. maritum.c.laici.*43.*dist.c.in omnibus.c.is qui.*34. *dist.* quæ ad materiam bigamiæ spectant: videndus TVRRECREM. *in d.c.is qui. & in c.Christiano.*34. *dist.* PETR. GREGOR. *syntagmat. iur.lib.*10.*c.*1.*n.*16.

300 Concubinæ tamen nomen vxoribus aliquando convenisse, inveniemus: dummodo concubinas matrimonio coniunctas intelligamus; veræ erant vxores, iustis sed quia & solennibus subiiciebantur quo ad dispensationem familiæ, dicebantur concubinæ: sic *Genes.*16.25.30. quarum filijs nõ debebatur hereditas, nec Sacerdotium, nec primogenitura, sed munera tantùm recipiebãt *Genes.*25. ibi: *Filijs autẽ concubinarum largitus est munera*, docet ex LIPOMAN. COVAR. pluribus adductis, in 4.*p.*1.*c.*4. & ad interpretationem textuum in *c.is qui non habet.c.Christiano* 34. *dist.c.aliter* 30. q.

5.c.

5. c. nemo 32 dist. c. concubina 32. q. 2. c. audite 34. dist. videndi TVRRIAN. pro *Canon. Apostol. lib. 1. c. 13.* BELLARMIN, *tom. 2. contr. lib. 2. c. 8. vers. 11* nec turbet, plures videre differentias inter vxores, & concubinas, quas referunt. *l. vxor. 13. §. si quis vxorem.* D. *ad leg. Iul. de adulter. l. castitati. C. eodem titu. l. stuprum. 41.* D. *de ritu nuptiar. l. sancimus. 27. C. de nupt. l. 4. C. de crim. expila. heret. l. 1. cum l. si prædia. 59.* D. *de donat. inter l. donationes 32.* D. *de donat. l. 1. l. si concubina.* D. *rer. amot. l. exigere. 56.* D. *de iudic. cum l. de iure. 37.* D. *ad municip. l. si quis officium.* D. *de rit. nupt. l. fin.* D. *de concub.* fuerunt enim hæc discrimina circa solennitates: nec tollit, olim etiam alias fuisse apud Iurisconsultos concubinas licitas, alias temporales prorsus illicitas.

Ad III. argumentum respondeo, instrumenta dotalia, & consensum legitimati in legitimationibus iuris civilis antiqui ZENONIS, & ANASTASI omninò requiri, vndè CVIA. *in novell. 12. Dos* inquit, *concubinatus abolitio, & nuptiarum argumentum est*: sed iure canonico solus contrahentium cõsensus legitimus in facie Ecclesiæ spectatur, & cùm standũ omninò sit iuri canonico in hâc materiâ *c. fin. c. pen. de secũd. nupt.* FVSSAR. *de substitu. fideicommiss. q. 409. n. 57.* propter matrimonium, vnum ex septem Ecclesiæ sacramentis *Cõcil. Trid. sess. 24. de matr. can. 11. c. debitum. de bigam. c. ad abolendam. de hæretic.* legitimationem sine instrumentis dotalibus non solùm prodesse quo ad ordines, & beneficia, verùm, & successiones, & dignitates civiles, tenent MANTIC. *de coniectur. lib. 11 tit. 12. n. 7.* PEREGRIN. *de fideicomm. art. 24. n. 56.* GAIL *observ. c. 141.* BASIL. PONC. *lib. 11. de matr. iuncto* COVARR. *vbi supra d. c. 8. §. 8.* in principio, vel quia singulare hoc est huius legitimationis, vel quia ius civile nostrum ancillatur iuri canonico, vt voluit DOMI. D. IOAN. BAPT. DE LA REA *in decis. Granat. 101. disp. 8. n. 36.* Plures solent hîc agitari quæstiones: videndi sunt, GVTIERR. *lib. 2. practic. q. 140.* PEREGRI. *de fideicommiss. art. 24. à n. 49* MOLIN. *de Hispan. primogen. lib. 2. c. 21. n. 23.* CASTILLO, *quotidiann. iur. lib. 5. c. 105. per totum.* MENOCH. *cons. 16.* 301

PARS


PARS II.

ET

GLOSSA BREVIS

AD

Cap. cum inter ii. cap. Perlatum viij. cap. Quod nobis ix. Cap. referente x. cap. Pervenit xi. cap. Ex tenore xiv. Hoc titulo, qui filij ſint legitim.

302 

Vius ſecundæ partis diſceptatio, *quaſi appendix* & inſatio eſt, ad primam huius tituli quæ præceſſit: ſtatim ergo pro omnibus ſupradictis iuribus *ſpecies* ſic fingitur.

303 Bonâ fide, in facie Eccleſiæ, latente ſemper impedimẽto, tradita eſt viro mulier per contractum matrimonij, quæ re verâ eſſe non debuit vxor, *d.c. cum inter* 2. coniugatus homo. V. C. legitimè ſi vivente primâ, ſecundam duxerit ignorantem, & inſciam adulterij *d.c. ex tenore* 14. Prolem ſuſcipere contingit *d.c. per latum* 8. ſive, de clandeſtino matrimonio poſt modũ ab Eccleſiâ comprobato, generati ſunt filij *d. c. quod nobis*. Detecto iam impedimenti vitio, reſcinditur contractus, ſeparantur putativi coniuges, ſoluto vinculo matrimonij, *d. c. referente* 10. Quæſtio nunc eſt, an prædicti filij ex tali matrimonio ſuſcepti legitimi habeantur.

Con-

Conclusio interveniente simul vel vtriusque contrahentis vel vnius dumtaxat, bonâ fide, & in facie Ecclesiæ matrimonio celebrato, legitimi sunt filij tunc suscepti, & si parentes, cognito impedimento, desinant esse vir & vxor. 304

Favent expressè præter dicta iura. BALD. *in l. qui contra* 4. *C. de incest. nupt.* IASS. *in l. fin.* D. *de condict. sine caus. & in l ex facto colu.* 5. D. *de vulgar.* HOSTIENS. ABBAS, & HENRI. BOICH. *in c. cum inhibitio de clandestin. despons.* DECIVS, CVRT. IVNIOR, RIPA, DVEÑAS, CEPHAL. ROLAND. MENOCHIVS, & PARISIVS relati à PEREGRIN. *de Fideicommiss. articul.* 24, *n.* 66. COVAR. *de Sponsalib.* 2. *p. c.* 8. §. 1. *n.* 2. *&* §. 2. *n.* 16. COSTA *in c si pater* 1. *p. verb. vxor, n.* 2 *de testament in* 6. THOM. SANCH. *lib.* 3. *de Matrim. disp.* 42. *n.* 2. GVTIERREZ *de Matrimon. cap.* 71. BASIL. LEGIONENS. *lib.* 11. *de Matrimon. c.* 7. *&* 8. SARMIENTO *lib.* 1. *Selectar. cap.* 6. FACHIN. *lib.* 3. *Controvers. cap.* 61. CARDINAL. PALEOT. *de Noth. & spur. c.* 24. *per totum.* MOLIN. *de Hispanor primog. lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 12. *&* 15. ALEX. TRENTACINQ. *de Substit. p.* 4. *c.* 7. *n.* 56. FVSSARIVS *de Substit. fideicom. q* 409. *à n.* 66. sed rationem dubitandi sequentia constituunt. 305

I. cùm quis dat operam rei illicitæ, opinio vel error non excusat, veritas potior est, vt condemnet *l. eum qui innocentem.* §. *si iniuria.* D. *de iniur. c. contineatur. c. tua de homicidio.* confirmatur *ex c. inebriaverunt* 15. *q.* 1. *inebriaverũt* (inquit AVGVSTIN.) *Loth filiæ eius, & se nescienti miscuerũt, qua propter culpandus est quidem, non tamen quantum ille incestus, sed quantum illa meretur ebrietas.* In opere enim illicito qui periculum invenit, quærit, & solesismum in faciendo committit, vt dicebat DIV. HIERON. *contra Helvid.* ibi: *Apud Christianos solesismus est magnus, turpe quid vel narrare, vel facere,* observat caliginem, qui reus incipit, ergo si fæmina nubat viro coniugato, vel econtra, nec prodesse bona fides potest, nec filios suscipere legitimos, vtpotè quæ dedit operam rei illicitæ. 306

II. expressus obstat conclusioni textus *in c. cum inhibitio* 3. §. *si quis. de clandestin. desponsat.* ibi. *Soboles, de tali coniun-* 307

ctione

ctione suscepta prorsus illegitima censeatur de parentum ignorantiâ nullum habitura subsidium, &c. iuncta *l. 1. C. de interdict. matrim.* quæ non permittit matrimonium aliàs prohibitum circumveniri rusticitatis, & imperitiæ velamentis, ergo bona fides non parit filios legitimos, qui ex vero matrimonio non sunt.

308 III. expendo textum *in l. 3. C. solut. matri.* vbi qui nascitur ex homine libero, & ancillâ, quæ putabatur libera, filius spurius dicitur, ergo vt legitimi sint filij, bona fides parentum veritati non præiudicat.

309 IV. demus bonam fidem ex parte matris, patrem verò esse conscium impedimenti, ergo filius erit, non solùm legitimus matri, sed etiam patri, & in eius potestate. Tunc sic: patria potestas inducta est in favorem patris *l. vnic. C. de ingrat. liber. l. cum oportet. C. de bon. quæ liber. l. 2. C. si advers. rem iudicat. l. si viva. C. de bon. mater. l. vtrum turpem.* D. *de verb. oblig. l. quod & lex. §. si eum quis.* D. *de liber. homin. exhiben. l. iubemus, & l. fin. C. de emancip. liber. l. 1.* in princip. D. *si à parent. quis fuer. manum. l. emancipatis. C. de legitim. hered. l. fin. C. de sent. pass.* iuncto Tiraqvel. *in l. si vnquam. C. de revoc. donat. verb. donatione largitus n.* 146. & Doctore Ari. Pinel. *in Rubric. C. de bon. mater 2. p. & in l. 1. eiusdem titul. n. 3.* sed nemini dolus patrocinatur *c. 1. de eo qui duxit in matrimon. quam polluit per adulteri.* Ergo vel filius erit legitimus & non in patriâ potestate: vel fructus matrimonij colliget malæ fidei possessor, contradicente iure, in *c. gravis. de restit. spoliator.* rursus, cùm filium partim esse legitimum, & partim illegitimum, non minùs possibile sit quã dividi honoris causam, & fictionem individuam; facilius, imò vtilius est, dicere natos ex matrimonio putativo legitimos non esse matri, ne sint & patri: exemplo bonorũ possessionis secundum tabulas, quæ si filio emancipato præterito adæquari non valet, denegatur etiam instituto filio in potestate, & scripto heredi *l. non putavit* 8. *§. si exheredatus.* D. *de bonor. posse contr. tabul. l. 1. §. is quoq.* D. *de collat.*

310 Hæc & alia, vt penitùs extinguantur dubia, & veritatem

munita præsidio conclusio duret: ponendum est, bonam fidem, saltim vnius ex coniugibus omninò requiri: *ex tenore* 14. *hoc titul. c cum in Apostolica de sponsal.* ibi: *Aliam facti nesciam. c. 1. de eo qui duxit in matrim.* ibi: *Inscium l. 5. tit. 9. p. 4.* PVTEVS *decis. 77. n. 4 & decis. 118. n. 4. lib. 2.* nec ignorantiam iuris, vel facti nocere, vt observat MAIOLVS *de Irregular lib. 1. c. 5.* ZAIR. *lib. 6. de Irregul c. 10.* AVILA 7. *p. de Censuris disp. 3. dub. 6.* in princip. dummodò non sit affectator ignorantiæ, quales habentur, qui clandestinè, & non præmissis denuntiationibus cõtrahunt *l. 3. tit. 3. p. 4.* ZEVALLOS *in Pract. q. 697. n. 4.* & SANCHEZ *lib. 3. de Matrim. disp. 42. d n. 1.* vndè cum BASILIO *d. lib. 11. cap. 8. num. 3.* paulatim colligo, illegitimos esse filios, si bona fides desideratur, & si in facie Ecclesiæ matrimonium celebretur, vel si bona fides adsit, deficiat tamen solennitas Ecclesiæ à Concilio Tridentino præscripta: vtrumque ergò copulativè exposcit legitimatio.

Nec contrarius est textus *in c. referente 10. hoc titulo:* 311
ibi: *Ac per hoc cùm filij, nec per Ecclesiæ permissionem, nec per paternam ignorantiam excusentur, ad successionem bonorum paternorum non videntur aliquatenus admittendi,* quasi voluerit CELESTINVS III. vel bonam fidem, vel permissionẽ Ecclesiæ sufficere disiunctivè; nam facilis solutio dubium sanat; si vertimur ad prima verba, quibus statim apparet, Pontificem à sufficienti partium enumeratione in clausulâ prædictâ procedere, quin neget superiorem doctrinam.

Difficilior sequitur textus *in c. gaudemus fin. hoc titulo,* 312
vbi INNOCENTIVS III. prolem de infidelium coniunctionibus natam, qui secundo, tertio, vel vlteriore gradu, matrimoniali contraxerunt affectu, post Fidem receptam legitimam reputari, ergò nõ requiritur bona fides ad hanc legitimationem filiorum, vel matrimonium in facie Ecclesiæ non exigitur. Sed vt luce donetur hæc dubitatio, sciendum est, inter infideles dari sacramentum coniugij, vt vtar verbis INNOCENTI. III. *in c. gaudemus 8. de divort.* non quia verum sit sacramẽtum, vt inter fideles, sed vel appositivè di-

ctum, quasi diceret, matrimonium quod inter fideles est Sacramentum, vel quia matrimonium infidelium aptitudinem habet ad eam significationem respectu temporis cõversionis, vt explicat BASIL. *vbi supra, lib.* 1. *c.* 11. *n.* 13 nisi mavis cum SANCH. *lib.* 2. *disp.* 8. appellare infidelium hoc coniugiũ, largè & impropriè Sacramentũ, in quantũ aliquo modo designat vnionem CHRISTI cum Ecclesiâ, licet impropriè, quia fide carent, & ianuâ Baptismi: dissentit tamen BASIL. *vbi supra, c* 6. *n.* 6. quem noviter impugnat PEREZ. *de Matrim. disp.* 19. *sect.* 4. *n.* 4. affirmans in omni matrimonio, sivè sit fidelium, sivè infidelium, esse actualem repræsentationem, & significationem, vel charitatis DEI cum animâ, & coniunctionis CHRISTI cum Ecclesiâ per charitatẽ: videndus; plura enim & subtiliter, & in defensionẽ suæ sententiæ deducit: verumtamẽ post Fidem receptã indissolubile remanet matrimonium antea contractũ, vt expressè resolvit Pontifex *in c. de infidelibus* 3. *de cõsanguin. & affinit.* infideles enim fideles facti non denuò contrahunt, sed in legitimo matrimonio priùs inito perseverant. Elegantissimis verbis disputatio hæc resolvitur *in c. deindè* 26. *dist. & in c. numquid* 28, *q.* 1. in quâ re vidẽdi NAVAR. *lib.* 1. *consi. tit.* 35 *de pact. cons.* 4. *in fine.* SANCHEZ *de Matrim. lib.* 2. *disp.* 9. *per totam.* BASIL. *vbi supra, lib.* 1. *c.* 6. *& seq.* PEREZ *de Matrim. disp.* 19. *sect.* 11. *n.* 7. qui benè distinguit, fuisse hoc matrimonium infidelium ante conversionem legitimum, ratum post Fidem receptam, & copulâ consumatum: *& disp.* 36. *sect.* 3. per textum *in d. c. gaudemus* 8. *& c. quanto de divort:* & illud PAVL. 1 *Corinth.* 7. ibi: *Non dimittat illam.* Præterea, licèt impedimentum iure naturæ dirimens adhuc infidelium matrimonium impediat, *c. gaudemus. de divort.* non tamen, quod iure Ecclesiastico introductum est; nam de his, qui foris sunt quid ad nos? *d. c. gaudemus.* communiter supra citati, & post omnes videndus IOAN. ÆGID. TRVLENCH. *de Sacrament. lib.* 7. *c.* 9. *dub.* 10. *n.* 1.

313 Ex quibus iam luce clarior resurgit d. c. *gaudemus finalis* decisio & resolutio; nã saltim in illo infidelitatis statu sunt

pro-

prohibitione contractus celebratus est, & post Fidem receptam matrimonium ratum extitit *c. quantò. de divortijs.* ergò vtrumque copulativè invenitur. Dein, publica vtilitas exigit infidelium prolis legitimationem post Fidem receptam, ne à bono tali propter filiorum illegitimitatem, & indignitatem arcerentur. Manet etiam, Sacramentum illud coniugij, quod vocat INNOCENT. *in d. c. gaudemus* 8. non esse verum Sacramentum, cùm non sit matrimonium illud infidelium ratum, sed legitimum dumtaxat, id est, contractus consensu perfectus. Nec obest textus *in c. veniens 3. de presbyt. non baptizat.* ibi: *Quoniam & Sacramentum coniugij, & Eucharistiæ à non baptizatis recipi potest*: nam vt observat doctè & argutè BASIL. *vbi supra, lib. 1 c. 6. n. 5.* prædicta verba non definitivè adducta sunt ab INNOCENTIO III. sed pro parte dubitabili quæstionis propositæ.

Bona ergò fides in matrimonio putativo, neque litispendentiâ, neque sententiâ intra decendium, aut appellatione interpositâ, læditur, quominùs filij legitimi nascantur: ità ABBAS *in c. cùm inter, n. 4.* MAIOLVS, ZABARELA, ZAIRVS, HVGOLIN. & alij, quos cumulat BASIL. *lib. 11. c. 8. n. 5.* COVAR. *2. p. de Sponsalib. c. 8. §. 2. n. 7.* CASTROPALLAVS *p. 2. disp. 4. §. 1. à n. 7.* rationem huius dispositionis congruam non omnes inveniunt; ego mutuandam duco ex favore ipsius matrimonij, quod neque per litem motam, neque per sententiam vnquam retractatur *cap. lator. de sent. & re iudic.* cùm igitur, adhuc post iudicium inceptum, vel perfectum, possit in re esse verum prædictum matrimonium, & nunquam deficere bona fides, vbi occasio est ad violentam etiam præsumptionem in favorem filiorum, non ad aliud eundum est, *c. veniens 3. in fine de Cleric. non baptizat.* 314

Hinc interpretor textum *l. sed & si lege 5. si ante legem. D. de petit. hæredit.* quâ communiter resolvitur post litis côtestationem, reum in malâ fide constitui, nam in præsenti disceptatione, cùm filij petendi non sint vt fructus ex re aliena percepti, sed id solùm curari, vt separetur matrimo- 315

nium

nium propter impedimentum dirimens, & adhuc sententia non omninò detegat in re matrimoniali veritatem, cùm non transeat in rem iudicatam, meritò litis contestatio non eundem operatur effectum, ac in rei vindicatione: de quâ textus *in d. l. sed & si lege.* vbi possessor vnà cum ipsa re petitâ fructus restituit.

316 Extant in iure civili expressa vestigia huius favoris, & ratione matrimonij, & filiorum *in l. filium eum 6.* ibi: *Qui ex viro & vxore eius nascitur.* D. *de his qui sunt sui vel alien. iur.* nisi enim constet, abfuisse maritum per decennium, vel talis esse infirmitatis, vt generare non possit, proles legitima dicitur, & matrimonio filius susceptus, non ex adulterio, nisi spado evidentissimè cognosceretur, qui olim, non sibi, sed alijs ducebat vxorem. Huc spectat MARTIAL. dum agens gratias DOMITIANO, inquit:

Nec spado iam, nec mœchus erit, te præside, quisquam:
At priùs, ò mores! & spado mœchus erat.

Quem adhuc videre ominosum quid erat, inquit LVCIAN Pseudologista, sive *de die atro.* ibi: *Et si quis spadonem aut eunuchum adspexerit, aut simiam quoquè, egressus domo statim convertit pedem, & regreditur, ominans sibi, haud quaquã prosperas dici illius res, atque actiones fore præ malo hoc primo, & inauspicato omine.*

317 Si mater accusetur adultera, id non præiudicat filijs. *l. miles 11. §. defuncto, & §. quæ propter.* D. *ad leg. Iul. de adulterijs,* notavit ALCIAT. *lib. 3. præsumpt. 7.* motus ratione textus *in l. quia semper 5.* ibi: *Pater verò is est, quem nuptiæ demonstrant.* D. *de in ius vocand. l. in libera 24.* D. *de rit. nupt.* Hinc descendit decisio *l. Imperatores 29. §. mulier.* D. *de probat.* quod si mater, absente marito, filium susceptum fateatur spurium, illi non noceat *l. ait prætor 3. §. penu.* D. *de in iur.* tanta est vis matrimonij, vt semel celebrato bonâ fide, & in facie Ecclesiæ, non facilè filios non esse legitimos, iudicetur, etiamsi pater neget.

318 Hinc interpretor reconditum textum in *l. si cui. 1. §. idem ait.* D. *de Carbonian. edict.* vbi VLPIAN. bonorum possessionem

nem cōcedit filio eo elogio à patre exheredato, quod ex adulterio conciperetur, cùm tamen[1], si sine elogio exheres scriptus esset, non haberet bonorum possessionem: cur tam varie? quia videlicet, pater, vt filium exheredet, potestatem habet *princip. instit. de exheredat. liber. l. inter cætera* 30. D. *de liber. & posth.* at vt filium neget, natura non patitur, neq; matrimonium. LVCIANVS translatus per IACOB. MISSILVM *pag.* 369. eleganter ait, *semel genuisti, semel educasti: probis semel iterum abdicare potes, atque ita potes, si istud meritò facere videaris: verùm, vt hoc fiat sine fine, vt perpetuò, vt frequēter, vt facilè, id verò supra patris ius est.* Videndus licet ad alium finem circa hanc legem D. MARTIN. DE LA REATIGVI *Selectar. iur. lib.* 7. *c.* 7. *per totum.* Favorabilis est semper filiorum causa: rectè idē VLPIAN. *in l. carbonianum.* 3. §. *causæ cognitio:* *Si vero*, inquit, *ambiguam causam, hoc est, vel modicum, pro puero facientem, vt non videatur evidenter filius non esse, dabit ei Carbonianam bonorum possessionem:* nec apud antiquos nuptiæ celebratæ, nisi vt filios susciperēt. Quid ni, & filios semper inter coniugatos legitimos appellamus? fortè olim cū sexagenariis prohibitum matrimoniū, *l. sancimus. C. de nupt.* seu impares nuptiæ *l. si maior.* 12. *in fine C. de legit. hered.* quo respexit SENEC. apud LACTANTIVM *lib.* 1. *de fals. Relig. c.* 16. ibi. *Vtrum sexagenarius factus est, & illi lex Papia fibulam imposuit?* ne cogerentur, & filium coniugati statim nō legitimum agnoscere, si vir sexagenarius, mulier minor inveniātur *l. pater familias* 15. §. *in arrogationibus.* D. *de adoptio.* cui addendus CVIAC. *lib.* 6. *obseru. c.* 20. videndi BRISON. *de iur. connub. pag.* 32. CALDAS *de potest. eligen. c.* 4. *n.* 6. MENOCH. *de præsumpt. præsumt.* 56. *n.* 57. SANCHEZ, *lib.* 7. *disp.* 32. *n.* 16. quod in concubinâ impedimento nunquam fuit *l.* 1. §. *vlt.* D *de concubin.* notat ad remCVIAC. *lib.* 33. *Pauli ad edict. in l. si sterilis.* 21. D. *de action. empt.* CONNANVS. *lib.* 8. *comm. c.* 13. *n.* 1. MENDOZA, *de Concil. illiberitan. lib.* 2. *c.* 8. BASIL. *lib.* 5. *de matrim. c.* 54. non enim sperantur ex concubinatu filij. Vndè elegantissimè DIV. AVGVST *lib.* 4. *cōfess. c.* 2. *Experirer exēplo meo, quātum distaret inter coniugalis placiti modum, quod*

fa-

fœderatum esset, generandi gratiâ, & pactum libidinosi amoris, vbi proles contra votum nascitur, quamvis ea nata cogat se diligi. Adeò fuit in honore matrimonium, vt nec ducere licuerit lenâ, à lenoné ve manumissam, in adulterio deprahensam, & iudicio publico damnatam VLPIAN. *in fragm. tit.*13. *§.vltim.* huc respexit MARCIAL. *in l.observandum.*49. D. *de rit.nupt.* & PAVL. *in l.lege.*44. *§.vltim.* D. *de rit.nupt.l. palam.*43. *§.lenas.* D. *eodem tit.* iunctâ *l.*4. *§.ait. prætor.* D. *de his qui.not.infam.*

319 Illustranda indè venit celebris illa quæstio, quam tangit ANT·GOM. *in l.*12. *Tauri.* per textum *in l.*9. *tit.*14. *p.*3. an in foro conscientiæ possit quis retinere Regnum, vel maioratum, aut hereditatem patris, si mater filium suum adulterinum dicat? resolvitur enim in favorem filij. Solet item cõtroverti, quid circa filios expositos, an legitimi, & ex matrimonio, an spurij, vel naturales præsumantur? Gravissimi authores negant illis legitimitatem, eo ducti argumento, quòd nemo filium legitimum exponat; contraria opinio verior, quam defendit BASIL. *d.lib.* 11. *c.* 9 *per textum in c. accedens. de purgat.canon.* addo ego expressum textum *in c.* 1. *de infantib.exposit.* cùm ius patriæ potestatis pater amittat in filium expositum, ergo præter spurios, quos metus matrum exponit, legitimi etiam exponuntur. Aurea sunt verba PALEOTI in comprobationem *c.*6. *n.*4. ibi: *Nos ipso vsu quotidiè experimur, multos quãdoque rei familiaris inopiâ cum se victui necessaria videant liberis suppeditare non posse, solere illos exponere*: tangit ex professo hanc quæstionẽ MARCHINVS *de Sacram.ord.trac.*1. *par.*10. *difficultat.* 1. sed oculos avertit à textu expresso *in d.c.*1. *de infant. expos.* videndi etiam DIANA *Moral.resol p.*1. *tract.*15. *resul.* 22. & alij, quos laudat idem MARCHIN.

320 Non insolens in iure, bonæ fidei rationem habendam quoad effectus matrimonij, etiam ex parte vnius solius cõiugis, insignis enim extat locus MARCIANI *in l. à divo Pio* 58. D. *de ritu nuptiar.* vbi si libertina quasi ingenua Senatorem deceperit, & ei nupta sit, ad exemplum Prætoris edi-

cti

cti dandam in eam actionem, decernit. Vt percipiamus illationem ad materiam nostram, præscire oportet, Senatoribus olim prohibitas nuptias cum libertinis, ne pollueretur Senatorius nobilissimus sanguis servorum reliquijs *l. lege.* 44. *l. lege.* 23. D. *de rit. nupt. l. si libertam.* 28. *C. de nupt.* testantur DIO *lib.* 54. *&* 55. ZONARAZ *lib* 2. *annal. l.* 1. D. *de collusf. detege.* videndi TIRAQVEL. *in lege connubiali* 5. *n.* 16. *&* 17. CAROL. SIGON. *lib.* 1. *de antiq. iur. civi. Rom. c.* 9. BRISON. *de iure connubior. p.* 7. ANT. FAB. *in iurispr. tit.* 9. *pri.* 6. *illat.* 13. ideòque si nuberet Senatori libertina, iniustū erat matrimoniū, nihilq; matrimonij nomine capere posset. *l. unica* D. *unde vir, & uxor.* sed si Senator deciperetur à libertinâ; prodest illi bona fides. *d. l. à divo Pio.* 58. D. *de rit. nupt. l.* 4. *in fin. C. de incest. nupt.* ergo similiter in præsenti bona fides vnius prodest, ne filium pariat illegitimum.

Ponendum II. est (vt progrediamur) quæ competunt vero matrimonio, & putativo cōpetere, interim dum subsistit bonâ fide *l.* 3. *tit.* 3. *l.* 1. *tit.* 13. *p.* 4. *l.* 12. *Tauri.* in finalibus verbis ABBAS. *in c. veniens. de sponsal. notabil.* 5. 321

Obiicies textum *in l. si uxor.* 13. §. *sed si ea sit mulier.* D. *ad leg. Iul. de adulter.* quæ prohibet vxorem putativam accusari de adulterio, iure mariti. Vt satisfaciam, à fonte id breviter repeto; posse inquam quondam maritum cum prælatione accusare vxorem iure mariti, vt habetur *in l.* 2. §. *si simul. l. si maritus* 4. D. *ad leg. Iul. de adulter.* cuius prælationis fit mentio *in c. maritis.* 4. *de adulter.* ibi. *Et ipsi plus cæteris de adulterio accusare possunt*; & occidere adulterum *l. marito.* 24. D. *eodem tit.* cui annectendus CVIAC. *lib.* 6. *observ. c.* 15. *&* 16. & BRISON. *select. iur. civil.* passim. Potuit etiā intra 60. dies iure extranei *d. l. si maritus.* 4. §. *extraneis.* Vndè evenit *in d.* §. *sed si ea sit mulier*, licet non iure mariti, potuisse iure extranei accusari putativam vxorē *d. l. si uxor.* 13. in principio: apud Iurisconsultos enim, vbi verū non apparuit matrimonium, sæpius cessant effectus, vt videre est *in l.* 3. §. *videamus.* D. *de donat. inter. l. si concubina.* D. *action. rer. amotar.* vel non incongruè affirmabo accusationem adul-

dulterij legitimitati prolis nō obesse,nec nos bonam fidem amplectimur, vt perpetuò subsistat matrimonium,sed solo prolis intuitu legitimandæ *c.ex tenore.*ibi. *In favorem prolis potiùs declinamus,memoratum.* ℞. *legitimum reputantes*; at in *d.l.si vxor* nulla est filiorum quæstio.

323 . Nec auget dubium *d.l si vxor.* *§.planè* vbi iniusta vxor accusatur de adulterio ; non enim loquitur de vxore putativâ,vt Gloss· voluerat , sed de iniustâ,quæ vera fuit vxor, & si nō solennis,vtpotè non accepta,àquâ & igni,vt loquiturCviac.*lib.6.observat.c.16.*& verba ipsius legis veram vxorem connotant, dum adducitur illud Homeri 9. *illiad. vers.340.&* 341.

Non soli amant vxores diversivocorum hominum. Atridæ.

Quasi diceretConsultus,non solùm viri vxores iustas,& solennes,sed iniustas,quæ sine nuptijs erāt,diligunt. Sed circa adulteriū vxoris putativæ,iure nostro Regio idē,ac in verâ vxore statuit *l 81.Tauri* iuncto.lAnt. Gom.*n.*48. quæ vna lex & *d.l si vxor*,emendat,quæ iure mariti prohibuit,accusari putativam vxorem *& l.Gracbus.C.ad leg.Iul.de adult.* quæ adulterum dumtaxat occidere permisit. Placet tamē, vtpotè disceptationi huic nostræ congruentior differentia Antoni Gomez *d.n.*48. distinguentis casum à casu,vel enim dissolvitur matrimonium propter defectum consensus:& cessat adulterij pœna : vel propter aliud impedimētum,& tunc lex Tauri omnino exequenda venit.Rationem discriminis eam esse existimo,quòd delictum adulterij cōsumatur , & perficitur ex violatione matrimonij, saltim in mente, & acceptione adulteræ,& cùm,deficiente consensu, in existimatione peccantis non lædatur matrimonij honor,cessat adulterij pœna. At,in secundo casu, quantùm in se fuit,adultera dicitur mulier: luat ergò pœnas violati cōiugij,etiam si,detecto impedimento,desinat vxor esse.

324 . Restat textus *in c.1.de eo qui duxit in matr. quam polluit. per adult.* quod probare videtur,matrimonium bona fide contractum saltim,respectu illius, qui malā fidem habuit

buit omninò esse inseparabile in specie dicti capitis; sed absit, vt bonam fidem in matrimonio putativo ad perpetuitatem coniugij cōsideremus, cùm, detecto impedimento, *in d. c. 1.* debeat necessariò manere vnius ille vxoris vir, *c. vnius. 26. distinc.* non ergò dubitatio ibi de valore secundi matrimonij, cùm pluralitas vxorum minimè possit esse permissa. *Trident. sess. 24. can. 2.* definivit olim INNOCENT. III. *in c. gaudemus, de divort. c. fin. de spons. duor. c. an non. 24. q. 3. & Matth. 19. quicunque dimiserit vxorem suam*, vbi servator noster sustulit omninò polygamiam, & polyviriam: videndus SANCHEZ *lib. 7. de matrim. disp. 8. per totam*; imò & apud Romanos infamiâ, & pœnis polygami affecti sunt *l. item. D. de his qui not. infam. l. eum qui. C. de incest. nuptijs l. 18. C. de adulter. Novell. 18. cap. 2.* integrum tractatum, satis vndiquè perpolitum, omnibus dedit DON DIDACVS DE TRANSMIERA *de polygamia, & polyviria.* Quæstio illa est *in d. c. 1.* an, mortuâ primâ vxore, cùm secundum matrimonium nullitate evanuerit, liceat vtrique contrahenti liberè discedere? respondet ALEXAND. III. non licere viro propter malam fidem, licere tamen mulieri deceptæ, vel manere in coniugio, vel separari: vt ille doli pœnam, hæc iacturæ remedium sustineant. Verùm, si mulier coniugium eligat, de novo cogitur vir ille celebrare matrimonium: advertit THOM. SANCH. *d. lib. 7. disp. 79. & 39.* nec inusitatum in iure, iustâ causâ cogi quem ad nuptias, *c. ex literis 10. de sponsal. & matr. c. de illis 9. de spons. impub. c. de illis 5. de spons. & matr.* circa nullitatem matrimonij propter crimē quod *in d. c. 1.* damnatur: vide IOAN. ÆGIDI. TRVLENCH. *de Sacram. lib. 7. cap. 9. dub. 10. à n. 3.*

Alius venit nunc casus & quæstio, an videlicet ex matrimonio præsumpto filij legitimi sint? Pendet resolutio, & huius controversiæ veritas à GREGORIO IX. *in c. is qui fidē 30. de spons. & matr.* Dederat quis fidem mulieri super matrimonio contrahendo, carnali copulâ subsecutâ, duxit aliā in facie Ecclesiæ, & cognovit; ad primam redire tenetur: statuit GREGOR. IX. *quia licèt præsumptum primum matri-* 325

monium videatur (inquit) *contra præsumptionem tamen huiusmodi non est probatio admittenda, ex quo sequitur, quòd nec verum, nec aliquod censetur matrimonium, quod de facto est postmodum subsecutum.* Duo nunc noviter inquiro: filij primæ vxoris, ante declarationem iudicis concepti, sint ne legitimi? filij ex secundo matrimonio, in facie Ecclesiæ inito, & si post irrito, illegitimitatis notâ laborent?

326 Contra primæ vxoris filios facit, copulam subsecutam non esse signum sufficiens expressivum interni consensus actualis, qui necessariò exigitur: tunc enim, & nisus, & oscula essent exteriora interni affectus indicia, quod negat idẽ Gregor. IX. *in c. adolescens. fin. de spons. & matr.* ibi, *Non primam, cum quâ nec fuit verum matrimonium ex formâ cõtractus, nec præsumptum, cum conatus non habuißet effectum, sed secundam debet habere vxorem:* ecquis nisum ad copulam sine animi consensu, copulam verò matrimoniali affectu diiudicet? & factum, si vt conceptũ designet *l. pro herede* 20. D. *de acquir. vel amitt. hered.* quid interest, vel ad nisum, vel ad copulam ordinetur? vt significet internam voluntatem, imò quodlibet sufficit in sentẽtiâ Bonifacii VIII. quæ extat *in c. vnico de sponsat impuber. in 6.* in principio. ibi: *Seu aliâs verbo, vel facto. & in § idem quoque* ibi: *Nisi per carnis copulam subsecutam, vel aliquem modum alium contrahentes eosdem cum eiusdem perseverantiâ voluntatis.* Secundi autem matrimonij filij legitimi cur non sint? cùm præcedat contractus in facie Ecclesiæ, & fortè bona fides; cùm potuerit primus non consentire sponsalibus.

327 Sed adhuc primam sponsam (cuius nominis etymon *in Pentecontharco* explicat D. Lavr. Ramir. de Prad. c. 14. pluribus adductis) maritali affectu cognitam præsumimus, filiosq; esse legitimos; in secundo verò casu prolem non aliter legitimam dicimus, nisi accedat bona fides ex parte vnius: extat in comprobationem insignitum argumentum ex textu *in c. veniens* 15. *de spons.* ibi: *Quatenus si inveneris, quòd primam post fidem præstitam cognoverit*: vt constitutũ in iure fateamur ante Concilium Tridẽtinum copulam in du-

ducere consensum, & matrimoniũ præsumptũ, antecedẽtib⁹ sponsalib⁹ de futuro. Varij sunt opinãdi modi in hâc re BASIL. LEGIO. *lib. 2. de matr. c. 12.* totũ hoc fundari in præsumptione iuris autumat, quia in dubio honesta præsumptio in honestam vincit *l. si constat. C. de compensat.* sed notat cùm BASSOLIS *in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. in solut. ad argum.* hoc non ita accipi, vt ex vi copulæ matrimonium fiat, sed quia cõsensus ante mutuus, & coniugalis præsumitur manifestus per copulam. SANCHEZ *lib. 3. disp. 40. n. 2.* per talem copulã explicari consensum de præsenti iuris præsumptione: clarius procedit PEREZ *de matrimon. disp. 8. sect. 5. & disp. 15. sect. 1.* vtrumque probabile est: sed vltra omnes existimo, præsumptionem hanc iuris & de iure tandiu procedere, quandiu de consensu ex violentâ coniecturâ copulæ constat; nam aliàs secundæ tenebitur adhærere vxori, *c. veniens. 15. de spons.* & non excludi evidentissimam probationem, vt colligitur ibi: *Nisi metu coactus*: sic interpretor text. *in d. c. adolescens, fin. de spons.* non enim constitit ibi violentâ præsumptione de consensu, vt vinceret præsumptum ex copulâ cum secundâ vxore seu verum: nam qui sæpe nisus carnaliter non cognovit sponsam, adhuc impeditus ætate fuerat: ergò spõsalia de futuro subsistunt; cur nõ matrimonio in nubili ætate subsecuto evanescent? locus BONIFACII minùs obstat, nam ibi id solùm intenditur, tractu scilicet temporis sponsalia de futuro non fieri matrimonium, nisi carnali copulâ subsecuta, vel aliter, hoc est, novo expresso consensu. Post Tridentinum hæc iam sublata sunt: videndi SANCHEZ, BASIL. & PEREZ, *vbi supra.*

Ratio decidendi iam manifesta est, quam rectè BASIL. *d. lib. 11. c. 8. n. 4.* à bonâ fide contrahentium, vel vnius saltim mutuatur: reddit vtique tutum rei alienæ possessorem, *regula possessor, & regul. pro possessore, de reg. iur. in 6. c. vlt. de præscriptionib.* simul & in facie Ecclesiæ matrimonium iuvat, & favor filiorum *c. ex tenore, 14. hoc titu.* ibi: *In favorem prolis*: imò & honor Sacramenti; ne quod ante detectum impedimentum causa iusta fuit suscipiendi filios, eos 328

non defendat,& conservet legitimos. Appropinquat argumentorum,quæ in fronte rationem dubitandi constituunt, & solutio,& interitus.

329 Primo fit satis,negando suppositum, seu assumptum; nemo enim dicitur dare operam rei illicitæ, existente ignorantiâ invincibili,& si re verâ coitus illicitus fuerit;vndè non ex opere in se illicito,sed ex opere fictione iuris,licito & honesto,legitimatio oritur in matrimonio putativo: & absolutè nego opus fuisse illicitum,& si re verâ nullum teneret argumentum in sequenti casu.V.C.si ambo,vel alter ex concubinarijs ignorasset impedimentum canonicum obstans matrimonio,& non præmissis denuntiationibus nuberent; vt considerat PEREGRIN. *de fideicom. art. 24. n. 52. & 73.*

330 Statim contrarius insurgit textus, *in c. quod nobis, hoc titul.*brevia sunt,sed difficilia verba:ibi:*Si qui autem de clãdestino matrimonio, postmodum ab Ecclesiâ comprobato, generati fuerint,eos legitimos iudices filios, & heredes.* Placet dicere legitimos in hoc casu filios fieri, quia adfuit bona fides tempore conceptionis,quin obstet prohibitio illa clãdestinitatis, Ecclesiæ enim approbatio purgat omne vitiũ matrimonij clandestini:quid? patiemur filios in cõcubinatu susceptos per subsequẽs matrimonium legitimari; *hos* autem bona fide genitos,& approbato ab Ecclesiâ *coniugio*, illegitimos remanere? non deceret æquitatem & iustitiam canonicam:plura circa explicationem *d.c.quod nobis* adducit SANCHEZ *lib.3. disp.43.per totam.*

331 Ad II.argumentum *c.cum inhibitio. §.si quis de clandestin. despons.* Respondetur, affectatores potius ignorantiæ fuisse contrahentes:cùm,ommissis denuntiationibus, copulati sint. Sequendus SANCH.*d.lib.3.disp.42.n.1.*similiter,& *l. 1.C.de interdicto matrimon.* ignorantiam vincibilem exprimit,non facti,sed iuris;cùm inter tutorem,& pupillam matrimonium prohibitum esse,nemo non sciret *l.tutor. D.de sponsal.l.Senatus consulto* D.de ritu nuptiar. Ergò in vtroq; casu matrimonij publica deficit approbatio, deficiat & legitimatio necesse est.


Ad

Ad III *ex l. 3. C. solut. matrim.* Respondet BASIL. *d. lib.* 11 *c. 8. n.* 3. de iure civili non subsistere matrimonium, quia, ignorantibus parentibus, contractum est: meliùs iudico dicere, iure illo antiquo adeò servum pro nullo habitum, vt detecto impedimento servitutis, & matrimonium nullum fuerit, & filium quasi sine patre natum spurium haberi; at iure canonico, etsi error ille etiam dissolvat vinculum, non tamen filius sine patre natus intelligitur, cùm iam servus possit nubere. 332

Ad IV. affirmamus, filium natum, & susceptum ex matrimonio putativo esse vtrique parenti legitimum, vt latissimè examinat THOM. SANCH. *lib. 8. de matrim. disp.* 39. *à n.* 46. & COSTA *in c. si pater* 1 *p. verbo vxorem n.* 2. *de testam.* & postulat ipsa ratio legitimitatis, nec enim matri dat lex filium, sed natura ipsa; at patri sola lex potens est concedere filium, vt in adoptivo relucet; sed si patriam demas potestatem, & legis artificium destruis: hanc si concedis, legitimitatem sine rubore non despicies. Nec obstat mala fides patris, nam ratione adiuncti meretur præmium illud individuum legitimitatis, quo gaudet & filius, & mater. *l. cum hereditate* 55. D. *acquir. vel amitt. here. l. si communem.* D. *si servit. vindic. c. sacris* 12. *de sepultur. c. super quæstionum* 27. §. *si verò. de offic. delegat.* præterquam, & patria potestas filijs prodest, & si enim ab eâ liberari beneficium est, in eâ nunquam fuisse ex defectu legitimitatis infamia dicitur. Iam & patri mulcta remissa est propter filiū, narrat LVCIANVS per IACOB. MISSILVM translatus *fol.* 499 ibi: *At infans aridebat iudicibus, & manibus complodebat: itaque curia commota super illo, remisit mulctam Menecrati.* 333

Nec obstat exemplum bonorum possessionis contra tabulas, de quâ in *l. non putavit.* D. *de bon. poss. contr.* ibi enim bonorum possessio non cedit in præiudicium filij instituti, cui simul cum præterito conceditur; at in præsenti, si patrem neges legitimum, & filium illegitimum dicas, & matrem in damno fateris, & ipsius mariti putativi nævo notatam quod inconvenit, & summi iuris, ne dicam iniu- 334

riæ fastigia tangit. Nec æquum videri potest, vxorem bonâ fide copulatam, malâ fide mariti in aliquo prægravari; cum insolens non sit in iure, adhuc veros criminis reos impunitos relinquere, ne innocentem condemnari accidat *l. absentem*. D. *de pœn.* idque evenit, quoties confusio & permistio causarum adeò operatur, vt reus nocens innocentem traheret ad eiusdem periculi infortunium. Absit ergò filium à potestate patris liberum considerare nocentis, si matris à culpâ immunis honorem vel commodum lædere contingat: at in bonorum possessione contra tabulas nullam inæqualitatis iacturam patitur institutus, imò vt æquales habeantur, & institutus & præteritus, vtrique bonorum possessio conceditur, quia vtrique bonorum possessio secundùm tabulas aptari nequit.



PARS

PARS III.

HAEC DILVCIDATIONEM CONTINET LACONICA METHODO, SED APERTA,

Celebris textus in capite Per venerabilem XIII. Qui filij ſint legit.



Elebrem inter omnes huius tituli conſtitutiones hanc dico primam, quia quot illius verba, tot ſunt aureæ ſententiæ. Author eſt INNOCENTIVS III. ſatis iam Authoris expreſſione laudatur. Progrediamur ad facti ſpeciem. 335

336 Nobilis quidam vir de monte Peſſulano in Galliâ Narbonenſi (vt voluit CVIAC. in præſenti noviſſimè appellata Dokia vel Landokia, quòd diutiſſimi eam Gotthi inſederint) legitimâ vxore dimiſſâ, ſuperinduxit aliam : ſuſcepit ex illâ liberos, quos à Pontifice legitimos fieri, poſtulabat inſtanter, vt heredes, vt filios denique haberet, quibus non obeſſet exceptio natalium: allegabat plura, vt precibus devinctus Põtifex annueret petitioni, qui re maturiùs pēſitatâ, negat legitimitatem: *& quaſi in defenſionem* iuſtiſſimæ deciſionis, nobilis prædicti

cti fundamentis diventilatis, nova pro se excutit, & adducit. Eundem servabimus ordinem.

ARGVMENTA,
quibus vir nobilis nititur.

337 Rimò sic nobilis ille quasi pro exedra cum INNOCENTIO III. disputat. Pontifex filios adulterinos legitimare valet quoad spiritualia, quæ digniora sunt *c. illud de maior. & obedientia*, vt fatetur procemium. ibi: *Sic ad actus spirituales illos legitimans, vt possint in Episcopos promoveri. c. ex tua c. literas* 14. *c. dilectus* 17. *c. nimis* 18. *de filijs presbyter.* quia cùm inhabilitas, & illegitimatio iure humano introductæ sint, Principis volũtate abrogari, seu mutari posssũt. *§ sed naturalia instit. de iur. natur. gent. & civil.* ergo multò facilius ad temporalia, cùm descendere liceat à maiori ad minus, à summo ad imum *c. illud* 95. *dist. c. ex parte de decim. c. cuilicet* 54. *in* 6 *l. non debet* 21. *de regul iur.* quin hæc obnubilet *Authent. quibus mod. natural. effici sui* §. *vltim.* ibi: *Neque naturales vocari, neque participanda eis vlla clementia*: nam Imperator de iure ordinario loquutus est, non de potestate absolutâ, & potiori: in rebus matrimonialibus, qualis pontificia præeminet.

338 II. filius ad Episcopatum promotus, à sacris paternis solvitur *Authent. cõstitutio quæ de dignitate. § illud. vers. palam colla.* 6. *Authent. sed Episcopalis. C. de Episc. & Cler. l.* 14. *tit.* 18. *p.* 4. *l. si servus* 54. *dist.* spretis iniuriosis solennitatib⁹, quarum IVSTINIANVS meminit in *l. vltim. C. de emancipat.* cui addendus BRISONIVS *Selectar. ex iur. civil. antiq. lib.* 1. *c.* 11. ergò iam Pontifex quoad temporalia dispensat, dum creat Episcopum, cùm nexus ille patriæ potestatis quid temporale sit *l. item* 3. ibi: *Quod ius proprium Romanorum est. D. de his qui sunt sui vel alien. iur.*

339 III. servus per sacros ordines servitutis iugum excutit, &

& à misero vinculo liberatur *c. si servus c. ex antiquis 54. dist,* sed dominica potestas quid temporale est, adeò præpotens in servos, vt nec prænomina nisi dominorum habuerint: testatur CAROL. SIGON, *in fast. consular. ac triumph. in lib. de nominibus fol* 367. vbi Lucipores, Marcipores, & Publipores appellat servos LVCI, MARCI, & PVBLI. ergò dispensatio Pontificis temporalia comprehendit.

IV. Pontifex habet supremam potestatem temporalem *c. Constantinus 96. dist. c. fundamenta. vers. ne autem. de elect. in 6. clement. 1 de iur. iur.* cum similibus, quæ in tertiâ dissertatiunculâ prædiximus, ergò legitimare valet quoad vtrumque, & spirituale & temporale commodum. 340

V. vtitur exemplo Regis Francorum, qui, Reginâ dimissâ, aliam etiam superinduxit vxorem, & obtinuit prolem legitimari, vt constat in præsenti capite. ibi: *Sic cum tuis credebatur de benignitate Apostolicæ Sedis dispensandum.* Cur ergò negetur nobili huic domino montis pessulani filiorum legitimatio? 341

Adhuc INNOCENTIVS III. his omnibus parvipensis, negat legitimitatem filijs prædicti nobilis, funditùs illius rationibus eliminatis. Pontificis doctrinã facilè percipiet qui non sit adamantinæ mentis, seu, vt propriùs loquar, qui sit adamantinæ claritatis ingenij. Per partes ergò materiam hanc tractemus, seu saltim partem, vt totius notitia divagetur, HOMERI exemplo, qui heroas vt laudet, caput, aut clypeum prædicat. 342

CONCLVSIO, ET DECISIO Pontificis expenduntur.



VEnit sciendum primò ad commentum huius capitis: legitimare laicos in terris sibi non subiectis quoad temporalia Pontificem directò non posse, indirectò tamen in aliquibus casibus, & in consequentiam spiritualium posse. I. indè nascitur ne iniuria irrogetur Principi seculari, 343

Oo vt

vt insinuat noster textus *vers. insuper* à contrario sensu: ne supra iurisdictionem suam Pontifex ius dicat *l. vltim.* D. *de iurisdict. c. 2. de constit. in 6.* & vt divisæ potestates subsistãt, ecclesiastica, & civilis *c. novit. de iudicijs. c. solitæ de maior. & obedient.* aliter incedit BASIL. PONC. LEGION. *lib. 11. de Matrim c. 5. §. 1. à n. 6.* quia, inquit, Pontifici iurisdictio temporalis directè concessa non est, sed indirectè, quoties ad spiritualia necessaria fuerit. Communis hæc sententia vsu recipitur: MOLINA, *de Hispan. prim lib. 3. cap. 2. n. 11* MOLIN. Theolog. COVAR. SANCHEZ. & alij laudati à CASTRO PALLAO *tom. 2. tract. 13. disp 4. punct. 1. §. 5. n. 4.*

344 Quòd indirectè possit, evincitur ex eo, quia plerumque quæ directò prohibentur, in consequentiam permittuntur *c. ex literis. de iur patron. c. penult. de restit. in integr. c. prudentiam. c. significasti. de donat. inter. l. quoties. C. de iudic. l. 1. D. de author. tutor. l. pacta conventa. D. de contrab. empt. c. cum Bertoldus. de sent. & re iudic. l. 1. tit. 15. p. 1.* Exemplum sit (quod iam in omnium sententiâ firmatũ testatur SANCHEZ *lib. 8. de Matrim. disp. 3. n. 2. & 7.*) Quando. V. C. Pontifex in radice matrimonij dispensat, tunc, statim. & in cõsequentiam laici legitimantur etiam ad temporalia: ita NAVAR. *lib. 4. cons. 2. hoc titul.* ZAIRO *lib. 6. de Censur. c. 11. n. 6.* SANCH. *lib. 8. de Matrim, disp. 7. n. 4.*

345 Verùm hæc dispensatio in radice matrimonij id sine dispensatione exposcit, ne scilicet matrimonium inutile fuerit ex prohibitione divinâ, radix enim infecta semper manet, Ponit casum BASIL. *d. §. 1. n. 8.* in matrimonio nullo ex defectu consensus, & licet, inquit, Princeps suppleat aliquando consensum *c. is qui de sponsal. l. 2. C. de rei vxor. act.* at in Sacramentis, vbi nihil immutare quoad essentiam eorum humana valet authoritas, neutiquam: debet ergò talis esse prohibitio, quæ iure canonico subsistat: ita IOAN. ANDR. in præsenti decretali *n. 30.* SANCHEZ. *disp. 7. n 8.* Inlatio iam concedenda est, filios susceptos ex Religiosis non posse hâc legitimatione legitimari ad temporalia, si impedimentum voti solennis religionis dirimit matrimonium

sub-

subsequens iure divino *c. si quis sacro* 5. *velata.* 27. *q.* 1 sed videndus SANCH *lib.* 7. *disp* 26. *à n* 4. vbi solo iure Ecclesiastico votum solenne religionis matrimonium postea contractum dirimere, probabilius dicit, *n.* 4. *in fine*, & adducit DIV. CYPRIAN. *epistolam* 11. *ad Pomponium*, vt probet, antiquitus professionem non dirimere matrimonium subsequens, & DIV. AVGVST. *lib.* 9. *de bono viduitat c.* 9. 10. *&* 11. & alia fortissima eformat argumenta: locũ DIV. CYPRIAN. expendit fusiùs BASIL. PONC. *lib.* 7. *de Matrim. cap.* 15. & locum DIV. AVGVST *ibidem, cap.* 16. & alia *cap.* 17. & validissimis argumentis *lib.* 7. *c.* 10. *& lib* 8. *c.* 2. *n.* 13. facultatem Põtificis defensat, vt possit de monacho non monachum efficere, & explicat DIV. THOM. 2. 2 *q.* 88 *art.* 7. item & textũ *in c. cum ad monasterium. de stat. monach.* sed non facilè percipio in opinione huius gravissimi Doctoris Praeceptoris disputationem *lib.* 8. *c.* 5. vbi *n.* 4. constituit, matrimonium ratum dissolvi per votum solenne religionis iure divino: & verissimum est, infertq; ex text. *in c. ex parte* 2. *& c. ex publico. de convers. coniugat* & *Ioan.* 22. *In extravagant. antiquae. de voto*, & cùm verissimam iudicem opinionem circà facultatem praedictam Pontificis; dubitantis interim subeo munus: deindè, communem solutionem ad textum in *d. c. cùm ad monasterium.* cui annuit *d. c.* 10. *n.* 8. difficilem suspicor, ex eo quòd dubitare, & inquirere, an summus Põtifex possit ita dispensare in voto solenni religionis, in paupertate scilicet, castitate, & obedientiã, vt sine his votis adhuc dispensatus maneat religiosus, idem esset ac rogare, an posset efficere, vt corpus album maneat album sine albedine: & evidentem resolutionem in casu gravi dubitari, nec licet, nec subtile est. Id ergo inquiritur, an possit efficere Põtifex semel regulae adstrictum, deinceps non adstringi, semel religiosum, ad non religiosum restitui statum? Dubiola haec sunt fortassis, quia in genioli mei vena abundantiam non capit acuminis Theologi admirandi huius, quem in Salmanticensi Academiã, praeceptorem publicum vidi & sanctae Bullae Cruciatae explicationem extraordinariè docentem

docentem audivi, iuris civilis & si professor: virum mirabilem, vnius sæculi hominem religiosissimum moribus, & doctrinâ: adhuc tamen si ab instituto huius opellæ nunc nô esset longè divertere, sensum meum proferrem, qui obviter per alia decurro, fortè alibi. Ex diverso cùm votum sacri ordinis non dirimat matrimonium postea contractum, nisi solâ lege canonicâ *c. 1. de vot. in 6.* BASIL. *lib. 7. c. 27.* & idem SANCH. *disp.* 27. consequens omninò fit, posse Papam filios clericorum indirectè legitimare ad temporalia, cùm in radice matrimonij dispensat.

346 Restat nunc pauxilatim investigare huius dispensationis in radice matrimonij signa, & conjecturas. SANCHEZ in re morali dux, & lux, tunc dispensationem in radice existimat fieri, cùm Pontifex expressè declarat, dispensare matrimonium ex tunc, quia aufert impedimentum initi contractus. Plura cumulat etiam BASIL. magno ingenio *vbi supra à n.* 12. sed clariùs idem SANCH. *lib. 8. disp. 7. n. 4.* vltima ergò ratio ex potestate Pontificis irritantis legem prohibentem ex tunc nascitur, vt nec producti, nec producendi effectus habeantur prohibiti *clement. vnic. de immun Ecclesia.* ibi: *Quidquid ex eis sequutum est, vel ob eas, penitus revocamus, & eas haberi volumus pro infectis.* Dispensat igitur ex tunc in matrimonio aliàs prohibito lege Ecclesiasticâ, & sic legitimat in radice, & relinquit matrimonium in terminis priorum consensuum, & sic validum provt ex tunc: videndi ANCHARRAN. *consil.* 409. *n.* 5. COVAR. *in* 4. 2. *p. c.* 8. §. 8. *n.* 13. ANT. DE ROL. *de legit. lib.* 2. in princip. *n.* 19. GVILLELM. BENED. *in c. Rainutius, verbo & vxorem. n.* 202. PEREGRIN. *de fideicomm. art.* 24. *n.* 80. & statim fluit legitimatio ad temporalia: laudat in comprobationem penè innumeros SANCH. *d. n.* 4. & 8. cui addendus novissimè CAST. PALLAO *tom. 2. tract. 13. disp. 4. punct. 1. §. 6.* vterq; disputat quæstionem illam, an si pater iam obierit, & matrimonium dissolutum sit tempore dispensationis, detur dispensatio in radice prout ex tunc: & affirmat, etiamsi sit in præiudicium tertij, sed tunc ne Papa peccet, notat PALLA.

n. 12.) iustâ causâ moveri debet, quia dispensat in lege præiudicante successoribus legitimis, ex NAVAR. *lib. 4. cons. in 1. edit. tit. de sponsalib. cons. 3.* videndus GVTIER. *de Matr. c. 74. n 26.* & idem SANCHEZ *lib. 8. de Matrim. disp. 7. n. 5.*

Congrua ad hæc omnia ratio est, quam considerat BASIL. *d. lib. 11. c. 5. §. 1. n. 6.* & iam supra tetigimus obviter, nunc fusiùs dicimus. Scilicet, Pontificem non duplicem habere potestatem spiritualem, & temporalem, sed vnicam à DEO in ordine ad spiritualia, quam etiam indirectè sæpe in temporalibus exerceat, quoties ad maius bonum, videlicet spirituale requiritur: & ita consequens fit, spirituali causâ non postulante, non extendi Pontificis manum ad temporalia *c. 1. de homic. in 6.* sic accipio doctrinam COVAR *de Sponsal. & mat. §. 8. n. 45* MOLIN *disp. 173. n. 1.* & nostrum textum ibi: *Certis causis inspectis*, & *extravag. vnam sanctã vers in hac. de maiorit.* hinc provenit, constitutiones civiles bono publico spirituali damnosas reprobari *c. vlti. de præscrip. c. 1. de torneam, clem. 1. de vsur.* & Reges posse à Pontifice Regno privari *c. alius 15. q. 6.* plura congerit PALAC RVB. *de Obtent. Regn. NAVAR. 2. p. § 6. & 7* MOLIN. *lib. 1. de primogen. c. 15. à n. 28.* SVAR. *lib. 3 de legib. c. 6 n. 3.* & supra nos diximus in *c. si quis 2. de regular.* verb. *Principem.* 347

Præsciendum II. est, in terris sibi temporaliter subiectis, & quoad spiritualia, & quoad temporalia directò Pontificẽ legitimare posse verâ legitimatione, vt sic legitimati, à filijs qui cum sole legitimitatem accipiunt, nihil differãt *l. qui in provincia 57. §. vltim. in fine D. de rit. nuptiar. Auth. quib. mod. natural. effic. legitim. §. sit igitur licentia coll. 6.* cum vulgatis, legitimationis enim ea conditio est; vt omnia, dispensationis verò vt vnum, vel alterum casum comprehendãt. MOLIN. *disp. 137. &* SVAREZ *de Censur. disp. 50. sec. 5. n. 7.* & vt in pauca contrahamus interpretum longissimas disceptationes, legitimationem tripliciter constituimus fieri: primò in radice matrimonij vt supra: secundò legitimatione, quæ dicitur restitutiva, vtpotè natalibus restituente *d. §. sit igitur* & hæc à Principe laico ad effectus seculares impar. 348

partitur, dummodo superiorem nō recognoscat, ABBAS in præsenti *n.23.* BASIL. *d.lib.11.c.5.* in principio MOLIN. *t.1.de iustit.& iur.trac.2.disp.173.vers.legitimare.* AZOR 2 *p.instit lib.2, c.14.q.5.* Tertiò datur legitimatio, quæ dicitur inductiva, seu collativa, vt puta, quando Princeps ex nunc in legitimatum iura legitimorum transfert *l.qui in provincia §. vlt.* D.*de rit.nupt.* has tres species considerat PEREGRIN. *de fideicommiss.art.23.n.32.*

349 Legitimatio ergò, cuius effectus restringitur, potiùs dispensatio est, vt in casu *c.1.§.ille vero.de filijs presbyter.in 6.* videat, qui velit latiorem circa hunc numerum tractatum, MOLIN. *lib.3.de hispan.primog.c.3.á n.38* MOLIN. alterum *disp 173.n.6.* ANT. GOM *in l.9.Tauri.* SARMIENT. *lib.1.Select.c.8.n.7.* GAM. *decis.278.n.2.* CABEDO *decis.69.á n.3.* sufficiat cum PEREGRINO *vbi nuper.n.33.* sic legitimationē à dispensatione secernere: legitimatio est abolitio illegitimitatis, dispensatio verò circa quædam concessa obstantiū remotio. Laudat ANTONI. DE BVTRIO, CORNEVM, GOZADINVM, ROLANDVM, SOCINVM, PAVLVM DE CASTRO. & alios: videndi etiā circa effectus legitimationis respectu paternæ nobilitatis *in l.12.Tauri* cōmuniter DD.& ROXAS.*de success. c.23.á n.130.* CEVALL.*comm.q.2 n.43.* excepto casu tributi Regij, de quo intelligendus textus *in l.29.tit.11.lib.2.Recopil.* iuncta *l.12.tit.2.lib.6.Recop.*& circa fideicommissos FVSAR.*de substit.2.p.q.408.á n.10.* MENOCH.*cōs.196.* MANTIC. *de coniectur.lib.11.tit.10.n.8.*& idem PEREGR.*ibidem n.89.*

350 Ramum sic ex diversis compositum folijs dedimus, si non aureum, quē à Musis quondā pastor ille accepit, vtilē fortè commēto nostri capitis: nec libuit omnia percurrere Doctorū in hâc re placita, ne quasi in circulo currētes, ferè eadem semper repetere contingeret. Copiosa nūc segges, præclara item doctrinarum, & iurium copia erit, si prædicti viri nobilis dubitationes, seu allegationes suo ordine retundamus.

351 Ad primam rationem dubitandi respondetur, filios* prædicti nobilis, vtpotè ex secundâ vxore susceptos, [illegible]

* *filijs [illegible]epeis*

te adhuc primâ, Pontificem negare legitimationem, quia lege divinâ naturali, & positivâ contradicente, irritum secundum tale matrimoniũ fuerat *c. gaudemus vers. 1. ec vlti. de divort. c. ex parte 14. de cõvers. coniug. c. licet c. vltim. de sponsat. duor. Trident. sess. 24. de matr. can. 2.* etenim quæ possit in radice legitimatio consistere contra impedimentum lege divinâ munitum? illegitimi adulterini, & spurij odio digni quidem sunt, detestatiq; omni iure: lex civilis à successione repellit *Auth. licet in fine C. de natural liber. Authent. ex complexu C. de incest. nupt. l. 10. tit. 13. p. 6.* Canonica damnat cõiunctionem, & repræhendit *c. referente. hoc titul.* Divina non patitur talem contra matrimonij Sacramentum irreverentiam: funiculum ergò triplicem quæ legitimatio rumpet? pœna hæc est pro refrænando vitio paterno *l. vlt. C. de natur. liber.* in odium ipsorũ filiorum *c. si gens. c. vltim. dist. 56. c. dixit. 32. q. 4.* & tandem vt incontinentiæ parentũ facilè in filijs metuantur, argumento *l. quisquis §. filij C. ad leg. Iul. maiest.* Dicã hîc quasi in indice civiles alias pœnas: mitti non possunt prædicti filij in possessionẽ ex edicto divi ADRIAN. de quo *in l. vltim. C. de edict. divi Adria. tolle:* neque in foro conscientiæ retinere hereditatem, imò ante iudicis sententiam restituere legitimis adstringũtur, & his deficiẽtibus, Fisco: COVAR. *2. p. de spõs. c. 8. §. 5. n. 11* MOLIN. *de iusti. & iur. disp. 167. n. 5.* neque bona paterna ab intestato occupata præscribere, VALASC. *consult. 19.* per totam: nec per se nec per interpositum amicum quicquam capere *l. si quis incesti, vers. nihil C. de incest. nupt. l. 1 § sive itaque C. de natural. liber. l. neque per se C. de hered. instit.* hinc fit, rogatum heredem restituere fideicommissum spurio non teneri. Sed in hâc re extat nobilis distinctio, & differentia inter tacitum & expressum fideicommissum, vt si expressè heres rogetur spurio restituere, Fiscus ab eo nõ auferat, sed apud eũ maneat, si verò tacitè fidem accommodaverit, tanquã ab indigno eripiatur *l. Lucius 123. §. in testamẽto D. de legat. 1. l. 3.* in principio *&* § *1. l. ita 49. D. de iur. fisc.* latè PEREGRIN. *lib. 3. de iur. fisc. tit. 19.* per totum; videndus etiam COVAR

VAR. *d.* §. 5.*n.*13. AZOR 2. *tom. moral. lib.* 2. *c.* 10. *q.* 4. & MOLIN. *theolog. disp.* 169. *à n.* 10.

352 Aliquibus tamen casibus spurius heres à patre institui valet I. videlicet sub conditione *si legitimabitur*, vel *si capere potuerit*, ex regulâ *l. in tempus* 62. D. *de heredib. instit.* II. sub illâ aliâ conditione *si monachus fuerit*: videndus PALEOT. *de notb. & spur. cap.* 45 *à n.* 3. juncto SANCHEZ *lib* 5. *ad praecepta decalog. c.* 5. *à n.* 25. III. si instituatur fiduciarius heres, vt quartam ex Trebelliano consequatur, argumento *l. cogi* 16. § *hi qui solidum* D. *ad Trebellian.* aliquantulum hæc limitatio dubia est, consule Gloss. vltim. *in l. eam quam C. de fideicomm.* & ROXAS *de success. c.* 20. *n.* 52. IIII. si pater extraneum instituat, & conditionis implendæ causâ gravamen imponat dandi centum V. C. spurio, licet enim ex re patris prohibitus sit capere, non propter rem patris, argumento *l. eo tempore* 50. §. *vlti. in fine* D. *de peculio* dicedunt aliqui ab hâc limitatione moti *l. quod conditionis* 36. D. *de donat. caus. mort.* vide PADILL. *in l. cum virũ n.* 32. *C. de fideicomm.* V. si pater clericus non spurium filium, sed generum vel nurum instituat *l. vltim. in princ.* D. *de his quib. vt indign.* facit *c.* 1. *de testam.* vbi Episcopus nurum suam instituit. VI. si certa relinquitur portio pro alimentis *c. cum haberet. de eo qui dux. in matr. quam polluit.* nec obstat textus noster. ibi: *Negantibus ipsis etiam alimenta*, nam vt considerãt IACOB. CVIAC. *in d. c. cum haberet.* & CARRANZA *tract. de legitim. part. c.* 3. §. 4. *à n.* 57. Pontifex in præsenti causâ dumtaxat detestandi spurios, refert leges civiles id habere, non vt approbet.

353 Ad II. prædicti nobilis allegationem respondetur, meritò quidem Pontificem illi non detulisse, quia cùm quis semel ad Episcopatum & sacros ordines promovetur, statim ad forum Ecclesiasticum spectat: solvat ergo eum Põtifex à patriâ potestate patris secularis necesse est, quæ ratio cessat in legitimatione, vtpotè non liberante à iurisdictione Principis secularis, sed obviter monere lubet, filium familias ad Episcopatus dignitatem elevatum, à patriæ potesta-

testatis vinculo liberũ reddi in his, quæ illi vtilia sint dumtaxat, nõ in his, quæ invtilia: notat GARCIA *regul.* 198 SALCED. *regul.* 235. COST. *in c. si pater.* 1 *p. verbo. vxorem. n.* 26. aliud esse in clericatu per *Authent. presbyteros la* 1. *C. de Episc. & cleric.* docent post antiquiores COVARR. *in c. quia nos. n.* 5. *de testam.* MOLIN. *de iust. & iur. tract.* 2. *disp.* 223. *n.* 8. CALDAS *in l. si curatorem. verbo læsis n.* 130. SANCHEZ *lib.* 4. *ad precept. decalog c.* 35. *n.* 37. contrarium sentit Gloss. *verb. qui se ipsos in c.* 3. *de ætate & qual. ordin.* & defendit: MART. *de iurisd.* 4. *p. c.* 27. *à n.* 5. anotasse in brevi dissertatiuncula sufficiat.

Ad III. rationem similii modo fit satis. Sed quia singularia circa ordinationem servorum, & observatione digna occurunt, subsistamus parumper: controvertunt latissimè FORNERI. *lib.* 6. *rer. quotidia. c.* 3. SVAREZ *de censur. disp.* 5. *sec.* 4. servi ergo sine consensu dominorum ordinari prohibiti sunt, ne status & dignitas Sacerdotis vilescat *can.* 82. *Apost. c.* 1. *t. de servorum* 6. *c. ex antiquis: & ferè pertotam* 54. *dist. c.* 1. *c.* 2 *& per totum. de serv. non ordin.* sunt enim clerici de sorte Domini *c. cleros* 31. *dist.* vnde PAVL. *ad Rom.* 10. *nemo sibi sumit honorem, sed qui vocatur á Deo tanquam Aaron:* clericatus ordo nobilitat: illustris D. RODER. ACVNHA. Archiepiscopus Bracarensis *in c. minor* 5. *n.* 2. *disp.* 50. FARIN. *de delict. p.* 3. *q.* 99. *n.* 18. plura alia refert SIMON, BARBOS. *de sacrific. Miss. cap.* 1. *pertotum*, quod si servus communis sit, vnius non sufficit voluntas domini, argumento *l. in concedendo* D. *de aqua pluv.* nisi præstet vnus ex dominis consocio partem pretij *l.* 1. *C. comm. serv. manu. l. duobus* 30. D. *de liberal. caus.* quod non insolens in iure, vt videre est *in l. domino* 16. ibi: *Pretij autem partem sibi contingentem socium consequi oportet* D. *ad silanian.* non itaque rectè ordinatur servus, ni domini manumissio præcedat *c.* 2. *c. quicumque* 5. *dist.* 54. verùm si sciens dominus servum suum ordinari, non contradicit in tempore oportuno, ipso iure liber fit servus *c. si servus* 20. *dist.* 54. *Authent. si servus C. de Episc. & cleric. l.* 18. *vit. 6. p.* 1. hoc religionis, & libertatis favore 354

iuduſtum; ita COVAR. *pract. cap. 15. n. 5. vers. huic vers.* & confert *l. 2. §. 1. D. ad municipal.* sed si servus, absente & inscio domino, ordinetur ab Episcopo servilis conditionis nō ignaro, liber manet, duplo tamen ab Episcopo refuso pretio domino *c. si servo 19. 54 dist.* in servis ad sacros ordines evectis, veluti presbyteratum, Diaconatū, Subdiaconatū intellige *c. miramur. de serv. non ordin.* secùs si ad minores ordines *c. ex antiquis in fine 54 dist.* Episcopus tamen mortaliter tunc peccat, vt voluit TVRRECREM. *in d. c. si servus:* servi verò suæ conditionis ignari, & ab Episcopo inscio similiter servitutis, ordinati in sacris, liberi existūt protinus *d. c. ex antiquis* 9. qui textus discrimen constituit inter Diaconum, & Sacerdotem, vt servus ad Sacerdotium elevatus, peculium quod connibentibus oculis dominus permisit *l. 4. D. de manumission.* domino reddant, ne hic in damno moretur; ad Diaconatum promotus, vicarium præstet: de Subdiaconatu aliter statuit, nam tempore GELASI I. Hipodiaconi ordo nondum sacer erat, sed multò post *c. à multis. de ætat. & qual. ordin.* consule SVAREZ *de religion. lib. 9. c. 19. á n. 10.*

355 Obstare valdè iam videtur textus *in c. de servorum 6. vers. si vero dist. 54.* qui potestatem concedit domino, vt vel servos ita ordinatos ad servitutem redigat, aut in gradu suscepto retineat: nodus hic, qui facit tenebras, non facilè solvitur: non pauci de minoribus ordinibus interpretātur: sed hoc litera contradicit: quare verius iudico, prædictum textum nullius esse momenti, quia non invenitur in actis Concilij Toletani 4. cui inscriptio tribuit.

356 IV prædicti nobilis ratio satis explicita manet differētiâ, quam constituimus inter legitimationem subditi in tēporalibus Pontifici, & non subditi *c. cum ad verum, 96. dist. c. novit ille, de iudic.* vt iam differuimus.

357 Ad V. allegationem ab exemplo dessumptam: respondetur, longè aliam fuisse causam Regis, nam hic Reginā dimiserat iudicio Ecclesiæ: prædictus verò Nobilis perquam temerè suâ authoritate: Rex post sic dimissam, aliam super

in

induxit ante quàm prohiberetur, Nobilis verò poſt prohibitionem ſecūdum matrimonium attentavit: Rex ex cauſâ affinitatis teſtibus aliquatenus comprobatæ Reginam dimiſit, Nobilis nullam divortij cauſam allegavit: vt proindè fiat Pontificem manifeſtum adulterium dixiſſe prædictum Nobilis cum ſecūdâ vxore conubium, quod vinculum prioris non ſcindit, ſed violat, vt profitetur. ibi: *Non tamen ipſius violatio, &c. c. gaudemus. §. ſanè. de divort. c. ex parte. 9. de ſponſal. c. dixit. 32. q. 1.* BELARMIN. *lib. 1. de Matrim. c. 15. &* 16. BASIL. *lib. 9. de Matr. c. 16.* GVTIER. *lib. 1. Canonica. c. 25. à n. 4.* & COVAR. *de ſponſal. 2. p. c. 7. §. 6. à n. 23.*

Concludit INNOCENT. III. *in verſ. de filijs ergò*: filios à Rege ſuſceptos ex ſecundo matrimonio poſſe non immeritò dubitari, an legitimi, an illegitimi. Sed obſtat textus, *in c. perlatum. 8. hoc titul.* vbi legitima dicitur proles, quæ ſeparatione iudicio Eccleſiæ factâ ſuſcipitur. Reſpondeo, Pontificem in præſenti idem conſtituiſſe, nec ipſum dubitaſſe, licet fateatur dubitari poſſe maioris firmitatis gratiâ, qui reſolvendi modus non inſolennis, vt habetur *in l. ſi quis pro emptore 15. §. quod ſi ſervus. D. de vſucap.* IVLIANVS enim vtitur verbo dubitari, & tamen ipſe non dubitat. *In verſic. inquo videretur*, tacitæ obiectioni reſpondet, & refert ſententiā quorumdam exiſtimantium Principem ſecularem poſſe filios proprios legitimare, nō vt patrem, ſed vt Principem: videndus in hâc re MOLINA *de iuſ. & iur. diſp.* 173. *n.* 12. cuius ſententiæ fundamentum illud eſt, quia licet iuriſdictio contenſioſa in filios exerceri non poſſit *l. qui iuriſdictioni.* 10. D. *de iuriſdict.* voluntaria poteſt *l.* 3. D. *de adoption. l. apud* 18. D. *de manū. vind. l. in privatis* 77. D. *de iudic.* contrarium placet Gloſſæ. verbo *Regi.* Sed nunc abs re hæc diſceptatio. Regulam verò illam *cui conceditur quod eſt plus*, quâ vtebatur Nobilis hic, amittit officium ſuum, nam in privilegijs & diſpenſationibus locum non habet *c. porro.* 7. *c. ſane 6. de privileg. c. 1. c. 2. de fili. presbyter. in 6. c. vltim. de translat. Epiſc.* falax eſt in multis hoc argumentum *l. 6. §. qui univerſas D. de offic. præſid. l. 6.* D. de interd. & releg. adiuncto CVIAC. *in comm. noſtri capit.* 358

Pro coronide notare libet, Pontificem in hoc capite
359 vti verbo *suscipere* etiam pro *concipere*. ibi: *Ex aliâ superinductâ puerum suscepit.* & ibi: *Ex quâ filios suscepisti, &c.* nec enim ad dispensationem in radice matrimonij impedimentũ inspicitur, nisi tempore conceptionis vnde venit proles infecta: & verè suscepti filij pro cõceptis accipimus, vt explicat ex CVIAC. *lib. 13. observ. c. 25. &* BVDÆO *in commẽtar. ling. Græc. fol. 478. in princ.* ALPHONS CARRANZ. infra laudandus: nõ latet me verbum *suscipere* sumi aliquando pro *levare è terrâ* iuxtà *l. 2 C. de post. her. inst.* & CICER. *in Verrem* 5. ibi: *Susceperat enim liberos, non solùm sibi, sed etiã patriæ:* hinc olim filij recèns nati, qui à parentibus non sublevabantur, veluti relicti dicebantur: notat eruditissimus CARRANZA *de vera human. part. design. c. 4. n. 37.* vbi satis abundè exponentis partum pœnas numerat, & antiquas explicat circa hoc Iurisconsultorũ leges, in quibus de expositis filijs, servis, & libertis mẽtio invenitur, in quâ re vniformia iã sunt iura civilia, & canonica *c. vnic. de infant. exposit. l. 3. C. eodem tit. l. 24. C. de Episcopal. aud.* quæ omnia annectenda sunt ijs, quæ supra diximus *n. 281. & 319.* Et circa quæstionem, quam tetigimus *d. n. 319.* de legitimitate expositorũ filiorum plura *ibidem á n. 49. & n. 50.* interpretatur *c. quando 24. dist. Tridentin. sess. 23. de reform. c. 5. & 7.* in favórem eorũ, illo excepto casu, de quo *n. 51.* cui iungendus D. IOAN DE ESCOVAR à CORRO *de purit. sanguin. p. 1. q. 8. §. 3. à n. 27.* qui diligenter examinat, an expositi, & vulgò quæsiti admitãtur in Ecclesijs, Collegijs, & confraternitatibus, quæ dicuntur *de statuto* & negat, pluribus laudatis authoribus, & si contrarium velit D. VALENZVEL. VELASQ. *consil. 90. n. 70.* cui satisfacit *à n. 43.* & hæc dixisse sufficiat minuscula circa Academiæ nostræ doctrinas, quas dicimus postquam didicimus; ad hypomnema iterum transeamus vtpotè opellæ nostræ huius præcipuum argumentum.

HÆC



HYPOMNEMATIS
APOLOGETICI
EXTREMA,
AVT
FIBRÆ,
QVIBVS
QVASI PESSVLATVM
OBDITVR
OPVS

LGATVM iam securè vt prodeat huc munitũ legibꝰ quasi prodromis, ceu armis nostrum vnius argumēti pervicaciâ Hypomnema pervenit Apologeticum. 560 Sed quid cũ Apologiâ Canonum & Legũ dissertatiunculæ? Verum cũ Apologiâ pro Academiâ quid nisi iuris vtriusque dissertatiunculæ? *Studia quippe*, dicebat TVLLIVS *in orat. pro Arch. Secundas res ornant, adversis perfugium, ac solatium præbent*, imò non solum ornamenta sunt Reipu-

blicæ.

blicæ, sed etiam auxilia, & fulcra, queis
Non hydra secta corpore, firmior.
Ah! quæ literis armatura fortior? *Ibi bellator*, inquit, CASSIODOR. *var. lib. 10. epis. 3. Reperit, unde animi virtute roboretur.* Domat ferocitatem, barbariemque Sapientia, non vsu consumitur, stata permanet, & immobilis. Hinc bellissimè HIERONYM. OSORIVS *lib. 1. de reg. inst. Hoc negare non possumus, studia literarum homines etiam naturâ feros ab agresti quadam immanitate traducere: vndè id evenire cernimus, vt quò quisque magis se ad bonas literas applicat, eò magis demens, atque benignus evadat.* Scientijs vtique, quasi plumis internâ effricatâ rubigine, noxium animus incultus egerit. SALVIAN. *lib. 7. de Prov. Dei: O pie Domine, ò Salvator bone, quantum efficiunt per te studia disciplinæ, per quæ mutari possunt vitia naturæ, sicut ab illis scilicet mutata sunt!* Quietem mutuamur à Sapientiâ & mores
Hæc reparat vires, fessaque membra levat.
361 Verè amœnat animũ: vndè PLINIVS SECVN. *epist. 83. Nihil tam lætum, quod literis non sit lætius, nihil tam triste, quod non per has sit minus triste.* Quæ frugi mens sine ipsâ vivit? *Otiũ sine literis mors est, & hominis vivi sepultura*, STOICVS scribit *epist. 83.* dat opes, & nos ad alta ducit: *Existima disciplinas multas*, ait MACROB. *lib. 7. Saturn. multis esse divitijs præstantiores, istæ quidem citò desinunt, illæ verò per totum tempus permanent; scientiæ enim sola possessio est immortalis*, quibus nemo spoliari potest. Insignitum illud BIANTIS Philosophi exemplum, vt probet, refert CICERO *in Paradox.* ibi: *Nec sæpe laudabo sapientem illum Biantem, qui enumeratur inter septem sapientes, cuius cum patriam Prienem cæpisset hostis, cæteriq; ita fugerent, vt multa de suis rebus se cum asportarent cum esset admonitus à quodam, vt idem ipse faceret, ego verò, inquit, facio, nam omnia mea mecum porto.* Rectè TERTVLL. *de Idololatr.* literaturam instrumentum esse ad omnem vitam affirmat. Probatur ex illo *Proverb. cap. 16. vers. 16. Posside sapientiam, quia auro melior est: & acquire prudentiam, quia pretiosior est argento.*

Magnetis instar scientiarum pulchritudinem considerabat TVLLIVS, dum prædixit *lib 3. de finib. Si sapientia oculis videri posset, omnes in amorem sui compelleret.*

Hispani ergò, quos STRABO *lib. 3. Sapientiâ excellentes,* 362
appellat & PACATVS *in Paneg. ad Theodos. Imper. Durissimos milites, fecundissimos oratores, clarissimos vates*; eorumq; filij, quales Novi Orbis indigenæ sunt, infrænis Barbariei vocem cur non recusabunt? & licet patientia

vincit inermis,

Armatosque solet vincere sæpè viros:

Qualis illa, quæso, quæ hanc notam sustineat? *Talem nunquam libeat modestiam, vel potiùs molestiam imitari: huiuscemodi mansuetudo longè fiat à me, qualis enim est illa mansuetudo, quæ ipso etiam auditu omnium aures exasperat*: concludit S. BERNARD. *epist.* 2.

Decuit ideò iurisprudentiæ eminentissimæ scientiæ mu- 363
ris & canonico-legalibus dissertatiunculis Apologiam pro Novi Orbis Academiis munire, vt periodum vel lædentem compescat, vel insciam facti instruat. Et fama per vrbes, per pagos & compita currens legitimum, promeritũque lucretur Procerum, studiosorumque Peruntinæ iudicium. Oportuit eruditissimum virum & verè Sophon, oblivionis tamen ferire reum sobriè & frugaliter. Æquitas hæc est iuxtà AMBROS. *epist.* 66. increpare feras calami, vt AVGVSTIN. vertit super illud *Psalm. increpa feras arundinis.* Dedeceret filium, Primariumq; Antecessorem vel matris iniuriam præterire in eleganti verborum sylvâ latentem, vel ansam errandi brevitate obnubilatam non detegere; aliquando enim res ipsa propter legentis negligentiam lædit, aliquando propter scribentis eminentiam.

Excusabat silentium diutinum nostrum Lacædemonis 364
illius Ducis ANTALCIDÆ sententia, qui sophistæ Apologiam pro HERCVLE, cui titulus; *Herculis encomium*, inscriptionem perlegens ait: *Quis ergò eum vituperat?* refert PLVTARCH *in Apoph. in Antalc.* Ast LIPSIVM, dum vidi *Novi Orbis* inquirentem Academias nostræ nō meminisse,

aut

aut fortè meminisse in periodo, his non potui mentem non expandere dictis: provocatio quasi arrha fuit contractæ defensionis. Nec insolens à silentio, ad sermonem, & vtique longum, veluti de extremo in extremum venire, nam vt TACITVS *lib. 1. Histor. Et fortissimus in ipso discrimine exercitus est, qui ante discrimen quietissimus*. Digitus adhuc minusculus totius defensionem non effugit; manca & claudicans resistit vulnera manus; nam

Laus est ardua, dura sustinere.

Responsum itaque hoc non dictum vllus existimet, vt Terentianis vtar verbis, in ... : non enim vltroneus scribo, non æmulus, seu simultatis alicuius motibus impulsus, vt olim XENOPHON & PLATO dissentientes, iuxtà AVL. GEL. *lib. 14. noct. attic. cap. 3.* sed pudoris impetu victus, ne dicam lacessitus, & quasi helleboro, sivè veratro candido tinctus, causam doloris à mente extraho: incitavit amor Academiæ: dat mihi ratio vires, quia

Si natura negat, facit indignatio versus.

365 Sed vt rei ipsius noxa, ne dicam convicium, clarius innotescat, si non accusare, dubitare saltem adhuc pro coronide liceat contextum LIPSI, cur, inquam, eruditissimus vir & notitiosus (cuius singula verba singulæ sententiæ) veterum Academiarum specimen inquirens in Oriente, post Brachmanarum & Gymnosophistarum primævam ætatē & doctrinam, vltimæ tandem meminit *d. c. 5* ? ibi: *Manent, hodiéque & nomen ipsum Brachmanum durat*, & de Bonziis mentionem faciens ferè similiter concludit. Rursus, de superbis ædificiis in Mauritaniâ institutis loquutus, & de templo, cuius in porticu centum circiter librariorum officinas, iternque alias è regione fuisse, Collegiumque, in quo triginta Aulæ, sive atria, ex aliis transcripsit authoribus, denique ex ipsis testatur hæc omnia periisse, vel certè vacua iam, & sine vsu esse, vt antiqua sæcla & nova componeret. Nostrum tamen (vt iam querelam eliciam) Novum Orbē barbarum reliquit, cùm iam tunc non barbarus? imò iam Novus Orbis, pro noviter acquisito supponit, non pro illo

antiquo & barbaro, & LVPO GOMARA laudato in *Histor. Mexic. vbi supra, & lib. 2. Physiologiæ Stoicorum, cap. 21.* omiserit de Hispanorum tempore, & posteriori Christianoque Indorum sæculo ferre iudicium, præcipuè invitante GOMARA *tom. 1. fol. 377. titul. de la conversion.* ibi: *O quantas gracias deven dar estos hombres a nuestro buen Dios, que tuvo por bien alumbrarlos, para salir de tanta ceguedad! &c.* & ibi: *O quanto deven a Fernando Cortez, que los conquistò! ò que gloria de Españoles aver arrancado tamañas maldades, y plantado la Fè de Christo! &c.* & ibi: *Felicidad grandissima de nuestros Reyes, en cuyo nombre tanto bien se hizo. Que fama, que loa serà de Cortez? El quitò los Idolos, el prediçò, el vedò los sacrificios, y tragaçon de hombres.* Sic etiam PLVTARCHVS *in lib. de fortun. & vir. Alexa.* dum de barbaris loquitur, statim subiungit. *Beatiores fuisse multò ab Alexandro victos, & subactos, quàm qui eum effugerant, cùm hos perditissimè vitam agentes, nullus arcuit, nec avitijs redemit, illos verò ad fœliciorem vitam, & statum vel invitos traduxit, vt ipsi cum Themistocle dicere iam possint: perieramus, nisi periissemus.* Ansam præbuerat erudito LIPSIO, vt scriberet, GOMARÆ modestia. ibi: *Quiero callar, no me achaquen de aficion, ò lisonja. Empero si yo no fuera Español, loara los Españoles, no quanto ellos merecen, sino quanto mi ruda lengua è ingenio supieran.* O quam benè PLVTATCH. *in Polit. ad Traian. Stulti sanè, qui intelligere nequeunt, honorare, quàm honorari qui præstet, cùm sæpè numerò gloriosius & honorificentius sit.* Scripsisse penè credebam, dum in *c. 7.* de scholis noviter creatis promisisse vidi. ibi: *Et loquar iam de scholis in hunc ferè nostrum morem dispositis, & ordinatis.* Ast non scripsit, imò de Europæ Academijs eò solum sermonem texuit, vt diceret Germaniam, & illam regionem in qua TACITI etiam ætate literarum secreta viri, & fæminæ ignorabant (LIPSI sunt voces) penè plures nunc Academias habere, quàm reliquam Europam vniversam. Hæ sunt contra contextum dubitandi rationes (vt Consultorum moris non obliviscar) desidero solutionem, ni omissionem.

Accusem notitiosi, & elegantissimi scriptoris LIPSI, qui calamum per Novum Orbem circumtulit, vt constat *ex lib. 2. de Constant. cap. 2.* dum vastationem deplorat illius. ibi: *Pauculi iberi ante annos octoginta in vastas illas & novas terras delati, quæ funera, Deus bone, ediderunt! quas strages! &c* & ibi: *Vbi es tu insularum maxima Cuba? tu Hayti? vos Iucayæ? &c.* & ibi: *Ostende etiam te paululùm, tu Peruana, tu Mexicana ora. Heu miram miseramque faciem? Immensus ille tractus, & verè alter Orbis!* in glossel. excusat. ibi: *Certè sub initia: nam nunc habitari iterum scio, & meliùs coli.* ergò iure omissionem tuam accuso, LIPSI erudite & magister politiorum literarum, ibidem dicis tecum, ipse alloquens: *Mens & lingua mihi cadit, Lipsi, dum hæc memoro: & video nostra omnia præ istis non aliud, quàm palearum cassa esse, vt Comicus ait, aut Gurguliunculos minutos, &c.* Cur ergò non doleam pium scriptorem adeò Peruntini nostri Gymnasij oblitum, Academias quæritantem in Novo Orbe, barbarũ vt relinqueret, etsi melioris iam penetravit tẽpora sæcli? Omisit, inquam, dicere, seu obscurè dixit, ideoq; non Apologiam, sed Hypomnema Apologeticum, id est glossam, opellam hanc appello nostram.

366 Denique recens inveni, periodum Lipsianam non per se & independenter subsistere, sed ab antecedentibus sensum ministrari. ibi: *Considerate, magnus ingeniorũ honos, & excitatio fuit: vbi in nostro ævo, aut orbe reperienda? quid etiam ad Novũ Orbem ibo? sanè ibi barbaries:* En LIPSI sensũ, en nostrã querimoniã: dolet in Orbe suo excitationẽ talem iam non inveniri, quã ingeniorũ honos efficit: & vbi quærere in Novo Orbe proposuit, statim contemnẽs, ait: *quid etiam ad Novũ Orbem ibo? sane ibi barbaries:* adhuc honore ingeniorũ excitatum negat; adhuc dignum, qui barbarum considerat: inscripsit titulum *Vetus Academiarum specimen in Oriente, itemque Æthiopiã, Africã, Novo Orbe:* vt Novum Orbem Barbarum diceret: vbique pœnitentiã gravatur: voluit aliquid dicere, & noluit, titulum inscripsit, at non scripsit, Novum Orbem Academicum supposuit, non exposuit: & ni fal-

lor, debuit: nam *cap*. 8. sic *En, vestigia vbique Academiarū, & ab antiquo: sed sævitia temporum, deindè, & barbarie invadente, oppressa. &c.* Et post subiungit: *& loquor iam de scholis in hunc ferè nostrum morem dispositis & ordinatis. Quæ, incredibile est, quàm in Germaniâ pullulaverint &c.* Et excusatur. ibi: *Et de hodiernis Academijs seorsim etiā libri extant, eos videte.* En, iterum inest nescio quid: de hodiernis Academijs remissivè loquitur, laudat tacitè Academiarum scriptores seu descriptores; vbi nostrā reperiemus? quid, ad Lipsium ibo? sanè ibi omissio. Contentus essem si de Peruanis, vt de Gothis loqueretur *c* 7. *in fine*. ibi: *O Gothos iam non Barbaros?* vel vt de Græcis *c*. 6. in princi. ibi: Avdi *scire lubet, & sæpè cupido fuit, an & antiquitus in Græciâ aut latio Academiarum iste mos, & tali disciplinâ atque exercitio habita iuventus?* Lips. *fuit, & non fuit*: doleo equidem, benè linguatum virum vti ambiguo sermone, cùm adhuc ille *Euphormionis satyrici* iam non incognitus, sed iustissimè expurgatus Author, annotans barbariem Indorum, distinguat, ne ambiguus comprehendere Hispanos videretur, dū 4. p. fol. 367. sic scribit *Americam, quà cultum animorum passa est, Hispani sic tenent, ne vllis extra hos vnos impunè liceat commeare, ita solis & licet, & est commodum illarum gētiū indolem pernoscere, quà verò in eadem parte terrarū nuda barbaries, & generi humano pudenda, efferavit animos incolarum, nullis legibus, nullâ industriâ temperatos, diligenter annotarunt, quos illuc opum spes à regionibus nostris trahit &c.* Verùm enim verò, hinc iam suo restituta nitori Limēsis perfulget Academia huius Novi Orbis in Orbe, nam vt Aristophanes, rogans ait; *nunquid dubium est, quin certius robur sit, quod non vincitur, quàm quod non lacessitur, cùm dubiæ sint vires inexpertæ? at meritò certissima firmitas habetur, quæ omnes incursus respicit*, namque, vt dici solet:

Lætius est, quoties magno tibi constat honestum.

Id solum adhuc doleo, rem Grandiloco stylo, venâ, & magniloquentiâ dignam, non illis ante nos Primarijs Antecessoribus, quos veneror, authorari vt Gymnasij huius 367

Peruani nostri fama pennata & nomen securiùs aëra pervolaret, & non ex vngue, sed ex ingeniosis, eruditissimisque frontibus exaratum mundo pernotesceret, & gloria perennaret. Sed forsitam parvitas ingenij iuvabit, vt se potentiorem veritas ostendat, quæ nullis egens viribus est eruditioris, nec indiga linguæ, quàm sincera. Fuerunt & nobis politiorum præcepta literarum, sed iam alia sunt exercitamẽta, seu impedimenta, quæ somnum faciunt ab oculis recedere: hæc nunc prima cura, vtpotè rerum, quæ omnem exhauriunt diligentiam, quales considero & Academicas continuò lectiones, & clientum causas: res vtique graves prudẽtiæ, scientiæ, & sanitatis vernaculas, ideò olim admiratione dignus CICERO, dignus DEMOSTHENES, qui viginti & trium annorum scitè & luculenter iudicij causas egissent publicè: enarrat AVL. GEL. *lib.* 15. *noct. attic. cap.* 28. Honorem sola vna litera ab onere discriminat, & quò maior illius gloria, tantò eum prolixior labor impetit: probat somniũ AGAMENNONIS apud HOMER. *illiad.* 2. ibi:

Dormis, Altræi solertissimi, strenuissimique Imperatoris
Nate? haud decet virum primarium, cuius tutelæ
Populi sunt commissi, & in cuius curâ pendent
Rerum tanta momenta solidam dormire noctem.

Similiter SENEC. *in Hercul. Oetæo. act.* 2. purpuram somno inimicam prædicat. ibi:

Cæspes Tyro mollior ostro
Solet impavidos ducere somnos:
Aurea rumpunt tecta quietem,
Vigilesque trahit purpura noctes.

In dissertatiunculis vtriusque iuris experimenta fateor, nescio an profectum, suspicor aliquid vtilitatis & novi, cõgruumque dicere; sunt enim instar mineralium iuris nemora, *multum adhuc restat operis*, dicebat SENEC. *epist.* 65. *ad Lucill. multumque restabit, nec vlli nato post mille sæcula, præcludetur occasio aliquid adiiciẽdi*, doctrinis poterũt Grammaticorũ rigorosæ formulæ & ARSITARCHI, CRATIS vè scrupulosæ observationes compensari. Similiter ferè VI-

TRVB.*lib* 1.*de Archit·cap.*1 *ad August. Cæsar.*ibi: *Peto, Cæsar, à te, & ab his, qui mea volumina sunt lecturi, vt si quid parum, ad artis Grammaticæ regulam fuerit explicatum, ignoscatur; namque non vti summus Philosophus, nec Rhetor dißertus, nec Grammaticus summis rationibus exercitatus, sed vt Architectus his literis imbutus, hæc nisus sum scribere.*

Et tu, ò florens ingenijs & scientijs, Religioneque limēsis Regum Civitas; vbi, vt CICERONIS verba vsurpem, *templum amplitudinis, mentis Concilij publici*, summitatem, Academiam, inquam, tuam dum prædico, fove alumno, & civium tuorum dū causas tueor, fave Patrono, & licet stylo parco scribere ausus sim, adhuc magnum iudica, quia de re magnâ, & tuâ: cliens DEMOSTENEM ad vocatum cieo *orat. pro Rep. orde.* ibi· *Si cui grandiora loqui, quàm pro naturâ, aut fortunâ meâ videor, cùm ego rectè sentire censeo, nam oratio, quæ pro tantâ vrbe, tantisque rebus habetur, semper vno quovis oratore videri maior & ad vestram, non ad dicentis dignitatem accedere debet.* 368

Vosque ò Maximi Regis nostri Regij Consules, in favoris testimonium, stote Protectores, vtpotè operis Patroni, qui & populi estis; & vestrū de me iudicium benignè vt proferatis, rogo: sic ad meliora excitatis studia, ad hæc nūc benignitas vestra excitavit animum meum ingenij nullâ commēdatione meritum, ad vos redeo Favitores, & vt olim *ad Theodosium* SIMACHVS: *non sum voti immodicus, cum honorem meum commendo Authoribus suis, tantùm vos oro, atque obsecro vt favore perpetuo factum vestrum iuvetis: non deseruerint, qui dederunt: ego innitar, vt potero, ne clementiam vestram fefelliße de me prior fama videatur.* 369

✠ MARIA. ✠ IHS ✠ IOSEPH.

*****
****
****
****

CRIPTVM quidquid opella cludit, Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ humiliter ſummitto lubens & libens. Si alienum à puris Religionis noſtræ Catholicæque Fidei præceptis verbiuſculum adhuc, ſeu iota dictum, non dictum volo, neque ſcriptum.

CHORVS CAPITVM, ET LEGVM

Quæ interpretationem suam concinunt in numero marginali, & folio.

Cum

D

met.

SS Cap.

INDEX RERVM, ET VERBORVM NOTABILIVM.

Prior numerus marginalis est. Secund⁹, praecedente litera F. folium signat.

Comam

nu-

pa-

Est

Xx

ve-

G



H



Du-

Olim

Yy Quan-

Gra-

Mel-

Zz Inter

In-

Du-

Fe-

Ser-

num.

Vrac-

REGESTVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp
Qq Rr Sf Tt Vu Xx Yy Zz. Aaa Bbb.





